AUCTOR SIBI VINDICAT IUS PROPRIETATIS

DILECTO FILIO

PIO DE MANDATO E S. I.

DOCTORI THEOLOGIAE TRADENDAE IN LYCEO MAGNO GREGORIANO

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Complura et plane utilia philosophicis ac theologicis doctrinis illustrandis edidere proximis hisce temporibus, qui in Lyceo Magno Gregoriano eisdem disciplinis tradendis cum laude dant operam. Quorum tu laudem industriae aemulatus, probabile specimen ingenii doctrinaeque exhibes in institutionibus philosophicis dilucide abs te scienterque elucubratis: quas modo ipsas, secundis curis adhibitis, iterum proferre in lucem decrevisti. Istius quidem operis quam non exguum sit pretium inde iure colligitur, quod in Sacris Seminariis haud paucis ad alumnos recte imbuendos Episcoporum nutu usurpatum fuerit. Quamobrem de exitu laboris tui tibi ultro gratulati, meritam quoque laudem impertimus de fidelitate in Aquinatis doctrinis adserendis vindicandis. Nostrae benevolentiae pignus divinarumque gratiarum auspicem, Apostolicam benedictionem habeto, quam tibi praecipua in Domino caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx iulii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri an. decimo octavo.

LEO PP. XIII.

LOGICA

PROLEGOMENA

1. **Logica,** graece λογική, latine rationalis, *est habitus directivus operationum rationis ad assecutionem veritatis.* Competit homini, ut homo est, nempe quatenus est animal rationale, cuius tantum est habere intellectum discursivum, seu rationem. Ratio enim, quae gradatim per successivos actus in rerum notitiam devenit, veritates ignotas a cognitis deducendo, potest propter suam immaterialitatem supra suos actus reflectere, eosque dirigere ita, ut ordinate, faciliter et sine errore in acquisitione veritatis procedant.

2. **Logica dividitur in naturalem et artificialem** seu *acquisitam. Logica naturalis* est habitus resultans in homine ex ipso lumine rationis, vi cuius, absque speciali disciplina, veritates magis obvias ex primis principiis deducere valet; quo videlicet bene disponitur ad definiendum, dividendum, argumentandum circa res communiores et usui naturae necessarias. Invenitur etiam in rudibus et barbaris hominibus, dummodo usu rationis fruantur.

3. **Logica artificialis seu acquisita** est *habitus,* quem homo per specialem disciplinam acquirit ad recte, faciliter et sine errore ordinandos actus rationis ad perfectam assecutionem veritatum atque scientiarum, quae sunt homini proportionatae. Videlicet est habitus acquisitus, quo perficitur intellectus, ut valeat in omnibus, etiam difficilioribus, actus suos disponere ad perfecte definiendum, dividendum, argumentandum.

4. **Obiectum Logicae** est ordo et recta dispositio actuum mentis ad verum ordinate, faciliter et sine errore assequendum. Dividitur in *materiale* et *formale.* Etenim, si vocemus *obiectum materiale* alicuius potentiae vel scientiae id, quod attingitur ab ea; *obiectum* vero *formale* rationem seu formalitatem, secundum quam ab eadem attingitur: (ex. gr. eadem corpora sunt obiectum materiale visus, auditus, tactus

et matheseos; attamen sub ratione colorati corpus est obiectum visus, sub ratione sonori est obiectum auditus, sub ratione duri vel mollis est obiectum tactus, sub ratione dimensionati est obiectum matheseos); facile apparebit *obiectum materiale* Logicae esse actus rationis; *obiectum* vero *formale* esse ipsum ordinem in eis ingerendum ad hoc, ut ordinate, faciliter et sine errore procedant in veritatis atque scientiarum acquisitione.

5. **Obiectum proprium logicae (importans materiale sub formali) pertinet ad entia rationis.** Etenim *entia rationis* vocantur eae conceptiones nostri intellectus, quae non sunt similitudines rerum existentium extra intellectum, sed efformantur ab intellectu propter fundamentum, quod in rebus habent, atque vocantur secundae intentiones; cuiusmodi sunt notiones generis, differentiae, speciei etc. Atqui ordo, qui a Logica ingeritur in actibus rationis, obtinetur disponendo conceptus generis, speciei, differentiae, subiecti, praedicati et similium, qui omnes pertinent ad secundas intentiones. Ergo obiectum proprium Logicae est ens rationis (1).

6. **Logica acquisita est scientia.** Etenim scientia est notio rerum per causas, eo quod, ex intrinsecis rerum principiis, earumdem naturam, proprietates et affectiones colligit; et, si est scientia praeceptiva, ex ipsorum praeceptorum principiis praecepta derivat. Atqui Logica ex principiis constitutivis ratiocinii colligit modum recte ratiocinia conficiendi. Ergo Logica est scientia.

7. **Logica acquisita est specialis scientia.** Nam scientiae distinguuntur ab invicem per obiecta formalia. Sed obiectum formale Logicae est ordo in operationibus intellectivis ingerendus ad *cuiuscumque veritatis* assequutionem: obiectum autem caeterarum scientiarum non est talis ordo, sed, eo supposito, tamquam instrumento, quo omnes utuntur, sunt *peculiares veritates*, quas unaquaeque scientia sibi assequendas proponit. Ergo Logica est scientia specialis.

8. **Logica per quandam similitudinem dici potest ars, immo ars artium.** *Probatur primum:* Etenim ars regulas tradit, quibus, tamquam per determinata media, obtinetur opus exterius, quod est eius finis, ex. gr. aedificium, vel navis. Ars enim definitur: *recta ratio factibilium.* Atqui Logica tradit regulas, quibus, tamquam per determinata media, obtinetur finis operationum intellectualium, qui est veritatis assequutio per demonstrationem (2). Attamen non est perfecta aequalitas inter artem et Logicam: nam 1º praecepta artis ex expe-

---

(1) Cfr. S. Th. in IV. Metaph. lect. 4. « Ens est duplex » etc.
(2) Cf. S. Th. 1. 2. q. LVII. a. 3. ad 3.

rientia et usu colliguntur; Logicae autem ex intrinsecis praeceptorum principiis; 2° obiectum artis est opus exterius: obiectum Logicae sunt operationes immanentes mentis. Ergo Logica per quamdam similitudinem, seu analogiam, dici potest *ars.*

Probatur secundum. Artes non possunt recte procedere ab actu rationis, nisi actus rationis sit bene ordinatus. Sed Logica est scientia bene ordinativa actus rationis. Ergo Logica dici potest ars artium. Quare S. Thomas: « Et ideo videtur (Logica) esse ars artium, quia in actum rationis nos dirigit, a quo omnes artes procedunt ». Quae hucusque diximus, sunt aliqualis declaratio eorum, quae S. Thomas habet (1).

9. **Logica acquisita definiri potest:** *Scientia directiva ipsius actus rationis ad ordinatam et facilem rationalium veritatum assequutionem.* Bona etiam Logicae definitio esset: *Scientia secundarum intentionum, quibus ordo rationalium cognitionum ordinatur.*

10. **Logica docens et utens.** Spectato duplici diverso respectu, quem habet ad easdem mentis operationes, dividi solet *Logica* in *docentem* et *utentem.* Quatenus enim Logica tradit praecepta ad recte definiendum, dividendum et ratiocinandum, vocatur *docens.* Quatenus autem eisdem praeceptis utitur ad conficiendas vel examinandas suas definitiones, divisiones vel ratiocinationes, vocatur *Logica utens.* Nec repugnat Logicam esse sub diverso respectu instrumentum sui ipsius. Proprium enim est intellectivae virtutis, utpote supra seipsam reflexivae, ut omnes eius conceptus et operationes similiter reflectere supra se valeant. Hinc fit, ut nos definiamus ipsam definitionem, argumentemur circa ipsam naturam argumentationis, atque utamur regulis Syllogismi ad recte considerandam Syllogismi naturam et proprietates.

11. **Divisio tractationis Logicae** *aptissime fit secundum triplicem operationem humani intellectus,* nempe simplicem apprehensionem, iudicium, et discursum. Nam omnes *intentiones Logicae,* quibus diriguntur operationes intellectus, connaturaliter in tres classes dispescuntur: quaedam enim inter se conveniunt in eo, ut immediate ordinentur ad simplicem apprehensionem, quaedam ad compositionem et divisionem (idest ad iudicium) quaedam autem ad discursum, ut ex dicendis suo loco apparebit. Optime igitur huius Scientiae tractatio dividitur secundum distinctionem, quae in proprio eius obiecto (quod est ens rationis sub n. 5. descriptum) connaturaliter accipitur. Hanc divisionem, quam sequutus est Aristoteles, commendat S. Thomas (2).

---

(1) Posterior. Analyt. Lib. I. Lect. 1.
(2) In Lib. I. Perihermen. Lect. I.

12. **Divisio in Logicam Minorem et Maiorem** *non est proprie dicta divisio logicae.* Nam *in Logica Minori* traduntur faciliores notiones de tribus operationibus humani intellectus, deque eis respondentibus intentionibus logicis, potissimum in ordine ad oralem expressionem earumdem, nempe ad terminos orales, ad propositiones, et ad exteriorem structuram Syllogismatum; vocaturque a Modernis *Dialectica* (a διαλέγομαι disputo, dissero) eo quod eius notiones dirigantur ad Syllogismi structuram et leges explicandas; quamvis ab Aristotele *Dialectica limitetur ad artem suadendi probabilia* (1).

In *Logica Maiori* autem pertractantur proprie dictae Quaestiones de intentionibus logicis, quibus operatio intellectus dirigitur. Nam, in 1ª parte Logicae Maioris sermo est de secundis intentionibus, quibus prima operatio intellectus dirigitur, nempe de *Universalibus*, quae dividuntur in *Praedicabilia*, *Ante praedicamenta*, *Praedicamenta* et *Post praedicamenta;* in 2ª parte est sermo de secundis intentionibus, quibus secunda intellectus operatio dirigitur, ac potissimum de Enuntiatione; in 3ª tandem parte est sermo de secundis intentionibus, quibus tertia intellectus operatio dirigitur, nempe de *Demonstratione*, deque eius effectu, qui est *scientia.*

Quum haec divisio utilis sit, nos incipientes a Logica Minori, ordinem praedictum, S. Thomae doctrinae semper adhaerendo, fideliter et compendiatim sequemur.

---

(1) Cfr. I. Lib. Topicorum, Cap. 1. et 3.

LOGICA MINOR

PARS PRIMA

DE PRIMA OPERATIONE INTELLECTUS DEQUE INTENTIONIBUS LOGICIS EI RESPONDENTIBUS

CAPUT I.

DE SIMPLICI APPREHENSIONE ET CONCEPTU.

13. **Simplex apprehensio seu indivisibilium intelligentia** est operatio intellectiva, per quam intellectus humanus apprehendit essentiam uniuscuiusque rei in seipsa, quin aliquid de ea affirmet vel neget, ut, quum mente concipio *hominem, arborem, lapidem.*

14. **Terminus intrinsecus simplicis apprehensionis.** Quum simplex apprehensio sit operatio immanens seu vitalis; habere debet, sicut caeterae operationes vitales, terminum intrinsecum ipsi intellectui operanti. Hic terminus, qui, pro quacumque operatione intellectiva, vocatur conceptus (quasi proles genita ab intellectu), vel species expressa aut verbum mentis, est in simplici apprehensione intentionalis similitudo essentiae rei, ab intellectu in seipso expressa, ut, *ea mediante* et *in qua*, intellectus essentiam rei repraesentatae actu cognoscat.

15. **Conceptus definitur** *similitudo rei expressa in mente percipiente.* A modernis vocatur etiam *idea*, quamvis hoc nomen a veteribus consecratum fuerit ad designandos conceptus exemplares, qui sunt in intellectu practico artificis, et praesertim ad ideas archetypas creaturarum, quae sunt in Divino Intellectu.

16. **Conceptus rerum singularium** *recensendi sunt inter conceptus respondentes primae operationi intellectus.* Etenim, quamvis humanus intellectus in statu unionis animae cum corpore nequeat directe apprehendere res materiales in earum singularitate, idest cum suis notis individualibus, puta *hunc hominem, hanc cathedram, hoc horologium;* tamen potest earum conceptus indirecte acquirere, eo modo et ordine, quem dicemus in Psychologia. Iamvero, quum res singulares hisce conceptibus consideramus, quin aliquid de eis affirmemus vel

negemus, mens nostra neque iudicat, neque discurrit. Ergo se habet modo respondente primae operationi nostri intellectus, quae vocatur simplicium intelligentia.

17. **Conceptus mentalis considerari potest tripliciter.**

I. *relate ad intellectum,* a quo producitur, et, ita consideratus, est realis quaedam forma actuans intellectum, ut, ea mediante, hic aliquid cognoscat. Sub quo respectu vocatur *conceptus subiectivus et formalis: subiectivus* quidem, quia est realiter aliquid subiecti intelligentis; *formalis,* quia est forma accidentalis perficiens intellectum, tamquam terminus immanens intellectionis. Unde apparet conceptum *subiectivum* et *formalem, entitative* acceptum, semper esse singularem et immaterialem, quamvis *repraesentative* esse possit materialis et universalis, sicut est conceptus essentiae lapidis.

II. *relate ad iudicium,* cuius est elementum. Sub quo respectu, conceptus vocatur *terminus mentalis,* et definitur, *id, in quod ultimo resolvitur iudicium, tanquam in praedicatum vel subiectum.*

III. *relate ad obiectum,* quod repraesentat. Sub quo respectu, vocatur *conceptus obiectivus,* et definitur *signum naturale et formale obiecti.*

CAPUT II.

DE SIGNO.

18. **Signum generatim acceptum** *est id, quod subiecto cognoscenti aliquid a se diversum repraesentat.* Sic fumus, quatenus mihi repraesentat ignem latentem, qui est diversus a fumo, dicitur signum ignis: sic ramus viridis ante tabernam, quatenus mihi repraesentat vinum venale, dicitur huius signum.

19. **Signum considerari potest,** vel **ex parte nexus,** quem habet *cum potentia* cognoscitiva subiecti cognoscentis; **vel ex parte nexus,** quem habet *cum re,* quam repraesentat.

20. **Ex parte nexus cum potentia cognoscitiva** dividitur signum *in signum instrumentale,* vel *ex quo,* et in signum *formale,* vel *in quo.*

Nam id, quod potentiae cognoscitivae aliquid a se diversum repraesentat, vel est res subsistens distincta et a cognoscente et a re repraesentata, sicut ramus viridis ante tabernam repraesentat nobis vinum venale; vel non est res subsistens distincta a cognoscente, quum sit aliqua forma inhaerens potentiae cognoscitivae, quae forma non distinguitur adaequate a cognoscente, sed tantum a re, quam repraesentat.

Prioris generis signum vocatur *signum instrumentale,* vel *ex quo,* et definitur, *id, quod praeter speciem quam ingerit, facit aliud in*

cognitionem venire. Etenim in tali casu, prius cognoscere debemus signum, tamquam rem externam, distinctam et a nobis et a re significata, ut ex ea cognita deveniamus in rei significatae cognitionem; sicut ex cognito fumo devenimus in cognitionem praesentiae ignis.

Posterioris generis signum vocatur *signum formale*, vel *in quo,* et definitur *similitudo intentionalis rei informans potentiam cognoscitivam.* In hoc genere signorum non cognoscimus prius signum, quasi rem aliquam, et deinde rem significatam; sed per illud immediate tendimus ad rem exteriorem apprehendendam. Sic non debemus prius cognoscere speciem visivam fumi et postea fumum, sed per eam immediate videmus ipsum fumum. Haec est ratio, cur signum formale vocetur *intentionalis similitudo* rei, quia virtus cognoscitiva per ipsum tendit in rem exteriorem, et ad eam suo modo, idest *cognoscitive*, pertingit.

21. **Ex parte nexus cum re significata** dividitur signum in signum *naturale* et *conventionale* seu *arbitrarium.* Primum est, quod ex ipsa natura ordinatur ad rem aliquam nobis manifestandam. Sic fumus est naturale signum ignis, aurora solis orientis, species cognoscitiva est naturale signum rei, quam intentionaliter repraesentat. Secundum est, quod ex conventione et libero arbitrio hominum ad aliquid significandum assumptum est. Sic ramus olivae pacem significat: sic determinatum vocabulum est signum determinati conceptus, et, hoc mediante, est signum determinatae rei, hinc fit, ut eadem res diversis vocabulis in diversis idiomatibus significetur; ex. gr. quod latini *lignum* appellant, graeci vocant δόρυ.

CAPUT III.

DE TERMINI LOGICI DEFINITIONE.

22. **Terminus logicus** *est, in quem resolvitur propositio, tamquam in praedicatum vel subiectum* (1). Ad quam definitionem intelligendam haec habeto:

a) Propositio est unius de altero affirmativa aut negativa oratio (2). Itaque quum dico: *Socrates est doctus*, propositionem affirmativam facio; quum dico: *Socrates non est doctus*, propositionem facio negativam.

b) Partes propositionis sunt tres: *subiectum*, *praedicatum* et *copula.* Subiectum est id, de quo aliquid affirmatur, vel negatur. Prae-

(1) Arist. 1. Prior. cap. 1.
(2) Arist. ibid.

dicatum est id, quod affirmatur, vel negatur de subiecto. Copula est ipsa affirmatio vel negatio. Sic, in exemplo allato, *Socrates* est subiectum; *doctus* praedicatum, et particula *est* copula.

c) Resolutio propositionis est assignatio eorum, quae in propositione componuntur per affirmationem, aut dividuntur per negationem.

23. **Sensus definitionis Aristotelicae,** qua dicitur *terminus est in quem resolvitur propositio,* est sequens. Terminus est ea propositionis pars, quae componitur per affirmationem, aut dividitur per negationem. Quum autem ita coniungi, vel dividi, competat tum subiecto, tum praedicato, manifestum est

1° rationem termini competere et subiecto et praedicato;

2° terminum esse partem essentialem propositionis; nulla enim propositio consistere potest absque subiecto et praedicato;

3° in definitione Aristotelica propositionem non considerari *physice* aut *materialiter*, quatenus est complexio quaedam vocum et syllabarum, sed *logice* et *formaliter,* quatenus repraesentat determinatum ens rationis, quod constat subiecto et praedicato, tamquam elementis, et copula, tamquam principio formaliter uniente vel dividente praedicatum et subiectum, et ita constituente propositionem in suo esse. Ex coniunctione enim vel divisione praedicati et subiecti exsurgit propositio ;

4° id quod actu terminat compositionem vel divisionem vocari *terminum actu:* talia sunt vocabula, quae actu in propositione funguntur munere subiecti vel praedicati, ex. gr. *Socrates* et *doctus* in propositione : *Socrates est doctus;* id autem quod actu non terminat compositionem vel divisionem, sed potest eam terminare, vocari *terminum in potentia.* Huiusmodi sunt ex. gr. vocabula *Socrates* et *doctus* extra propositionem accepta:

5° in propositione duos saltem terminos dari debere, nempe unum subiectum et unum praedicatum; sive sint expressi, ut quum dico : *ego sum currens;* sive subintellecti, ut quum dico: *curro;*

6° casus obliquos non esse terminos propositionis, quia non componuntur cum alio termino, sed esse modificationes seu accidentia casus recti, qui eos sustentat, quique unice componi potest tamquam terminus: ex. gr. quum dico: *Ioannes est filius Zebedaei, τό Zebedaei* nequit componi cum alio termino, neque potest in propositione consistere, nisi casui recto, munere praedicati fungenti, fulciatur, cuius significatum ulterius determinat.

24. **Quaeres** 1. Cur subiectum et praedicatum vocantur termini propositionis? Respondeo: quia hinc inde terminant propositionem. Ob eandem rationem vocantur extrema propositionis.

25. **Quaeres** 2. Cur praedicatum vocatur *maius extremum* propositionis, subiectum autem *extremum minus?* Respondeo: quia praedicatum connaturaliter exigit esse maius seu latius patens, vel saltem non minus patens, quam subiectum. Subiectum autem connaturaliter exigit esse quid minus, vel saltem non maius praedicato. Idcirco propositiones, in quibus subiectum est minus patens praedicato, dicuntur naturales, ex. gr. *homo est animal; Petrus est homo.* Propositiones autem, in quibus subiectum latius patet praedicato, dicuntur innaturales, et evadunt ambiguae, nisi addatur subiecto pronomen limitans illud; ex. gr. propositiones: *animal est homo*, *homo est Petrus*, sunt ambiguae et ab aequivocatione liberantur per pronomen *aliquod*, subiecto additum, ita ut dicamus: *aliquod animal est homo*, *aliquis homo est Petrus.*

CAPUT IV.

DE DIVISIONE TERMINORUM.

26. **Terminus mentalis, vocalis et scriptus.** Non ratione rei significatae, quae semper remanet eadem, sed ratione diversarum expressionum eiusdem rei, dividitur terminus in mentalem, vocalem et scriptum. *Terminus mentalis* est ipse intellectualis conceptus seu idea rei (cfr. n. 14), ex. gr. *conceptus hominis; Vocalis* est oralis expressio conceptus mentis, ex. gr. quum profero vocabulum *homo; Scriptus* est scripta expressio termini vocalis et mentalis.

27. **Terminus significativus** est *vox*, *quae ex pacto vel consuetudine ponitur in propositione ad significandum subiectum et praedicatum diversum a voce.* Ex. gr. vox *sol* in propositione: *sol est luminosus.*

Terminus non significativus est *vox, quae potest poni in propositione ad significandum pro subiecto vel praedicato solum ipsam vocem.* Ex. gr. vox *blitri* in propositione: *blitri est vox duarum syllabarum.*

28. **Terminus categorematicus** (latine *significativus*) est, *qui per se solum potest esse subiectum aut praedicatum propositionis;* ex. gr. *Socrates*, *homo*, *animal*, *albus* etc. quare bene dicere possum: *Socrates est albus.*

Terminus syncategorematicus (latine *consignificativus*) est, *qui potest esse subiectum aut praedicatum propositionis, solum ut adiectus alicui alteri;* ex. gr. *omnis, nullus, aliquis, duo*, *tres* et alii numeri, quia non possunt esse praedicatum aut subiectum propositionis, nisi alteri adiiciantur, sive hoc sit expressum, sive saltem subintellectum. Quare nequeo dicere: *Omnis vivit*, nisi exprimam vel subintelligam: *Omnis homo*, *omnis equus* etc.

29. **Terminus univocus** *est, qui potest pluribus divisim applicari secundum eamdem rationem seu significationem nominis.* Sic vocabulum *homo* secundum eandem rationem ac definitionem animalis rationalis, idest *univoce*, dicitur de Petro, de Paulo et de singulis hominibus. Idem enim est sensus quum dico: *Petrus est homo,* et quum dico: *Paulus est homo* etc. Quapropter *entia univoca* definiuntur ab Aristotele, ea, quorum nomen commune est, et ratio essentiae, per nomen significata, est omnino eadem.

30. **Terminus stricte aequivocus** *est, qui convenit pluribus secundum significationes omnino diversas, seu non habentes affinitatem, propter quam illud nomen fuerit illis tributum.* Ex. gr. nomen *Gallus* dictum de avi et de homine in Gallia nato. Hi termini vocantur *aequivoci a casu.* Unde *entia aequivoca* sunt ea, quorum nomen commune est, ratio vero, per nomen significata, est totaliter diversa.

31. **Terminus analogus,** *seu aequivocus a consilio,* communiter definitur, *qui significat plura secundum significationem et rationem non omnino eamdem, nec omnino diversam.* Ex. gr. *sanum* de animali et de medicina; *ens* de substantia et accidente, *risus* de homine et de prato etc. — Quapropter *entia analoga* vocantur ea, quorum nomen commune est, ratio vero, per nomen significata, non est omnino eadem, sed partim est eadem, et partim diversa: nempe est *simpliciter diversa, et secundum quid eadem.*

32. **Analoga et analogata.** Siquidem in rebus, quibus competit nomen analogice commune, debet inveniri aliqua ratio obiectiva, propter quam cum veritate tribuatur eis tale nomen, quaeque sit *fundamentum* huius praedicationis; philosophi vocant *analogata* ipsas res, in quibus fundatur analogia; *analoga* vero appellant tum *rationes fundantes* analogiam, tum *nomina* analogice communia. Ex. gr. quum praedico *ens* de substantia et de accidente, *substantia* et *accidens* vocantur *analogata, fundamentum* autem huius praedicationis, videlicet quod habeant esse modo unicuique proprio, vocatur *analogum;* atque ipsum nomen *ens*, quod dicitur de substantia et de accidente, tamquam nomen analogice commune, vocatur *analogum.*

33. **Terminus analogus subdividitur** *in analogum attributionis, proportionalitatis propriae, et proportionalitatis metaphoricae.* Nam pro triplici ordine fundamenti, quod analogia habere potest in rebus, dispescitur in analogiam attributionis, proportionalitatis propriae, et proportionalitatis metaphoricae.

34. **Terminus analogus attributionis** *est, qui convenit pluribus propter ordinem ad unum, cui principaliter competit;* ex. gr. *sanum* dictum de medicina et de colore propter ordinem ad animal, cui prin-

cipaliter et intrinsece competit esse sanum. Forma, a qua desumitur significatio termini, ex. gr. *sanitas*, est intrinseca tantum uni, nempe ei, per ordinem ad quem eodem nomine appellantur caetera, quibus ea forma competit tantum per extrinsecam denominationem. Ex. gr. forma sanitatis est intrinseca tantum animali sano; medicinae autem et colori competit tantum per extrinsecam denominationem. Quum medicina et color simul vocantur sana, dicitur *analogia duorum ad tertium;* nam neque in medicina, neque in colore est forma sanitatis. Quum autem medicina aut color vocantur sana simul cum animali, dicitur *analogia unius ad alterum;* nam in uno ex duobus invenitur forma sanitatis, nempe in animali, quod idcirco vocatur etiam *princeps analogatum*, et *terminus* seu *finis*, ad quem caetera analogata ordinem dicunt.

Quapropter *analoga secundum attributionem dicuntur ea, quorum nomen est commune; ratio autem, per nomen significata est eadem secundum terminum* (non logicum, sed realem); *sed diversa secundum habitudinem ad eumdem terminum.* Sic animal, medicina, cibus et color dicuntur *sana*, sed ratio vel definitio eorum, in quantum sunt sana, diversas habitudines dicit ad unum eumdemque terminum, nempe sanitatem. Nam animal est subiectum sanitatis, quae formaliter est in ipso; medicina est causativa, cibus est conservativus, color est significativus sanitatis.

35. **Terminus analogus proportionalitatis propriae** *est is, qui convenit pluribus propter similitudinem habitudinis, quam unumquodque analogatum habet ad formam sibi intrinsecam, quae est simpliciter diversa a forma intrinseca alteri.* Ex. gr. ens, quod ab actu essendi denominatur, dicitur de Deo, et de creatura, secundum analogiam proportionalitatis propriae: nam quemadmodum creatura se habet ad suum esse, similiter Deus se habet ad suum; videlicet, quemadmodum creatura per suum esse existit, similiter Deus existit per esse suum, quamvis esse creaturae infinite distet ab esse Divino, quod, ut suo loco ostendemus, est ipsum esse subsistens et infinitum, dum esse creaturae est participatum et finitum. Quo sensu recte possum dicere: Deus est ens, creatura est ens. Ad hanc igitur proportionalitatem constituendam requiruntur saltem quatuor termini, *vel re, vel ratione distincti;* ex quibus exsurgant duo proportiones seu, ut mathematici loquuntur, duo membra unius aequationis $\frac{a}{b} = \frac{c}{d}$. Unde illa ratio, quae exprimit habitudinem intrinsecam analogati ad propriae proportionis terminum, atque fundat eorum analogiam, *non est una simpliciter*, sed *una proportionaliter.*

Quare *analoga secundum proportionalitatem propriam dicuntur ea, quorum nomen commune est, ratio vero, per nomen significata, est tan-*

tum proportionaliter eadem, et competit proprie et intrinsece omnibus divisim analogatis.

36. **Terminus analogus proportionalitatis impropriae seu metaphoricae** *est, qui convenit pluribus propter similitudinem habitudinis, quam unum analogatum habet ad formam non sibi intrinsecam, sed ad eam, quae est alteri analogato intrinseca, et a qua desumitur termini denominatio.* Ex. gr. quum prata propter suam amoenitatem dicuntur ridere, forma *risus* est intrinseca unice homini, pratorum autem amoenitati tribuitur tantum propter quamdam similitudinem ad risum hominis. Huc revocandae sunt metaphorae omnes. Quare homo dicitur *proprie* ridens propter formam sibi intrinsecam risus. Pratum autem dicitur *improprie* ridens, nempe propter aliquam similitudinem, quam eius amoenitas habet ad risus hominis. Huiusmodi sunt omnes loquutiones metaphoricae.

37. **Discrimen inter varias analogias.** Ex dictis apparet discrimen inter analogiam *attributionis* (quam veteres etiam *simplicis proportionis* vocabant, nempe habitudinis unius ad alterum, vel duorum ad tertium): analogiam *proportionalitatis propriae* (quam quidam moderni vocant *proportionis*): et analogiam *proportionalitatis impropriae*, seu *metaphoricae*. Nam in analogia attributionis *forma*, a qua denominatur nomen analogum, est intrinseca tantum uni, extrinseca reliquis analogatis, de quibus nomen analogum praedicatur propter ordinem intrinsecum, quem habent ad princeps analogatum. — Sic medicina dicitur sana propter intrinsecum ordinem ad sanitatem animalis causandam. In analogia proportionalitatis propriae, *forma*, a qua denominatur nomen analogum, est intrinseca omnibus analogatis. Sic *esse*, a quo denominatur ens, est forma intrinseca tum creaturae existenti, tum Deo existenti, quamvis diverso modo. Tandem in analogia proportionalitatis impropriae, seu metaphoricae, *forma*, a qua denominatur nomen analogum, est intrinseca tantum uni analogato, extrinseca caeteris, de quibus praedicatur, non quidem propter intrinsecum ordinem eorum ad illud, *sed propter aliquam similitudinem, quam habitudo unius analogati ad suam formam habet ad habitudinem alterius analogati ad formam, a qua nomen analogum denominatur.* Sic *ridens* a risu hominis unice denominatur, minime vero ab amoenitate prati. Idcirco homo dicitur proprie ridens, non pratum. Nec amoenitas prati habet ullum ordinem intrinsecum ad risum hominis. Sed quemadmodum facies hominis risu condecoratur, sic pratum amoenitate.

38. **Terminus communis** est, *qui potest pluribus divisim applicari secundum significationem saltem analogice eamdem;* ex. gr. *homo, equus, ens.*

Terminus singularis est, *qui potest de uno tantum dici secundum significationem;* ex. gr. *Plato*, *Socrates*, *Euclides.*

39. **De universali proprie, et de universali analogice, seu late dicto.** Terminus communis dividitur in universalem proprie, et universalem analogice. Est *proprie et stricte* universalis, cum dicitur de pluribus secundum significationem *univoce* eamdem; ex gr. *homo* de Socrate et Platone; est autem *analogice*, seu *late* universalis, cum dicitur de pluribus secundum significationem solum analogice eamdem: ex. gr. *sanum* dictum de medicina et animali; *ens* dictum de Deo et de creatura.

40. **De termino non transcendente, et transcendente.** *Non transcendens est, qui dicitur de rebus unius tantum praedicamenti;* ex. gr. *substantia*, *quantitas*, *qualitas* etc. (Praedicamenta quid sint et quot dicemus inferius).

Terminus transcendens est, qui dicitur de rebus plurium praedicamentorum, deque rebus, *quae non sunt sub ullo praedicamento*, quum perfectione sua omnia excedant, atque transcendant. Huiusmodi termini sunt tantum sex, nempe: *Ens*, *Res*, *Unum, Verum*, *Bonum*, *Aliquid.* De his in Ontologia sermo erit.

41. **Terminus finitus seu finitans** est, *per cuius affirmationem determinatur quid res est;* ex. gr. homo. Quum enim dico : Socrates est homo, determino quid Socrates est.

Terminus infinitus seu infinitans est ille, *per cuius affirmationem determinatur solum quid res non est;* ex. gr. non homo, non animal.

42. **Terminus copulativus, seu collectivus** est, qui in recto plura *ut plura* in unum per accidens aggregata significat, ut *exercitus, populus.*

Terminus non copulativus est, qui in recto plura in unum, sive per se, sive per accidens aggregata, non significat ut plura, sed ut unum ; ex. gr. *domus, navis*, *Socrates.*

43. **Terminus complexus** est, cuius partes, seorsim sumptae, sunt termini, et retinent eamdem significationem ; ex. gr. *equus niger ;* nam, etiamsi seorsim ponantur, *equus* pergit significare equum, et *niger* rem nigri coloris.

Terminus incomplexus est, cuius partes seorsim sumptae non habent eamdem significationem, sive separatae aliquid significent, sive non. Ex. gr. *Plato* est terminus incomplexus, quia eius partes *Pla* et *to*, separatae nullam habent significationem. Similiter *Dominus*, quia *Do* et *minus* separatim significare incipiunt aliquid prorsus diversum ab eo, quod prius copulatae significabant.

44. **Terminus denominativus** est ille, qui ab altero derivatur, non solum quoad vocem, sed etiam quoad significationem; ut *a iustitia iustus.*

Terminus denominans est ille, a quo alter derivatur, tum quoad vocem, tum quoad significationem, ut *iustitia*, a qua, quoad utrumque, derivatur *iustus.*

45. **Terminus absolutus** est ille, qui significat *ut per se stans.* Talia sunt omnia nomina substantiva, sive ea significent substantias, ut *Petrus*, *homo*, *lapis;* sive significent formas accidentales abstractas, quasi per se subsistentes, ut *albedo*, *bonitas*, *fortitudo.*

Terminus connotativus est ille, qui significat *ut adiacens* alteri termino. Talia sunt nomina adiectiva, quae, quum significent accidentia, de quorum essentia est inesse substantiae; nequeunt significare, nisi ut adiacentia, seu innixa alicui nomini substantivo, sive expresso, sive subintellecto, cum quo concordare in genere, numero et casu debent. Ex. gr. *bonus*, *niger*, *albus.* Item nomina adiectiva significantia substantiam, vel partes substantiales, ad modum formae inhaerentis, ut *animatus.*

46. **Terminus concretus** est ille, qui vel significat compositum ex subiecto et forma, ut *homo;* vel ad modum compositi ex subiecto et forma, ut *Deus.*

Terminus abstractus est ille, qui significat seorsim partem aliquam compositi, vel quasi partem compositi, ad modum formae per se subsistentis, ut *humanitas, albedo, Deitas.*

47. **Terminus primae intentionis** est ille, qui significat rem secundum sua praedicata realia, ut *homo, leo, album.* Vocatur *primae intentionis,* quia respondet conceptui directo, quo intellectus noster *directe intendit in rem,* eamque apprehendit, ut in se est, absque ulla consideratione relationum, quas res habet ad intellectum cognoscentem, sive sola, sive cum aliis rebus considerata.

Terminus secundae intentionis est ille, qui significat rem secundum sua *praedicata intentionalia*, idest secundum suas relationes ad intellectum cognoscentem, vi quarum denominatur a cognitione, et habet esse cogniti et esse rationis (cfr. n. 5). Huiusmodi sunt hi termini: *praedicatum*, *subiectum*, *genus, species* etc. Vocantur *termini secundae intentionis,* quia respondent conceptibus reflexis, vi quorum intellctus noster, postquam directe apprehenderit rem, redit supra suam cognitionem, et rem prius directe cognitam considerat secundum relationes, quas habet, sive ex se sola, sive comparata cum allis rebus, ad intellectum cognoscentem. Quorum conceptuum *obiectivae rationes* non sunt *formaliter* in rebus, sed *fundamentaliter* tantum, vocanturque

entia rationis, quia *formaliter* non sunt nisi in intellectu, nec habent aliud *esse*, quam intentionale; nempe in tantum sunt *formaliter entia*, in quantum cognoscuntur. Ex. gr. Petrus in tantum est *formaliter subiectum* huius propositionis: *Petrus est doctus*, in quantum est cognitus ab intellectu formante hanc propositionem, et conceptum repraesentativum Petri in subiecti locum collocante. Ex dictis intelliges cur subiecta, praedicata, genera, species, omnesque intentiones logicae vocentur entia rationis et adnumerentur secundis intentionibus. Sed haec clariora fient ex dicendis de cognitione intellectiva in Psycologia.

48. **Termini pertinentes** sunt, qui se inferunt vel excludunt, ut homo et animal; caecum et videns. Possum enim dicere cum veritate: est homo, ergo est animal; est caecus, ergo non est videns. Qui se inferunt, vocantur *pertinentes secundum sequelam*. Qui se excludunt, vocantur *pertinentes secundum repugnantiam*.

Termini pertinentes secundum sequelam dividuntur in *aequales* et *inaequales*. Sunt *aequales*, sive *convertibiles*, qui se *mutuo* inferunt vel excludunt; ex. gr. *risibile* et *rationale*. Possum enim aeque inferre: est risibile, ergo est rationale: est rationale: ergo est risibile. Et similiter: non est risibile, ergo non est rationale: non est rationale, ergo non est risibile.

Sunt *inaequales*, sive *inconvertibiles*, qui se mutuo *non* inferunt: ex. gr. homo et animal. Quamvis enim inferre possem: est homo, ergo est animal; nequeo tamen inferre: est animal, ergo est homo. Nam ratio *animalis* latius patet, quam ratio hominis, quae est una ex inferioribus animalis, ut ex dicendis de Praedicamentis apparebit. Idcirco animal, et omnes rationes universales, tum *univocae*, tum *analogicae* seu transcendentales, dicuntur habere *prioritatem consequentiae* respectu suorum inferiorum. Nam

49. **Habere prioritatem consequentiae,** respectu alicuius praedicati, dicitur id, quod in eo continetur, tamquam ratio magis universalis et minus determinata in ratione minus universali et magis determinata, ut ratio animalis continetur in ratione hominis; quaeque proinde potest *legitime inferri*, tamquam competens rei, de qua ratio minus universalis praedicatur. Id autem valet non solum de rationibus universalibus stricte et proprie dictis, quae sunt *univocae*, et *simpliciter abstrahibiles* a suis inferioribus; sed etiam de rationibus universalibus late et improprie dictis, quae sunt *analogicae* seu *transcendentales*, et *secundum quid abstrahibiles* a suis inferioribus. Quemadmodum enim de quocumque *inferiori* animalis inferre possum esse animal; ex. gr. est homo, ergo est animal; est equus, ergo est animal, etc.; similiter de quocumque *inferiori* entis, possum inferre esse ens, ex. gr. est corpus, ergo est ens; est substantia, ergo est ens; est accidens, ergo est ens etc.

Ex terminis inaequalibus, ille, qui infertur et non infert, vocatur *superior,* ut animal respectu hominis; ille, qui infert et non infertur, vocatur *inferior*, ut homo respectu animalis.

50. **Termini pertinentes secundum repugnantiam** dividuntur *a) in disparatos*, qui significant res omnino diversas, ut *homo, lapis, angelus; b) in contrarios,* qui se mutuo excludunt ab eodem subiecto, vel ab eadem eius parte, ut *album* et *nigrum; c)* in *privativos*, quorum unus significat formam, alius privationem eiusdem formae in subiecto apto, ut *caecum* et *videns.* Nam caecum significat privationem visionis, non in quocumque subiecto, puta lapide, sed in subiecto apto, puta in *homine* vel *leone; d) in contradictorios*, quorum unus negat, quod alius affirmat, ut *possibile, impossibile; e) in relativos,* qui dicunt ordinem ad invicem, ut *pater* et *filius;* nemo enim potest esse pater et filius eiusdem hominis.

51. **Termini impertinentes** sunt ii, quorum unus non infertur, neque infert alium; neque excludit, neque excluditur ab altero, ut *album*, *frigidum*, *dulce.* Ex eo enim quod aliqua res sit alba, non sequitur, quod sit frigida, vel dulcis; neque sequitur, quod non sit talis.

CAPUT V.

DE EXTENSIONE ET COMPREHENSIONE TERMINORUM.

52. **Extensio termini** est eius amplitudo respectu eorum, de quibus praedicari potest. Quo plura haec sunt, eo maior est eius extensio. Sic terminus *homo* extenditur ad omnia individua umana, quia potest de omnibus hominibus divisim praedicari. Terminus *animal* maiorem extensionem habet, quia non solum de omnibus hominibus, sed etiam de omnibus brutis divisim praedicari potest.

Comprehensio termini est complexus notarum, quas terminus de re significata refert. Quo plures eae sunt, eo maior est eius comprehensio et maiorem notitiam de re dat, eamque plenius ab aliis secernit. Sic terminus *homo* importat ens materiale, vivens, sentiens et rationale. Terminus *animal* importat ens materiale, vivens et sentiens, sed praescindit a rationalitate. Terminus *ens* importat id quod est, praescindendo a modo essendi eius. Ex dictis vides extensionem se habere inverso modo ad comprehensionem alicuius termini, et quo maior ea est, eo minorem notitiam rei gignere, quum pauciores notas de hac referat.

53. **Extensio et comprehensio conceptuum** eodem modo se habent, quo extensio et comprehensio terminorum oralium. Nam hi sunt

signa conceptuum, et, conceptibus mediantibus, sunt signa rerum. Ad hoc melius declarandum, tirones monemus, conceptum dividi in *formalem* et *obiectivum. Conceptus formalis* est ipse actus, quo intellectus apprehendit seu intelligit aliquid de aliqua re, producendo in seipso intentionalem similitudinem illius (n. 15.) *Conceptus obiectivus est ratio illa realis*, quae in re intellecta respondet conceptui formali; nempe est res secundum illam praecise rationem, quae sui rapraesentationem seu similitudinem intentionalem habet in intellectu percipiente. Nam intellectus noster ob suam imperfectionem non cognoscit statim omnia, quae constituunt aliquod obiectum, sed per successivos actus; quia procedit de potentia ad actum, idest de imperfecto ad perfectum. Et ideo plures gradus perfectionum, qui in aliqua re inveniuntur tamquam rationes reales eiusdem, quamvis sint realiter identificati cum ea, intellectus noster percipit successive per *plures conceptus formales;* sicut quum in homine apprehendit rationem substantiae tantum, praescindendo a ratione animalis; vel rationem animalis, praescindendo seu abstrahendo a ratione rationalis. Non enim homo per unam realitatem est substantia, per aliam est animal, et per tertiam est rationalis, sed per unam eamdemque essentiam suam, ut suo loco demonstrabimus.

Notae igitur alicuius rei vocantur rationes reales rei intrinsecae, secundum quas haec innotescit intellectui nostro. Quas quum gradatim per successivos conceptus formales, alios aliis perfectiores, mens nostra percipit, acquirit de re conceptus magis comprehensivos atque distinctos. Quare

Comprehensio conceptus est complexus notarum, quas conceptus intentionaliter repraesentat, de aliqua re.

Estensio conceptus est eius amplitudo respectu rerum, quas intentionaliter repraesentare valet, ob earum convenientiam seu similitudinem in eisdem perfectionibus sive essentialibus, sive accidentalibus.

Corollarium 1um. Conceptus aliquis eo est *repraesentative* simplicior, quo est magis extensivus, quia paucioribus constat notis. Sic conceptus entis, qui est maxime extensivus, est maxime simplex, quia unica nota constat, quum dicat de re tantum quod habet esse. Dico talem conceptum esse *repraesentative* simpliciorem, non *entitative;* nam omnes nostri conceptus habent eadem entitativam simplicitatem, eam videlicet, quae competit naturae intellectus humani.

Corollarium 2um. Conceptus repraesentative simplicior est etiam magis confusus et indeterminatus, quia minimum dicit de re, neque eam sufficienter ab aliis distinguere valet. Sic, si ego de Petro scirem tantum eum esse ens, minimam et confusissimam notionem haberem

de eo, cuius essentiam ne quidem ab essentia bruti vel lapidis aut etiam angeli atque Dei distinguere valerem.

Corollarium 3um. Conceptus maxime comprehensivus alicuius rei complectitur omnes rationes reales seu notas illius, usque ad *notas individuales*, per quas una res secernitur ab omnibus aliis.

CAPUT VI.

DE SUPPOSITIONE TERMINORUM.

54. **Suppositio definitur** *acceptio termini pro aliquo suo significato.* Nam, quum eadem vox saepe significare posset vel res omnino diversas, vel diversos respectus eiusdem rei; necesse est ad veritatis assequutionem, ut determinetur sub qua significatione usurpetur a loquente, nempe *loco cuius rei ponatur,* vel *supponatur.* Voces enim sunt signa conceptuum, et, his mediantibus, sunt signa rerum. Ex. gr. vox *gallus* accipi potest pro ave domestica, et pro homine in Gallia nato; vox *homo* accipi potest pro persona, vel natura, vel specie humana; vox *animal* pro homine vel bruto etc. Quum autem veritas formalis non habeatur nisi in iudicio, et in eius orali expressione, quae est propositio; manifestum est suppositionem terminorum non habere locum nisi in propositione, et consequenter terminum non *supponere,* nisi sit *terminus actu,* non *potentia* tantum (n. 23). Manifestatur autem, quae sit suppositio termini diversis modis; saepe tamen ex ipso contextu sermonis, ut quum dico: *gallus volitat,* iam apparet *gallum* supponere pro ave domestica. Quod si dicerem: *gallus scribit epistolam*, iam appareret *gallum* supponere pro homine nato in Gallia.

Suppositio multipliciter dividitur, neque eodem modo ab omnibus. Nos praecipuas divisiones afferemus, incipientes a *praevia quadam divisione,* quae non est suppositionis *formaliter* dictae divisio, ut ex dicendis apparebit.

55. **Divisio praevia in materialem, seu late dictam suppositionem, et formalem, seu stricte dictam suppositionem.** Suppositio materialis (quam nos late dictam suppositionem vocamus) est usus termini pro seipso seu pro ipsa voce et sono materiali, ut: *Roma est vox.* Dividitur in *naturalem* et *artificialem. Naturalis* est usus termini pro seipso secundum id, quod habet a natura, ut quum dico: *Roma est vox. Artificialis* est usus termini secundum id, quod habet ab arte et institutione humana, ut quum dico: *Roma est vox primae declinationis.*

Suppositio formalis, seu stricte dicta, est usus termini pro suo significato distincto ab ipsa voce; ut quum dico *Roma est urbs.* Haec

suppositio multipliciter subdividitur. Sed antequam praecipuas eius divisiones proponamus, notandum est: 1° Quum terminus adhibetur materialiter seu pro seipso, dicitur *supponere* lato sensu, quia nihil ponitur loco sui ipsius. Iamvero ex tradita explicatione *suppositionis*, termini dicuntur *supponere*, quatenus ponuntur loco rerum, quas significant. Quapropter haec suppositio materialis habet tantum *analogiam* quamdam ad veram suppositionem. 2° Ipsa suppositio formaliter seu stricte dicta, subdividenda est inferius in suppositionem *materialem* et *formalem*, sed sensu prorsus diverso a praevia divisione. Nam in divisione allata vox *formalis* vel *materialis* afficit ipsam suppositionem ut in se est, prout possidet, vel non possidet formalem rationem suppositionis. In divisione autem afferenda, vox *formalis* vel *materialis* dicitur de suppositione prout respicit *formam* vel *subiectum* formae in re, quam significat, ut ex dicendis sub n. 58 apparebit.

CAPUT VII.

DIVISIONES PRAECIPUAE SUPPOSITIONIS FORMALIS SEU STRICTE DICTAE.

56. **Suppositio absoluta et relativa.** *Absoluta* est usus termini ex seipso aliquid significantis, sic in propositione: *Petrus est Princeps Apostolorum,* omnes termini habent suppositionem absolutam. *Relativa* est usus termini significantis loco alterius termini, cuius vices gerit. Ex. gr. in propositionibus: *Petrus et Paulus sunt Martyres*, *quia hic gladio*, *ille cruce pro Christo necati sunt;* termini *hic* et *ille* suppositionem relativam habent.

57. **Suppositio propria et impropria.** *Propria* est acceptio termini pro re, ad quam significandam est institutus; sic supponunt termini huius propositionis: *Vulpes foveas habent. Impropria* est acceptio termini pro significato non proprio, sed sibi accommodato, sive per metaphoram, ut quum *Herodes* vocatur *vulpes;* sive per communem loquendi consuetudinem, ut quum *S. Thomas Aquinas* vocatur *Angelus Scholarum.*

58. **Suppositio formalis et materialis.** (Haec divisio non est confundenda cum divisione inter suppositionem stricte et late dictam, de qua egimus supra sub n. 55, quia praesens est subdivisio suppositionis stricte dictae). Suppositio formalis est acceptio termini concreti pro *formali* parte rei significatae. Sic quum dico *album est accidens,* terminus *album* supponit *formaliter,* quia sumitur pro ipsa forma albedinis, quam significat in concretione, idest ut receptam in aliquo

subiecto (cfr. n. 46). Hanc suppositionem quidam vocant acceptionem termini pro eo, quod significat *in obliquo.*

Suppositio materialis est acceptio termini concreti pro materiali rei significatae, nempe pro subiecto receptivo formae, quam terminus concretus significat simul cum suo subiecto. Sic quum dico *album est dulce*, terminus *album* supponit materialiter, quia non sumitur pro albedine, sed pro subiecto albedinis. Non enim albedo est dulcis; sed id quod per formam albedinis est album, est simul dulce per formam dulcedinis, ut *lac.* Hoc sensu dicimus: *musicus est philosophus; sacerdos est grammaticus* etc. (1). Hanc suppositionem quidam vocant acceptionem termini pro eo, quod significat *in recto*, quia subiectum se habet quasi id, quod *stat* et *sustentat* omnes formas, secundum quas habet aliquod esse, sive substantiale, sive accidentale.

59. **Suppositio realis et logica.** *Realis* est acceptio termini pro praedicatis rei convenientibus independenter a mentis consideratione, quique primis intentionibus respondent; ut quum dico: *homo est intelligens; canis est animal latrabile* etc. — *Logica* est acceptio termini pro praedicatis, quae rei competunt dependenter a mentis consideratione, quique secundis intentionibus respondent; ut quum dico: *homo est species, animal est genus.*

60. **Suppositio particularis et universalis.** Prima est acceptio termini communis pro aliquo vel aliquibus ex suis inferioribus; ut: *aliquis Apostolus fuit proditor; aliquis homo est iustus.* Secunda est acceptio termini communis pro omnibus divisim inferioribus suis, ut: *omnis homo est animal rationale.* Ad dignoscendum utrum terminus habeat particularem vel universalem suppositionem, apponi solent *syncategoremata:* omnis, aliquis, duo, etc. (cfr. n. 28). — Quod si haec desint, vel praedicatum est de materia necessaria, idest de éssentia subiecti, ut *risibile* relate ad *hominem,* vel est de materia contingente, idest non exigitur necessario a natura subiecti, ut *album* vel *doctum* relate ad *hominem;* in primo casu ex ipso praedicato determinatur suppositio tamquam *universalis,* ut quum dico *homo est risibilis, est rationalis,* etc., in secundo casu suppositio remanet indeterminata.

61. **Suppositio collectiva et distributiva.** Collectiva est acceptio termini communis pro suis inferioribus simul sumptis, ut: *omnes Apostoli sunt duodecim.*

Distributiva est acceptio termini communis pro omnibus inferioribus *seorsim*, idest *divisim*, sumptis, ut: *omnes angeli sunt spiritus.* Quare coincidit cum suppositione universali, de qua egimus sub n. 60.

---

(1) Cfr. S. Th. 3. p. q. XVI. a. 7. ad 4. et art. 9. corp.

Subdividitur in *absolutam*, quae extenditur ad singula inferiora absque ulla exceptione, ut in exemplo allato: et *accommodam*, quae aliquam exceptionem admittit, sicut haec: *omnes filii Adam concepti sunt in peccato originali;* nam excipitur B. V. Maria. Tum *absoluta* tum *accommoda* subdividuntur in *distributivam pro singulis generum*, et *pro generibus singulorum*, idest vel pro omnibus divisim individuis alicuius generis, vel speciei, ut: *omnia animalia sunt mortalia;* vel pro omnibus speciebus alicuius generis, quarum unaquaeque ab aliquo individuo repraesentetur, ut: *omne animal fuit in Arca Nöe.*

62. **De Descensu et Ascensu.** Hisce utimur ad dignoscendum, utrum aliquis terminus supponat distributive an collective. *Descensus* est processus a termino communi ad sua inferiora per legitimam illationem; ex. gr. *omnes homines sunt mortales. Ergo Petrus est mortalis, Paulus est mortalis* etc. *Ascensus* est processus ab inferioribus ad terminum communem per legitimam illationem, ex. gr. *Petrus est mortalis, Paulus est mortalis* etc. *Ergo omnes seorsim homines sunt mortales.* Quod si non posset quis, sive per ascensum, sive per descensum, legitime inferre terminum, qui convenit omnibus simul, convenire singulis seorsim sumptis, iudicabit suppositionem esse collectivam; ex. gr. praedicatum *duodecim* competit omnibus simul Apostolis, non singulis, ergo supponit collective. Idem dicas de terminis: *exercitus, populus*, etc., qui sunt collectivi. Animadvertas eumdem terminum in diversa suppositione posse esse collectivum et distributivum: ex. gr. quum dico: *omnes Romani sunt populus*, vox *populus*, supponit *collective.* Quum autem dico: *omnes congregationes civium sunt populus*, vox *populus* supponit *distributive.*

63. **Suppositio discreta et discretiva.** Discreta est acceptio termini pro aliquo ex inferioribus, cui determinate competere debet praedicatio termini, *dum profertur;* ut dum de Petro, qui, alterutro oculo clauso, aliquid adspicit, ego dico: *aliquis Petri oculus videt.* Visio enim debet actu verificari determinate, vel de dextero, vel de sinistro oculo Petri. Talis suppositio locum habet, quum in propositione sermo est de *exercita*, idest *actuali* operatione, quae actu procedere nequit a subiecto indeterminato.

Suppositio discretiva est acceptio termini pro aliquo ex inferioribus, quin determinate uni vel alteri competere debeat, *dum profertur;* ut quum dico: *aliquis oculus requiritur ad videndum.* Id enim, neque necessario verificari debet de dextero, neque de sinistro, dum terminus profertur. Ratio est, quia non est sermo de operatione actu exercita, quae requirit subiectum determinatum, sed de exigentia alicuius operantis, quum operandum erit. Ad id autem nullum subiectum determinatum requiritur, ubi plura sunt apta ad operandum.

64. **De Appellatione.** *Appellatio* est applicatio formalis significati unius termini supra formale significatum alterius. Ex. gr. quum dico: *musicus cantat*, praedicatum *cantans* appellat subiectum; quia musicus cantat formaliter ut musicus. Contra, quum dico: *musicus pingit*, praedicatum *pingens* non *appellat* subiectum, sed habet suppositionem materialem stricte dictam; quia musicus non pingit quatenus habet formam artis musicae, sed quatenus habet formam artis pictoriae. Idcirco *appellatio* coincidit cum *suppositione formali* (n. 58); et, quando in propositione non invenitur aliud nomen praeter praedicatum et subiectum, statim apparet quinam sit terminus appellans, et quinam appellatus.

Quando autem invenitur aliud nomen praeter praedicatum et subiectum, illud nomen dicendum est appellare subiectum, cuius significatum formale convenit formali significato subiecti: illud autem nomen, cuius formale significatum convenit praedicato, praedicatum appellare dicendum est; ex. gr. quum dico: *Cicero fuit magnus orator,* nomen *magnus* evidenter appellat praedicatum. Si autem de Titio sermocinatore infimae notae sed corporis magnam molem habente, dicerem: *Titius est orator magnus*, nomen *magnus* appellaret subiectum; quia Titius inter suas notas individuales, seu formaliter qua Titius, habet magnitudinem corpoream.

Ad dignoscendum quando nomen appellat subiectum, et quando praedicatum, assignari solent quaedam regulae ex ipsa nominis collocatione desumptae. Sed quum hae neque sint communes omnibus idiomatibus, neque constanter verificentur in eodem idiomate; satis est diligenter perpendere contextum sermonis, atque ad aequivocationes vitandas uti *particulis reduplicantibus,* quales sunt *quatenus*, *secundum quid*, *reduplicative* etc. Ex. gr. quaerenti: an Christus fuerit ab aeterno? respondebis eum fuisse ab aeterno *secundum divinitatem*, *non secundum humanitatem suam.* Interroganti: an album possit esse dulce? respondebis album non posse esse dulce *reduplicative* ut album; sed ut dulce.

65. **Status** est acceptio termini pro tempore importato per copulam, ut: *Petrus est iustus*, *Petrus fuit iustus*, *Petrus erit iustus.* Ad veritatem harum propositionum *requiritur* et *sufficit,* ut praedicatum conveniat subiecto pro ea differentia temporis, quam copula importat, idest vel pro praesente, vel pro praeterito, vel pro futuro. Hinc praedicata essentialia non debent sumi cum statu, quia subiectum nequit concipi sine illis, ut: homo est animal, est risibilis etc.

66. **Ampliatio** est acceptio termini pro tempore diverso a tempore importato per copulam, ut: *mutus loquitur*, idest ille, qui fuit mutus, nunc loquitur.

67. **Restrictio** est coarctatio termini a maiori ad minorem significationem. Praecipui modi, quibus fit, sunt: 1° per appositionem nominis adiectivi termino coarctando, ut: omnis homo *iustus* est laudandus; 2° per additionem casus obliqui, ut: omnia verba *Christi* sunt salutaria; 3° per additionem substantivi inferioris, seu contenti in termino, cui additur, tamquam species in genere, vel individuum in specie, ut: animal *leo* est fortissimum: civitas *Roma* est celeberrima, etc.

68. **Diminutio** est coarctatio termini significantis totum aliquod integrale ad quamdam illius partem, ut: Aethiops est *albus dentibus.*

69. **Alienatio** est translatio termini a propria ad impropriam significationem, ut: Vicit Leo de tribu Iuda, idest Christus. Sic per alienationem, homo pictus dicitur *homo;* angeli dicuntur *rationales*, etc.

70. **Remotio** est ablatio totius significationis termini per additionem alicuius vocis cuius significatio sit contradictoria significationi illius; ut si dicerem, *homo irrationalis; creatura increata,* etc.

CAPUT VIII.

DE DEFINITIONE.

71. **Definitio** *est oratio explicans quidditatem, idest essentiam rei;* sic *animal rationale* est definitio hominis. Dicitur *oratio*, quia pluribus constare debet vocibus, ad hoc ut distincte notificet principia rei, quae concurrunt ad rem constituendam (1).

Stricte loquendo, definitio non est enunciatio aliqua affirmativa, sed est ea sola oratio, quae *conversim* praedicatur de *definito;* ut, respectu hominis, *animal rationale.* Neque dicas nos definire hominem dicendo: *homo est animal rationale;* nam in hoc enunciato vox *homo* non est pars suae definitionis; sed est *subiectum*, cui tamquam *praedicatum* definitio applicatur. Quapropter stricte dicta definitio est *oratio imperfecta*, seu *terminus complexus.*

72. **Definitio realis, et nominalis.** Definitio solet communiter dividi in definitionem *realem*, seu explicantem *quid rei*, et definitionem *nominalem,* seu explicantem *quid nominis.* Attamen haec non est proprie dicta divisio: nam definitio nominalis non est proprie definitio, sed est mera *interpretatio* nominis, quae fit vel per vocem alterius idiomatis, ut: φύσις *est natura;* vel per vocem clariorem eiusdem idiomatis, ut: *artus* sunt *membra;* vel per etymologiam, ut: *philosophia* est *amor sapientiae,* etc.

---

(1) Cfr. S. Th. in VII. Metaph. Lect. 9.

73. **Definitio quid rei, seu realis, dividitur iu essentialem, et descriptivam.** *Essentialis* fit per principia intrinsece constitutiva essentiae rei. Subdividitur in *logicam,* quae fit per partes logicas, nempe per genus et differentiam, ut: *homo est animal rationale:* et *physicam,* quae fit per partes physicas, ut: *homo est ens compositum ex corpore et anima rationali.*

Descriptiva est ea, quae explicat naturam rei per notas extrinsecas quidditati eius. Subdividitur in *propriam, accidentalem* et *causalem. Propria* rem notificat per suas proprietates, ut: *homo est animal risibile. Accidentalis* rem notificat per complexum accidentium, quae divisa possunt in aliis rebus inveniri, non vero simul; ut: *homo est animal implume, bipes, habens caput erectum. Causalis* est, quae rem explicat per causas extrinsecas, seu finalem, exemplarem, efficientem; ex. gr. *homo est creatus propter beatitudinem aeternam; est ad imaginem Dei* etc. Huc refertur definitio *genetica,* quae fit explicando modum productionis, seu genesim rei, ut: *Circulus est figura plana, resultans ex motu lineae rectae se vertentis circa fixam sui extremitatem.*

74. **Regulae ad bene definiendum:** I. Definitio sit clarior suo definito; secus non aperiret naturam rei.

II. Definitum non ingrediatur suam definitionem. Contra hanc regulam peccaret, qui diceret: homo definitur *animal humanum.*

III. Definitio non sit superflua, neque diminuta. Superfluitate peccaret haec: homo est *animal rationale corporeum.* Diminutione peccaret haec: homo est *vivens sensitivum.*

IV. Definitio fiat per genus proximum et differentiam ultimam; aut, si genus remotum sumatur, addantur omnes differentiae usque ad ultimam, ut: homo est *substantia corporea, vivens, sensitiva, rationalis.*

V. Definitio sit convertibilis cum suo definito, seu nec latius pateat, nec minus late. Hinc fiet *a)* ut conveniat omni et soli definito; *b)* ut possit mutuo inferri cum definito, ceu termini convertibiles aequales (n. 48); ex. gr. *est homo; ergo est animal rationale; est animal rationale; ergo est homo; c)* ut *omnia praedicata realia* definitionis conveniant definito, et vicissim. Dico *praedicata realia;* nam *praedicata intentionalia*, seu *secundae intentionis*, quum addant specialem respectum ad intellectum, non semper aeque conveniunt definitioni et definito. Hinc perperam quis inferret: *animal rationale est terminus complexus;* ergo *homo est terminus complexus.* Fieret nempe transitus ab ordine intentionali, seu logico, ad ordinem realem.

75. **Requisita ad hoc ut aliquid proprie definiri possit:** I. *Definitum* debet communicare vel actu vel potentiâ cum pluribus in aliqua ratione essentiali. Nam definire est statuere fines, seu *terminos*, inter

unum et aliud, quae invicem communicant; sicut quum agri delimitantur.

II. Haec ratio communis nequit esse aliqua ratio analogica transcendens, sed esse debet univoca. Nam pars determinans debet inveniri extra partem determinabilem: secus definitio non secerneret rem definitam ab aliis, cum quibus communicat. Porro nihil invenitur extra rationem transcendentaliter communem, quum nulla realitas dari possit, de qua ratio analogica transcendens non praedicetur.

III. Idcirco proprie definiri ea tantum possunt, quae sunt sub aliquo genere, sive *physico*, sive saltem *logico;* nempe, ut suo loco declarabimus, ea quae sunt composita *ex potentia subiectiva et actu*, videlicet ex principio reali determinabili et ex principio reali determinante. Haec est ratio cur Philosophi dicant *genus desumi a materia, differentiam a forma.*

IV. Genera suprema, et entia, quae transcendunt omne genus, non definiuntur, sed aliqualiter describuntur.

CAPUT IX.

DE DIVISIONE.

76. **Divisio** *est oratio totum in suas partes distribuens.* Divisio alia est *vocis*, alia est *rei.* Nos, omissa divisione vocis, quae potius est *distinctio* exhibens varias significationes eiusdem vocis, agimus de divisione rei, quae est *oratio exhibens partes, in quas totum aliquod ens distribuitur.*

77. **Totum** *est id, quod partes habet,* seu quod ex pluribus unum est. Porro secundum diversam rationem, qua forma totius inveniri potest in partibus, diversificantur genera totius, et consequenter genera divisionis. Partes enim se habent ad totum, ut materia ad formam. Iamvero, quum triplici modo inveniri possit forma totius in suis partibus; triplex exsurgit totum, videlicet: *universale*, *integrale* et *potentiale* seu *potestativum* (1).

I. Totum universale habetur, quum forma totius adest cuilibet parti secundum totam suam essentiam et virtutem, ut animal homini et equo (2). Quo in casu *partes* dicuntur *subiectivae*, quia unaquaeque est subiectum integrae formae totius; et *totum* dicitur *universale*, quia ad singulas partes secundum totam rationem suae essentiae et virtutis se extendit, ita ut distributive de eis *proprie* praedicetur. A quibusdam

---

(1) Cfr. S. Th. in IV. Sent. Dist. 16. q. 1. a. 1. solut. 3.
(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 77. a. 1. ad 1.

recentioribus vocatur *totum potentiale*, quia totum universale, quum praescindat a suis inferioribus; implicite, confuse et virtualiter ea omnia continet. Sic *animal* genus, tanquam totum potentiale, implicite continet omnes species et individua, de quibus ipsum praedicari potest. Sed hic est specialis respectus considerandi universale, sub quo convenit cum iis, de quibus sub n. III agemus.

II. Totum integrale habetur, quum forma totius neque secundum totam essentiam, neque secundum totam virtutem adest singulis partibus. Videlicet est illud, quod in sua perfectione integratur ex partibus, quae concurrunt ad ipsum constituendum, et idcirco integrales vocantur. Quapropter nullo modo de singulis partibus praedicatur, sed aliquo modo, licet improprie, de omnibus simul: ut si dicamus, quod paries, tectum et fundamentum sunt domus. Totum integrale a S. Thoma descriptum respondet *toti actuali* Recentiorum.

III. Totum potestativum (quod etiam *potentiale* a S. Thoma vocatur) habetur, quando forma totius adest singulis partibus secundum totam essentiam, sed non secundum totam virtutem. Duplici potissimum in casu locum habet: 1° ubi agitur de *quantitate virtutis* seu perfectionis, quatenus aliqua vis seu perfectio superior continet in se virtualiter alias inferiores vires; sic *rationale* continet *sensitivum* et *vegetativum*; *animal* continet in sua potentia *hominem, leonem, equum* etc.; 2° ubi agitur de *quantitate extensa continui homogenei*; tunc enim totum continuum continet potentiâ plures partes quantitativas, ut suo loco dicemus.

78. **Totum universale** dividitur in *proprie* et *improprie* dictum.

a) Ad proprie dictum universale requiritur, ut forma totius inveniatur *per se* et *univoce* in singulis partibus subiectivis, idest sit in eis essentialiter et secundum rationem identicam; huiusmodi est ratio generica et specifica relate ad sua inferiora: ex. gr. ratio animalis in homine et equo. Eius divisio in inferiora est divisio essentialis univoca.

b) Universale improprie habetur 1° quando forma totius invenitur *per se* sed *non univoce* in partibus subiectivis, ut ratio entis quae de suis inferioribus praedicatur quidem *per se* nempe essentialiter; sed secundum rationem proportionalem: quo in casu divisio est essentialis analogica, id est *analogi* in sua *analogata*.

2° Quando forma totius invenitur quidem *univoce*, sed per accidens; id est secundum rationem identicam, sed accidentaliter. De quo *universali per accidens* triplex fieri potest hypothesis, prouti *totius universalis forma* vel est aliquod accidens relate ad varias substantias. tanquam ad eius partes subiectivas, ut quum dico: *album dividitur in*

lilium, nivem, lac etc... Vel est aliqua substantia relate ad varia accidentia, tamquam ad eius partes subiectivas, ut quum dico: *homo dividitur in album, nigrum, iustum, impium* etc. Vel est aliquod accidens relate ad varia accidentia diversae rationis ab ipso, ut quum dico: *album dividitur in amarum, dulce, frigidum, veneficum* etc. Secundum hanc triplicem hypothesim, tripliciter fieri posse divisionem totius universalis accidentalis, manifestum est. Ubi nota divisionem colorati in album, rubrum, coeruleum etc. non esse divisionem universalis improprii accidentalis, sed universalis proprii in partes subiectivas proprias, quum sit divisio generis in suas species.

79. **Totum integrale** dispescitur in *unum per se et unum per accidens. Unum per se* est id, cuius est unum esse simpliciter, ut homo constas ex anima et corpore. *Unum per accidens* est id, cuius sunt plura esse simpliciter, ut domus, constans ex lapidibus, lignis, etc.

a) Totum integrale per se unum dispescitur *in totum essentiale,* et *totum quantitativum.* Totum essentiale est essentia composita ex partibus essentialibus incompletis in ordine essentiae, in quo una pars se habet ut potentia, alia ut actus. Dispescitur in *totum essentiale physicum,* quod constat ex partibus physicis, i. e. ex forma et materia realiter inter se distinctis, ut homo ex anima et corpore; et in *totum essentiale logicum* (a quibusdam vocatur *metaphysicum*), quod constat ex partibus logicis, i. e. ex genere et differentia, distinctis ab invicem ratione cum fundamento in re, ut homo ex animali et rationali, vel humanitas ex animalitate et rationalitate.

Totum quantitativum per se unum est quod extenditur in partes extra partes continuas; quae si sunt similares, vocatur totum homogeneum, ut massa aurea; si sunt dissimilares, vocatur totum heterogeneum, ut corpus humanum ex variis membris resultans.

b) Totum integrale per accidens unum dispescitur in logicum, morale, physicum, et aggregationis. Logicum est, quod complectitur rem et intentionem secundam, vel plures intentiones secundas: ex. gr. in propositione: *Petrus est homo, Petrus* est simul vox, subiectum et terminus; *homo* est vox, praedicatum et terminus.

Morale est multitudo entium rationalium, moralibus vinculis connexa, conspirantia ad eumdem finem, ut familia, civitas, natio.

Physicum est, quod constat partibus retinentibus propriam essentiam, quae nequaquam in uno esse simpliciter conveniunt. Attamen conveniunt in unico subiecto, quod dicitur esse *unum secundum quid;* ut homo albus.

Aggregationis est id, quod ita constat partibus retinentibus propriam essentiam, ut ne quidem in unico subiecto conveniant; talis est acervus lapidum.

80. **Nota 1°.** Unum et idem ens habere potest sub variis respectibus rationem totius universalis, integralis, et potentialis. Ex gr. *humana natura* quatenus consideratur ut *species*, univoce et divisim praedicabilis de individuis humanis, est *totum universale;* quatenus consideratur ut composita ex anima et corpore, est *totum integrale essentiale physicum;* quatenus consideratur ut composita ex animalitate et rationalitate, est *totum integrale essentiale logicum ;* quatenus consideratur ut constans capite, brachiis aliisque membris corporis humani, est *totum integrale quantitativum heterogeneum ;* quatenus consideratur ut potestate sua continens naturam, quae est tantum vegetativa, et naturam, quae est tantum sensitiva, rationem habet totius potentialis, seu potestativi. Similiter ratio *animalis*, quatenus consideratur ut *confuse* et *implicite* continens omnia sua inferiora, nempe species et individua, est *totum potentiale.*

Nota 2°. Sub diverso respectu aliqua habere possunt *reciproce* rationem totius et partis. Ex. gr. *genus animal* habet rationem totius relate ad *speciem homo*, si haec consideratur quatenus est pars *subiectiva* totius universalis. Si autem *species homo* consideretur, quatenus *est totum integrale essentiale logicum*, tunc *genus animal* habet rationem partis determinabilis ; nam *species homo* resultat ex animali et rationali (1).

Nota 3°. Variae divisionis species respondent variis speciebus totius, a quibus ipsum nomen desumunt, et ex hucusque dictis satis patent.

81. **Regulae divisionis** *sunt quatuor :* 1ª Totum divisum sit maius qualibet parte dividente. Contra hanc peccaret, qui divideret animal in rationale et sensitivum, quia omne animal est sensitivum. 2ª Totum divisum adaequetur membris dividentibus et vicissim. Contra hanc peccaret qui divideret Europam in Galliam, Germaniam et Italiam, nam desunt aliae regiones. 3ª Membra dividentia se mutuo excludant vel re vel ratione. Contra hanc peccaret, qui terram divideret in Europam, Asiam, Africam, Americam, Oceaniam et Italiam, nam Italia includitur in Europa. 4ª Sit relative brevis.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 85. a. 3. ad 2m.

CAPUT X.

INTRODUCTIO AD PRAEDICABILIA ET PRAEDICAMENTA.

82. **Praedicamenta,** graece Κατηγορίαι, sunt rationes quaedam supremae rerum, sub quibus gradatim inveniuntur rationes inferiores et minus universales usque ad infimas. Vocantur *praedicamenta*, quia de inferioribus *univoce* possunt praedicari. Vocantur etiam *suprema genera*, quia in aliquam ex illis tanquam in genus supremum omnia inferiora resolvi possunt, ipsa vero in genus ulterius resolubilia non sunt.

83. **Discrimen inter Praedicamentum Metaphysicum et Logicum.** Supremae rerum notiones vel considerantur *absolute* in seipsis, vel *relate* ad sua inferiora. Si absolute, sunt *praedicamenta metaphysica* et universalia directa, atque respondent *terminis primae intentionis* (n. 47). Huiusmodi est ex. gr. notio seu conceptus obiectivus *substantiae* per simplicem apprehensionem directe perceptae.

Si considerentur *relate* ad sua inferiora, ad quae se habent tamquam genera suprema, sunt universalia reflexa, et pertinent ad praedicamentum Logicum. Dico: pertinent ad praedicamentum logicum: sunt enim tantummodo pars eius. Nam

84. **Praedicamentum logicum** definitur « Ordinatio praedicabilium secundum subiectionem et praedicationem. » Videlicet est ipsa ordinatio seu conveniens dispositio alternorum generum et specierum usque ad individua sub uno supremo genere. Ex. gr. *Praedicamentum substantiae*, logice sumptum, est ea ordinatio praedicatorum essentialium, secundum quam ut primum seu infimum subiectum ponitur individuum, ex. gr. Socrates. Supra Socratem ponitur species specialissima *homo* (idest animal rationale). Supra animal rationale ponitur *animal* (idest corpus vivens sensitivum). Supra animal ponitur *corpus vivens*. Supra corpus vivens ponitur *corpus* (idest substantia corporea). Supra substantiam corpoream ponitur *substantia*.

85. **Praedicabilia.** Ad ordinem supradictum constituendum, in quo consistit Logicum Praedicamentum, scire oportet *modos communes aliquid praedicandi de alio*. Quos modos, ab Aristotele desumptos, coordinavit Porphyrius in sua Εἰσαγωγή et vocavit κατηγορέματα seu Praedicabilia.

Praedicabilia, quae definiuntur *modi communes aliquid univoce praedicandi de alio*, sunt quinque. Nam quinque tantum modis potest

aliqua notio universalis univoce de suis inferioribus praedicari. Etenim id, quod haec notio importat, vel est aliquid pertinens ad suorum inferiorum essentiam, vel est aliquid essentiae superadditum.

Si primum, vel est integra essentia, et habetur *notio specifica,* seu *species* (v. g. homo);

vel est pars determinabilis essentiae, et habetur *notio generica,* seu *genus* (v. gr. animal);

vel est pars determinans essentiae, et habetur *notio differentialis,* seu *differentia* (v. gr. rationale).


Si secundum, vel necessario competit omni et soli essentiae, et habetur *proprium* (v. gr. risibile);

vel contingenter essentiae competit, ita ut, hac salva, possit adesse vel abesse, et habetur *accidens* (v. gr. album).

86. **Corollarium. Eaedem rationes obiectivae sub diversis respectibus consideratae** *vocari possunt praedicata, praedicabilia* et *praedicamenta.* Quatenus enim praedicantur de rebus, vocantur *praedicata,* ut quum dico: *Petrus est substantia, est animal, est homo.* Quatenus praedicantur de suis inferioribus, tamquam genera vel species, vocantur *praedicabilia,* ut quum dico: *animal est genus, homo est species.* Quatenus sunt simul coordinatae in ordine praedicamentali, et constituunt integram aliquam seriem praedicatorum, vocantur *praedicamenta logica.*

ARBOR PORPHYRIANA

EXHIBENS PRAEDICAMENTUM LOGICUM SUBSTANTIAE.



Nota. Genera subalterna relate ad genera superiora rationem habent specierum, quae etiam subalternae vocantur.

87. Conditiones ut aliquid in praedicamento per se ponatur.

1ª *Sit logice univocum*, quia praedicari debet vel subiici secundum rationem simpliciter eadem. Hinc ipsum esse subsistens nempe Deus, et rationes transcendentes *entis, unius, veri, boni, alicuius* non cadunt sub ullo praedicamento; sed sunt supra omne genus.

2ª *Sit aliquid simpliciter finitum,* quia ens simpliciter infinitum quum sit actus purissimus subsistens, neque potest esse pars constitutiva alicuius speciei, neque constat partibus sive in ordine essentiae, sive in ordine existentiae. Porro, ut in Logica maiori demonstrabimus, compositio logica ex genere et differentia fundatur in reali compositione, sive tantum metaphysica ex essentia et existentia, ut contingit in speciebus angelicis, sive etiam physica ex materia et forma, ut contingit in speciebus corporeis (1).

3ª *Sit unum per se*, nempe unica quaedam natura. Etenim *unum per accidens*, quum sit aggregatum plurium naturarum, nequit esse sub praedicamento ratione sui, sed ratione naturarum, quas habet, reducitur ad varia praedicamenta, ad quae illae pertinent.

88. Triplex modus essendi in praedicamento, nempe vel directe, vel indirecte, vel reductive.

1. **Directe** ponitur in praedicamento *ens completum* seu *totum,* videlicet id, quod vel est formaliter completum vel saltem ad modum totius potentialis includit perfectionem eorum quae sibi subiiciuntur.

Quapropter in praedicamento substantiae directe ponuntur genera et species in concreto accepta, et individuae substantiae, quae licet individuentur ratione quantitatis dimensivae, tamen realiter identificantur cum ipsa substantia. Nomina autem abstracta generum et specierum substantialium, ut corporeitas, animalitas etc., quum exhibeant meram rationem partis, nequeunt directe poni sub praedicamento.

Dum contra in praedicamentis accidentium, ipsa abstracta generum et specierum directe ponuntur sub praedicamento; quia, ut suo loco videbimus, *tota essentia* accidentis consistit in aliqua forma receptibili in subiecto ab ipsa realiter distincto.

Ex modo dictis apparet cur nomina concreta substantialia sint directe sub praedicamento, ut *corpus, animal, homo:* non autem concreta accidentalia, puta *album, quantum, musicum;* quia videlicet quum essentia substantiae corporeae sit composita ex potentia subiectiva et forma substantiali; tota ratio essentiae exhibetur per nomen concre-

---

(1) Cf. S. Th. Opusc. de Ente et Essentia Cap. VI.

tum, quod importat *unum per se,* non *unum per accidens.* Dum e converso, quum essentia accidentis sit forma quaedam non subsistens, quae recipitur in substantia; nomen concretum accidentale, quum exhibeat subiectum cum forma, refert *unum per accidens*, quod nequit sub ullo praedicamento directe poni.

2. **Indirecte et a latere** ponuntur sub praedicamento ea, quae ordinantur ad constituendas species, nempe *differentiae.*

3. **Reductive** ponuntur principia physice constitutiva eorum, quae directe sunt in praedicamento, videlicet materia et forma, quae sunt physica principia speciei; partes integrantes, quae sunt principia individuorum; unitas praedicamentalis, quae est principium numeri, etc.

89. **Praedicatio denominativa praedicamentorum ad invicem.** Ratio aliqua generica vel specifica unius praedicamenti praedicatur de ratione generica vel specifica alterius praedicamenti *praedicatione denominativa.* Sic non dicimus: Substantia est *quantitas;* sed substantia est *quanta.* Etenim formalitates diversae nequeunt simul convenire, nisi ratione subiecti, quod eas suscipiat.

Denominativa autem dicuntur ab Aristotele (1): « Quaecumque ab aliquo differentia casu, secundum nomen habent appellationem, ut a grammatica grammaticus, a fortitudine fortis. » Videlicet sunt quaedam *nomina concreta*, quae recipiunt appellationem seu *denominationem* a quodam nomine abstracto (sicut *album* ab albedine). Et ideo necesse est, ut nomen denominatum differat casu a nomine denominante. Significat enim *in obliquo* formam, quam nomen denominans significat *in recto.* Sic nomen *album*, seu *habens albedinem*, significat in obliquo formam albedinis, quam nomen *albedo* significat in recto. Forma autem per nomen denominans significata se habet semper ad modum partis in re, quam nomen denominativum significat.

90. **De praedicatione in quid et in quale.** I. Aliquod nomen dicitur praedicare *in quid,* quando per ipsum respondemus quaestioni: *Quid est res.* Haec praedicatio est semper essentialis. Dicitur praedicatio *in quid complete*, si significat speciem: dicitur *in quid incomplete*, si significat genus.

Exempla. *Quid est Socrates? Est homo.* Praedicatio in quid complete.

Quid est Socrates? Est animal. Praedicatio in quid incomplete.

II. Aliquod nomen dicitur praedicare *in quale*, quando per ipsum respondemus quaestioni: *Qualis est res?* Haec praedicatio potest esse vel *in quale essentialiter* vel *in quale accidentaliter ;* quae iterum esse

(1) De Ante praedicamentis, c. 1.

potest vel in quale accidentaliter *necessario*, vel in quale accidentaliter *contingenter*.

a) Praedicatio *in quale essentialiter* habetur, quando respondemus quaestioni per nomen significans differentiam specificam. Ex gr. *Qualis est Socrates? Est rationalis.* Haec praedicatio vocatur etiam *in quale quid* vel *in eo quod quale.*

b) Praedicatio *in quale accidentaliter necessario* habetur, quum respondemus quaestioni per nomen significans *accidens proprium.* Ex. gr.: « Qualis est Socrates? Est risibilis. » Haec praedicatio vocatur etiam *in quale necessario.*

c) Praedicatio *in quale accidentaliter contingenter* habetur, quum respondemus quaestioni per nomen significans accidens contingens, nempe quod potest inesse vel non inesse subiecto, quin hoc corrumpatur. Ex. gr. *Qualis est Socrates? Est musicus.* Vocatur etiam praedicatio *in quale contingenter.*

91. **Definitiones singulorum praedicabilium.**

I. « Genus est notio universalis, quae de pluribus praedicatur *in quid incomplete.* » Ab Aristotele definitur: « Id quod de pluribus, ac specie differentibus in eo quod quid est, praedicatur » (1).

II. « Species est ratio universalis, quae de pluribus praedicatur *in quid complete.* » Vel cum Aristotele: « Id quod de pluribus, solo numero differentibus in eo quod quid est, praedicatur. »

III. « Differentia est notio universalis, quae de pluribus praedicatur *in quale quid.* » Vel « Quod de pluribus praedicatur *in quale essentiale.* »

IV. « Proprium est notio universalis, quae de pluribus praedicatur *in quale accidentaliter necessario.* » Definiri etiam potest: « Id quod de genere vel specie *per se primo* praedicatur *in quale accidentaliter.* » Quibus verbis innuimus *proprium,* secus *ac accidens logicum*, quod est quintum praedicabile) resultare ex principiis essentialibus rei, minime autem ex individualibus.

V. « Accidens est notio universalis quae de pluribus individuis praedicatur *in quale contingenter.* » Hoc ultimum vocatur *accidens logicum*, idest accidens logice inspectum. Nam accidens *metaphysice inspectum* latius patet, quum extendatur etiam ad *proprium.* Quidquid enim contradistinguitur a substantia, est sensu metaphysico *accidens.*

92. **Praedicamenta sunt decem:** Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, Ubi, Quando, Situs, Habitus. Quae ut facilius

---

(1) 1 Top. c. 9.

memoria retineantur, per vocabula hisce versiculis coordinata subindicantur in aliqua uniuscuiusque specie:

Arbor	sex	servos	ardore	refrigerat	ustos.
Subst.	*Quant.*	*Relat.*	*Qualit.*	*Actio*	*Passio*
Cras	ruri	stabo	sed tunicatus ero.		
Quando	*Ubi*	*Situs*	*Habitus.*		

Nota. Demonstratio denarii numeri praedicamentorum et caetera, quae respiciunt *antepraedicamenta*, *praedicabilia*, *praedicamenta* et *postpraedicamenta*, Logicae Maiori reservantur.

CAPUT XI.

DE QUADRUPLICI MODO DICENDI PER SE (1).

93. *Primo modo dicuntur per se* de aliquo subiecto, ea quae ingrediuntur eius definitionem, utpote principia intrinsece constitutiva essentiae eius. Sic *animal* dicitur de homine. (Hic est primus modus praedicandi per se).

Secundo modo dicuntur per se ea, in quorum definitione includitur subiectum. Quia sunt propria passio ipsius subiecti. Sic risibile dicitur de homine, rectum et curvum dicuntur de linea: habere tres angulos aequales duobus rectis, dicitur de triangulo, etc. (Hic est secundus modus praedicandi per se).

Tertio modo dicuntur per se ea, quae important aliquid solitarium seu identificatum cum subiecto; ut *Socrates*, *homo*, *equus;* non vero aliquid accidentale seu superadditum subiecto ; ut *album*, *ambulans* etc. Hic modus, rigorose loquendo, non est modus praedicandi per se, sed *est modus essendi per se.*

Quarto modo dicitur per se de aliquo subiecto, id quod habet cum eo necessariam connexionem propriae et immediatae causae ad proprium effectum. Sic iugulatio dicitur *per se* de interitu hominis iugulati, quia ideo homo interiit, quia fuit iugulatus. Non autem diceretur *per se* causa interitus eius hoc quod iverit in forum; quamvis si Titius ex. gr. non ivisset in forum, non fuisset interfectus; sed diceretur causa per accidens. (Hic quartus modus dicendi *per se* est, rigorose loquendo, tertius modus praedicandi per se, ut ex supradictis patet).

---


(1) Ex Arist. 1. Posterior. Cap. IV.

94. **Corollarium.** Ex eis, quae diximus sub n. 87 et 88, apparet dari *duos modos praedicandi per accidens,* quorum unus correspondet quarto praedicabili, et identificatur cum secundo modo dicendi per se; alius correspondet quinto praedicabili. Insuper apparet accidens metaphysicum directe opponi eis quae *primo modo dicuntur per se* (1).

95. **De praedicatione per se primo et non primo**. Praedicantur *per se primo* de aliquo subiecto, quae ita ei *per se* conveniunt, ut *conversim* de eo dicantur, nempe ut subiectum et praedicatum sint secundum sequelam termini pertinentes aequales (n. 48). Quod contingit, quum utraque habent aequalem extensionem (n. 53). Praedicantur autem *per se non primo* ea quae alicui subiecto *per se,* sed non *convertibiliter,* conveniunt. Ex. gr. *hoc quod est habere tres angulos aequales duobus rectis*, de triangulo generice sumpto praedicatur *per se primo;* de isoscele autem *per se non primo.* Sunt enim aliae species triangulorum praeter isoscelem. Et ideo ex eo quod aliqua figura habeat tres angulos aequales duobus rectis, sequitur quidem eam esse triangulum, non autem eam esse isoscelem.

---

(1) Cfr. S. Th. in V. Metaph. Lect. 22 in fine.



LOGICA MINOR

PARS SECUNDA

DE ENUNTIATIONE

CAPUT XII.

DE PARTIBUS ENUNTIATIONIS DEQUE GENERE SUB QUO CONTINETUR, IDEST DE NOMINE, VERBO ET ORATIONE.

96. « **Nomen** est vox significativa ex instituto sine tempore, cuius « nulla pars significat separata, finita et recta, quae cum verbo veram « aut falsam efficit orationem » (1).

Dicitur I. *Vox*, ut distinguatur ab aliis sonis. Etenim « vox est « sonus ex animalis ore prolatus, cum quadam imaginatione » (2).

II. *Significativa*, ut distinguatur a vocibus sive articulatis, ut *blitri,* sive inarticulatis, quae nihil significant.

III. *Ex instituto*, ut distinguatur a vocibus quae non ex humana institutione, sed naturaliter aliquid significant, ut gemitus et suspiria.

IV. *Sine tempore,* ut distinguatur a verbo et participio, quae significant per modum actionis et passionis, et consequenter per modum motus seu mutationis. Porro quum tempus sit mensura motus secundum prius et posterius, significare per modum motus, est significare cum tempore, ut *amo*, *amavi*, *amabo*. Nomen autem significat independenter a *successione temporis*, non solum res et mensuras temporum ut *dies*, *horas*, *annos;* sed ipsas actiones quas non exhibet ut actu procedentes a subiecto agente, sed ad modum habitus, ut *amor*, *cursus,* etc.

V. *Cuius nulla pars significat separata;* videlicet est *terminus incomplexus* (n. 45), et per hoc distinguitur ab oratione (cf. n. 98).

VI. *Finita*, ut distinguatur a terminis infinitis (n. 43), qui, nisi apponatur additum alienans, non significant aliquid determinate, ut *non homo*, *non leo* etc.

---

(1) Ex Arist. lib, 1. Periherm. c. 2.
(2) Ex Arist. De Anima lib. 2, text. 90.

VII. *Recta,* ut distinguatur a casibus obliquis ex. gr. *hominis, leonem,* etc.

VIII. *Quae cum verbo veram aut falsam efficit orationem;* ut distinguatur ab adverbiis et aliis partibus orationis, quae si solae ponantur cum verbo *est,* neque verum neque falsum dicunt.

97. **Verbum** definitur ab Arist. (loc. cit. cap. 3) « vox significativa ex instituto, cum tempore, cuius nulla pars significat separata, finita et recta, et est semper eorum, quae de altero praedicantur, nota. »

I. *Cum tempore,* quia verbum significat per modum actionis vel passionis, quae utpote identificata cum motu, mensurantur tempore, et esse attingunt in *nunc temporis*, ut in Metaph. Spec. dicemus.

II. *Finita*, quia vocabula per negationem infinita nullam habent determinatam significationem (n. 43). Iamvero repugnat ipsi essentiae verbi haec indeterminatio. Etenim de essentia verbi est ut significet convenientiam vel disconvenientiam praedicati cum subiecto. Sed id quod nullam habet determinatam significationem, nequit ea significare. Ergo necesse est ut verbum sit vox finita.

III. *Recta:* ut ostendatur verbum ex seipso et non per ordinem ad aliud significare actionem vel passionem simpliciter et actu, quae competunt rebus naturalibus in ipso *nunc* temporis continui (ut suo loco dicemus), nempe in tempore praesenti. Quare a verbo stricte accepto excluduntur *casus verbi* atque *verba obliqua*, qualia sunt omnes modi praeter indicativum, et omnia tempora praeter praesens quae vel minime significant actionem aut passionem, ut *Socrates curreret;* vel si eam significat tamquam praeteritam vel futuram, nequeunt intelligi, nisi in ordine ad praesens quod consignificant. Nam est praeteritum quod fuit praesens; futurum autem quod erit praesens (1).

IV. *Semper eorum, quae de altero praedicantur, nota,* nempe est signum seu nota praedicati. Per hoc distinguitur ab ipso *participio.* Nam verbum nunquam stare potest pro subiecto in propositione, nisi sumatur *materialiter* in vi nominis, sed semper cum copula praedicatum includit, seu dicit ipsum praedicatum in actu compositionis cum subiecto. Nam, ut ait S. Thomas (2): « Quodlibet verbum resolvitur in hoc « verbum *est* et participium: nihil enim differt dicere homo convale« scens est, et homo convalescit, et sic de aliis ». Porro τὸ *est*, in quod unumquodque verbum partialiter resolvi potest, est *nota seu signum compositionis* et vocatur *verbalis copula.*

Corollaria. Ex hac ultima parte definitionis verbi colliges: 1° *verbum stricte dictum* continere copulam et praedicatum, itu ut resolvi possit

---

(1) Cfr. S. Th. (in 1. Periherm. lect. 5).
(2) In 5 Metaphys. lect. 9.

in copulam *est* et in aliquod participium; 2° *copulam verbalem est* non esse verbum stricto sensu, sed latiori sensu, quia nequit resolvi in copulam et praedicatum; 3° si quando vocabulum *est* resolvitur in copulam et praedicatum, aequivoce sumi cum priori vocabulo *est;* tunc enim non *supponit* pro copula verbali, sed *supponit* pro aliquo verbo stricte dicto, quod significat *existere:* hinc quum dico: *Deus est,* verbum *est* includit copulam *est*, et praedicatum *existens:* ita ut resolvi debeat in hanc propositionem: *Deus est existens* (1).

Nota. Propositio de secundo adiacente est ea, in qua invenitur verbum stricte dictum, quod simul fungitur munere copulae et praedicati; ut: *Petrus currit.* Vocatur ita, quia praedicatum in verbo inclusum, immediate adiacet subiecto, secundum locum tenens.

Propositio de tertio adiacente est ea, in qua invenitur verbum late dictum, quod unice fungitur munere copulae verbalis, ut: *Petrus est currens.* Vocatur de tertio adiacente, quia vel praedicatum separatim habet tertium locum in propositione, vel copula *est*, ut: *Petrus currens est.*

98. « **Oratio,** generice sumpta, est vox significativa ad placitum, cuius partium aliqua separata significat, ut dictio, non ut affirmatio aut negatio » (2). Videlicet est complexus vocabulorum, quorum singula significant, ut mera dictio solitaria, non ut affirmatio aut negatio, quae sunt species orationis; neque ut terminus complexus, qui est oratio imperfecta (n. 72). Etenim:

Oratio dividitur in imperfectam et perfectam. Imperfecta est ea, quae imperfectum sensum generat in animo auditoris, eum relinquendo suspensum, ut: *homo albus; si Petrus curreret* etc. Perfecta autem est, quae perfectum sensum generat in animo auditoris, ut: *si Petrus curreret, acciperet bravium.*

Orationum perfectarum quinque sunt species: enunciativa, interrogativa, vocativa, imperativa et deprecativa. Nam, ut verbis utamur Auctoris Summae Totius Logicae Aristotelis (3):

« Sciendum quod ratio non solum concipit ipsas res, sed etiam per « suum conceptum alia dirigit et ordinat; concipiendo autem res in se, « format orationem indicativam seu enuntiativam: ordinando autem « alia, format alias orationes. Dirigitur autem et ordinatur aliquis ab

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 3. a. 4 ad 2.
(2) Arist. 1. Periherm. cap. 4.
(3) Tract. VII. c. 3. — Nota Opus citatum, non genuinum S. Th. Aquinatis, adcenseri solet inter opera Angelici Doctoris, eo quod eius doctrinam fere verbatim referat, atque in Editione Romana Operum S. Thom. iussu S. Pii V concinnata locum tenet Opusculi XLVIII. — Lectorem commonemus nos in citandis Opusculis S. Th. secuturos ordinem in hac Editione servatum.

« aliquo ad tria. Primo ad mente attendendum; et ad hoc pertinet « oratio vocativa. Secundo ad voce respondendum; et ad hoc pertinet, « oratio interrogativa. Tertio ad opus exequendum; et ad hoc pertinet, « quantum ad inferiores, oratio imperativa; quantum vero ad supe- « riores, oratio deprecativa, ad quam reducitur oratio optativa, quia « respectu superioris homo non habet vim innatam, nisi per expres- « sionem sui desiderii: suppositiva vero et conditionalis reducuntur « ad interrogativam. »

CAPUT XIII.

ENUNTIATIONIS ET IUDICII DEFINITIONES.

99. « **Enuntiatio** est oratio significans verum vel falsum » (1); vel « oratio affirmativa vel negativa alicuius de aliquo » (2). Ea *Enuntiatio*, vocatur ab Aristotele *Propositio,* quae ponitur in aliquo sillogismo; sed a Modernis promiscue usurpatur.

Enuntiatio est expressio *Iudicii,* quod definitur *actus quo mens affirmat vel negat praedicatum convenire subiecto.* Iudicium vocatur etiam: « operatio intellectus componentis et dividentis » — « compositio et divisio » — « affirmatio vel negatio » — « assensus vel dissensus mentis. »

CAPUT XIV.

DE MATERIA ET FORMA ENUNTIATIONIS.

100. Siquidem in omni ente composito principia intrinsece constitutiva eius se habent ad invicem unum ut determinabile, aliud ut determinans et constituens rem in suo esse, in eo ordine in quo se habent mutuo ut potentia et actus (ut in Ontologia demonstrabimus); etiam in hoc *ente rationis* quod est *enuntiatio*, adsignamus principium determinabile, quod, per quamdam analogiam ad composita corporea vocamus *materiam*, et principium determinans, quod vocamus *formam.*

Materia enuntiationis sunt termini, qui quidem, si considerantur extra enuntiationem in ratione *terminorum in potentia* (cf. n. 23. 4°), vocari possunt *materia remota* enuntiationis; si autem considerantur in enuntiatione in ratione *terminorum in actu*, quatenus nempe actu funguntur munere subiecti et praedicati, vocari possunt *materia proxima* eiusdem.

---

(1) Arist. 3. Periherm. c. 4.
(2) Arist. 1. Prior. c. 1.

Forma enuntiationis est copula verbalis, quae est signum seu *nota compositionis vel divisionis.* Etenim principium formale alicuius rei est illud quod eam in suo esse constituit. Atqui copula constituit enuntiationem in suo esse; quia per copulam affirmantem componitur praedicatum cum subiecto; per copulam negantem a subiecto dividitur; in qua copulatione vel divisione ipsum esse enuntiationis consistit. Ergo recte dicitur copula, forma enuntiationis.

Nota. Praedicatum sub diverso respectu consideratum in enuntiatione dici potest se habere *formaliter* vel *materialiter.* Quatenus nempe consideratur relate ad subiectum, se habet formaliter: quatenus autem consideratur relate ad copulam, se habet materialiter. Quatenus enim subiectum se habet ad praedicatum eo modo, quo suppositum se habet ad formam sibi inhaerentem, vel ad naturam in qua subsistit; dicuntur in propositionibus *praedicata teneri formaliter, subiecta autem materialiter.* Praedicatum enim significat ad modum formae, quae affirmatur vel negatur convenire subiecto (1). Quatenus autem tum subiectum tum praedicatum se habent ad copulam, tamquam ad principium ea determinans ad rationem subiecti et praedicati, et per hoc ad intrinsece constituendam enuntiationem in suo esse; utraque dicuntur *se habere materialiter ad copulam*, idest tamquam materia ad formam.

101. **Materia enuntiationis** dividitur in *necessariam, contingentem* et *impossibilem*, propter triplicem habitudinem quae intercedere potest inter praedicatum et subiectum. Est *necessaria* quando praedicatum significat aliquid, quod necessario competit subiecto, nempe vel principia essentialia, vel accidentia propria eius; ut *homo est animal, est rationalis, est risibilis.* Est *contingens*, quando praedicatum significat aliquod accidens commune subiecti, ut: *Petrus est albus.* Est *materia impossibilis* (quam quidam *remotam* vocant, sed non eo sensu quo nos sub n. 100 hanc vocem usurpavimus), quando praedicatum significat aliquid repugnans naturae subiecti, ut: *homo est irrationalis.*

REGULAE CIRCA SUPRADICTAS ENUNTIATIONES IN ORDINE AD VERITATEM.

1ª In materia necessaria omnis propositio affirmativa est necessaria, ideoque est semper vera; ut *homo est animal rationale.* Omnis propositio negativa est impossibilis, ideoque est semper falsa, ut: *homo non est animal rationale, non est risibilis* etc.

2ª In materia impossibili seu remota, omnis propositio negativa est necessaria et semper vera, ut: *homo non est irrationalis, non est piscis* etc., omnis affirmativa est impossibilis et semper falsa, ut: *homo est asinus, est increatus* etc.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. XIII. a. 12.; et in 1. Periherm. Lect. VIII.

3a In materia contingenti omnis propositio, sive affirmativa sive negativa, est contingens et potest esse sive vera sive falsa, ut: *homo est doctus; asinus est albus* etc.

102. **Ratione dispositionis terminorum,** vel (ut sub. n. 100 eam accepimus) ratione materiae remotae, dispescitur enuntiatio in *naturalem* et *innaturalem. Naturalis* seu *directa* est in qua praedicatum se habet ad subiectum, vel ut magis universale ad minus universale, ex. gr. *homo est animal;* vel ut accidens ad subiectum, ex. gr. *homo est doctus;* vel ut distinctum ad confusum, ex. gr. *homo est animal rationale. Innaturalis*, seu *indirecta* est ea, quae inverso modo terminos disponit, ut *animal est homo* etc. (n. 25).

Item *ratione materiae remotae,* idest *terminorum in se inspectorum,* dividitur enuntiatio in *finitam* et *infinitam. Finita* est ea in qua tam subiectum quam praedicatum sunt termini finiti, ut *homo est iustus. Infinita* est ea in qua vel subiectum, vel praedicatum vel utrumque sunt infinita, ut *non homo est animal; non homo est non arbor* etc. Qua in re sedulo notandum est, nomen infinitum quodammodo significare unum; non quidem unum simpliciter, sicut nomen finitum, quod significat unam formam generis, vel speciei aut etiam individui; sed unum secundum quid, *negationem* videlicet *formae alicuius*, in qua negatione multa conveniunt sicut in quodam uno secundum rationem; et ideo non obstare unitati enuntiationis in qua invenitur. Ex. gr. quum dico: *homo est non arbor;* dico: *homo est aliqua res ex eis, quibus non competit forma arboris* (1).

CAPUT XV.

DE QUANTITATE ET QUALITATE ENUNTIATIONIS.

103. **Quantitas enuntiationis** est eius extensio, quae ab extensione subiecti mensuratur (cf. n. 53). Ratione quantitatis enuntiatio dividitur in *universalem, particularem, indefinitam* et *singularem.*

Universalis est ea, in qua subiectum est terminus communis, affectus signo seu syncategoremate universali, ut: *omnis homo est rationalis; nullus homo est angelus* (cf. n. 28).

Particularis est ea, in qua subiectum est terminus communis affectus signo seu syncategoremate particulari, ut: *aliquis homo est sapiens; non omnis homo est pius.*

Indefinita est ea in qua subiectum est terminus communis nullo

---

(1) Cfr. S. Th. in 2. Periherm. Lect. VIII.

signo affectus, ut: *homo est animal; homo est iustus.* Huiusmodi propositiones in materia necessaria vel impossibili aequivalent universalibus, ut *homo est animal; homo non est lapis;* aequivalent his: *omnis homo est animal; nullus homo est lapis.* In materia contingente aequivalent particularibus ut: *homo est iustus,* nempe: *aliquis homo est iustus.*

Singularis est ea, in qua subiectum est terminus singularis, ut: *Petrus est iustus; hic homo est philosophus.* Similiter considerantur ut singulares *a)* eae enunciationes, quarum subiecta habent suppositionem *logicam* (quam quidam vocant *simplicem,* eiusque oppositam vocant *personalem,* quam nos vocavimus *realem* n. 59), ut: *homo est species.* Nam id quod substat secundae intentioni, semper sumitur ut *quid unum* abstracte ab individuis; *b)* enunciationes, quarum subiecta supponunt *collective* (n. 61); quia subiectum est una aliqua collectio, ut: *omnia sacramenta sunt septem.*

104. **Qualitas enuntiationis** est id quod respicit ipsam eius formam, nempe ipsam coniunctionem praedicati ad subiectum. Dividitur in qualitatem essentialem seu intrinsecam, et accidentalem seu extrinsecam. QUALITAS ESSENTIALIS SEU INTRINSECA est ipsa *affirmatio* et *negatio.* quae ad modum essentialis differentiae dividit enuntiationem in duas species, nempe in *affirmativam* vel *negativam.* Vocatur qualitas essentialis, quia est differentia specifica, quae praedicatur *in quale essentialiter* seu *in quale quid.*

QUALITAS ACCIDENTALIS SEU EXTRINSECA est veritas, falsitas et caetera accidentia extrinseca, quae contingere possunt enuntiationi ratione coniunctionis praedicati cum subiecto.

105. Ratione qualitatis essentialis, dividitur enuntiatio seu propositio in affirmativam et negativam.

Enuntiatio affirmativa, seu affirmatio, vocatur ab Aristotele (1) *enuntiatio alicuius de aliquo*, seu oratio significativa de eo quod est aliquid. Ex. gr. *homo est animal; Petrus est iustus.* In ea praedicatum tribuitur subiecto; eiusque copula verbalis est copula *est* (cf. n. 100).

Enuntiatio negativa seu negatio dicitur ab eodem *enuntiatio alicuius ab aliquo,* seu oratio significativa de eo quod non est aliquid. Ex. gr. *homo non est arbor: Petrus non est iustus.* In ea praedicatum removetur a subiecto; eiusque copula verbalis est copula *non est.*

Nota. Sedulo notandum est, in enuntiatione negativa τό *non* afficere ipsam copulam *est*, ut eam reddat negantem; minime autem afficere terminos; secus propositio non evaderet negativa, sed infinita. Falso

---

(1) I. Periherm. c. 4.

autem a quibusdam recentioribus enuntiatio infinita cum negativa confunditur. Nam enuntiationes infinitae, non secus ac finitae, aliae sunt affirmativae, aliae negativae; ex. gr. *homo est non arbor* est infinita affirmativa: *homo non est non animal* est infinita negativa; quia (ut innuimus sub. n. 102) terminus infinitus non importat meram negationem, sed simul cum negatione unius formae, importat indeterminate omnia quae non sunt sub illa forma, sicut ex. gr. *non arbor* simul cum negatione formae arboris, importat indeterminate ea, quae non sunt sub forma arboris; et ideo de quolibet quod non sit arbor, affirmari potest quod *est non arbor*, videlicet *est aliquid aliud* ab arbore.

CAPUT XVI.

ENUNTIATIONIS SIMPLICIS ET COMPOSITAE DEFINITIONES ET DIVISIONES.

106. **Enuntiatio simplex** (quae etiam *categorica* seu *praedicativa* vocatur) est ea, in qua enuntiatur unum de uno. Dicitur simplex, quia est simpliciter seu perfecte una, quum non constet ex pluribus propositionibus in aliqua unitate imperfecta copulatis. Dividitur in *absolutam* seu *de inesse,* et *modalem.*

Absoluta seu de inesse est ea, quae tantum enuntiat praedicatum inesse vel non inesse subiecto, ut *Socrates currit; homo est animal*, etc.

Modalis est ea, quae ita enuntiat praedicatum inesse vel non inesse subiecto, ut simul significet modum quo inest vel non inest; ut: *Socrates* CONTINGENTER *currit; hominem esse animal,* NECESSARIUM EST. Quapropter enuntiatio modalis constituitur *ex propositione absoluta et ex significatione modi*, quo praedicatum inest vel non inest subiecto: seu constat EX DICTO et EX MODO.

MODUS autem exprimi potest dupliciter; nempe vel *adverbialiter,* ut quum dico: *Socrates* CONTINGENTER *currit;* vel *nominaliter*, ut: *Socratem currere* EST CONTINGENS. Primo in casu, subiectum et praedicatum remanent sicut in absolutis, et propositionum quantitas variatur pro varia suppositione subiecti; ut: *omnis homo* NECESSARIO *est risibilis; aliquis homo* CONTINGENTER *est philosophus*, etc. Secundo in casu, MODUS significatur per nomen, et locum tenet praedicati; DICTUM autem exprimitur per enuntiationem infinitivam, et tenet locum subiecti; ut: *omnem hominem esse risibilem est* NECESSARIUM. Propositionum huiusmodi *quantitas* non variatur, sed est semper singularis; nam subiectum supponit pro aliqua enuntiatione determinata. *Forma* autem seu *copula* talium propositionum est ea quae *modum dicto* iungit per affirmationem; ut:

Socratem currere EST *contingens;* aut *modum a dicto* seiungit per negationem, ut: *Socratem currere* NON EST *necessarium.* Quomodo tamen ratione modi possint assimilari universalibus vel particularibus, dicebimus inferius.

107. **Modi** queis variari possunt propositiones modales, sunt tantum quatuor, nempe: IMPOSSIBILE, POSSIBILE, NECESSARIUM et CONTINGENS. Etenim, ut ex definitione propositionis modalis apparet *modi*, propter quos enuntiationes dicuntur modales, non sunt qui modificant dumtaxat rem, quae de subiecto praedicatur; sed qui modificant seu determinant *ipsam compositionem praedicati cum subiecto*, et ideo afficiunt totam enuntiationem, afficiendo ipsam eius formam. Quapropter propositiones modales non aliter variari possunt, nisi ratione varii modi quo praedicatum potest convenire vel disconvenire subiecto. Iamvero hi modi sunt tantum ii quatuor quos supra indicavimus. Nam vel praedicatum repugnat subiecto, vel non repugnat. Si repugnat, habemus primum modum, nempe praedicatum convenire subiecto EST IMPOSSIBILE e. g. *hominem esse irrationale, est impossibile.* Si non repugnat, vel potest inesse subiecto, quamvis fortasse non insit; vel actu inest. Si potest inesse subiecto, quamvis non insit, habemus secundum modum, nempe POSSIBILE, ex. gr. *Socratem currere est possibile.* Si actu inest, vel inest necessario, vel contingenter. Si primum, habemus tertium modum, nempe NECESSARIUM, ex. gr. *hominem esse rationale est necessarium.* Si secundum, habemus quartum modum, nempe CONTINGENS, ex. gr. *Socrates contingenter currit;* vel *Socratem currere est contingens.*

Nota. *Verum* vel *falsum* non constituunt speciales modos, quia veritas et falsitas sunt qualitates extrinsecae, quae inveniri possunt in qualibet specie enuntiationis. Reliqui autem modi ex. gr. *velociter*, *diligenter* etc. non afficiunt ipsam compositionem sed rem dumtaxat quae de subiecto praedicatur, ut: *Socrates currit velociter: Petrus discit diligenter* etc.

108. **Enuntiatio composita** est ea in qua enuntiantur plura quae coniunctione fiunt unum. Dividitur in *multiplicem* seu *copulativam* et *hypotheticam.*

a) ENUNTIATIO MULTIPLEX SEU COPULATIVA. Si propositiones iungantur simul absque ullo ordine mutuae dependentiae, habemus *enuntiationem multiplicem* seu *copulativam*, ut *Petrus currit et Socrates dormit.* Ad hanc classem reduci possunt *propositiones exponibiles*, quae videntur simplices, sed sunt implicite compositae propter additamentum particulae *exclusivae*, vel *exceptivae*, vel *reduplicativae*, vel *compara-*

tivae; ut: *Deus* DUMTAXAT *est aeternus. Omnia* PRAETER *Deum sunt finita. Homo* QUATENUS *corporeus est mortalis. Bruta sunt* PERFECTIORA *plantis.* Quarum singulae in duas propositiones resolvi possunt: ut: *Deus est aeternus; et caetera entia non sunt aeterna* etc.

b) ENUNTIATIO HYPOTHETICA. Si propositiones iungantur simul cum ordine mutuae dependentiae, vi cuius plures propositiones concurrant ad aliquid significandum, quod separatae non significarent, habemus *enuntiationem hypotheticam* quae definitur « oratio significans unum verum vel falsum ex suppositione. » Eius unitas quamvis sit unitas compositionis, tamen est unitas simpliciter. Sic dicendo: *si cras pluet, Tiberis exundabit;* significo aliquid, quod non significarem, si dicerem separatim; *cras pluet, Tiberis exundabit.* Nam significo *nexum* inter pluviam et Tiberis exundationem. Hinc apparet veritatem istarum propositionum compositarum non pendere a veritate singularum propositionum quae connectuntur, sed a veritate *nexus* inter unam et aliam. Sic quamvis hae propositiones sint falsae: *quercus intelligit; aliqua arbor intelligit;* tamen propositio hypothetica ex earum coniunctione resultans est vera: *Si quercus intelligit, aliqua arbor intelligit.* Contra, quamvis essent verae propositiones: *Petrus dormit et Sol lucet;* falsa esset propositio composita: *Si Petrus dormit, Sol lucet.*

c) ENUNTIATIO HYPOTHETICA DISPESCITUR IN TRES PRAECIPUAS SPECIES pro diverso modo dependentiae unius propositionis ab alia. Nam

1° Si verificatio rei significatae per unam propositionem dependet ab existentia rei significatae per aliam, tamquam conditionatum a conditione vel tamquam effectus a causa (ut: *si Sol lucet, dies est*); habemus propositionem stricte *conditionalem,* vel *causalem,* in qua nexus exprimitur, per particulas *si, quia* et similes;

2° Si verificatio rei significatae per unam propositionem connectitur cum non existentia rei significatae per aliam (quae connexio exprimitur per particulam *non* praemissam uni enuntiationi, et particulam *et* praemissam alteri; ut: *non est dies, et est nox*); habemus enuntiationem quae vocatur *coniuncta* vel *coniunctum;*

3° Si verificatio rei significatae per unam propositionem contradictorie opponitur existentiae rei significatae per aliam propositionem (quae oppositio significatur per particulas disiunctivas *vel, aut,* et similes, ut *aut vivit, aut non vivit*); habemus enuntiationem, quae vocatur *disiuncta,* vel *disiunctum.*

Nota. Particulae suspensivae harum enuntiationum (quae sunt: *Si, quia, aut* etc.) dicuntur earum formae, quia constituunt enuntiationes in sua specie.

CAPUT XVII.

DE ACCEPTIONE PRAEDICATI QUOAD EIUS COMPREHENSIONEM ET EXTENSIONEM IN PROPOSITIONIBUS AFFIRMATIVIS ET NEGATIVIS.

109. I. *In propositione affirmativa* praedicatum tribuitur subiecto secundum omnes et singulas notas suae comprehensionis. Ratio est, quia asserendo praedicatum convenire subiecto, hoc ipso asserimus subiectum habere omnes et singulas notas, quas exhibet idea praedicati. Sic cum dico hominem esse corpus, hoc ipso dico competere homini omnes proprietates corporeas v. g. extensionem, compositionem physicam etc. Attamen hoc ipso non asserimus subiectum habere tantum notas, quas exhibet conceptus praedicati. Nam homo v. g. non habet tantum proprietates corporeas, sed alias etiam quae non exhibentur a conceptu illius praedicati.

II. *In propositione affirmativa* (nisi sit terminus singularis vel singulari aequivalens) praedicatum habet suppositionem *particularem.* Etenim affirmando praedicatum convenire subiecto, non affirmamus subiectum esse omne id cui convenit praedicatum sed tantummodo unum ex illis. Sic cum dico: *homo est animal*, non dico hominem esse omne animal, sed aliquod animal.


III. *In propositione negativa* praedicatum removetur a subiecto secundum totam comprehensionem praedicati collective sumptam, non secundum singulas eius notas. Etenim ut unum non sit aliud, sufficit, ut non habeat omnes simul notas quae hoc aliud constituunt, quamvis habeat aliquas vel etiam reliquas omnes, una excepta. Sic, ut canis non sit homo sufficit ut non habeat collectionem notarum, quibus constat essentia hominis; quamvis aliquas habeat.

IV. *In propositione negativa* praedicatum (nisi sit terminus singularis vel singulari aequivalens) generatim habet *suppositionem distributivam;* adeoque est terminus *universalis.* Ratio est quia removendo subiectum ab extensione praedicati, affirmamus subiectum non esse ullam ex rebus, quae continentur sub praedicati extensione. Sic si *canis* esset aliqua ex rebus, quae continentur sub extensione praedicati *homo*, non possem cum veritate asserere: *canis non est homo.*

CAPUT XVIII.

DE OPPOSITIONE ENUNTIATIONUM.

110. **Oppositio** generaliter accepta definitur: *Enuntiationum, idem habentium praedicatum atque subiectum, repugnantia secundum qualitatem, vel quantitatem vel utramque.* Dividitur in oppositionem CONTRADICTORIAM, CONTRARIAM, SUBCONTRARIAM et SUBALTERNAM.



Contradictoria oppositio est ea, per quam duae enuntiationes idem habentes praedicatum et subiectum differunt quantitate et qualitate ut: *omnis homo est albus; aliquis homo non est albus* (cfr. nn. 103, 104). *Contradictio* autem definitur *affirmatio et negatio eiusdem de eodem, respectu eiusdem in eodem sensu, et in iisdem omnino circumstantiis.*

Contraria est ea, per quam duae propositiones universales differunt in sola qualitate; ut: *omnis homo est albus; nullus homo est albus.*

Subcontraria est ea per quam duae propositiones particulares differunt in sola qualitate; ut: *aliquis homo est albus; aliquis homo non est albus.*

Subalterna est ea per quam duae propositiones eiusdem qualitatis differunt in quantitate, ut: *omnis homo est albus; aliquis homo est albus.*

111. Mutuae relationes oppositarum enuntiationum in ordine ad veritatem et falsitatem.

I. Contradictoriae nequeunt esse simul verae nec simul falsae, sed alterutra esse debet vel vera vel falsa; quia una simpliciter affirmat quod altera negat, et ideo nihil medium invenitur inter illas. Opponuntur videlicet sicut *esse* et *non esse*, inter quae non datur medium: quum nihil possit simul esse et non esse. Unde ex veritate unius infertur falsitas alterius, et ex falsitate unius veritas alterius.

II. Contrariae nequeunt esse simul verae, quia in negatione universalis oppositae continetur negatio particularis subalternae, quae contradictorie opponitur alteri universali. Iamvero duae contradictoriae nequeunt esse simul verae. Attamen in materia contingenti esse possunt simul falsae; quum enim una plus affirmet vel neget, quam opus sit ad exclusionem alterius, invenitur aliquid medium inter illas. In quo medio esse potest veritas, remanente falsitate in utroque extremo. E. g. inter has contrarias: *omnis homo est iustus; nullus homo est iustus* datur medium: *aliquis homo est iustus;* quod est verum. Unde ex veritate unius iure inferimus falsitatem alterius; sed non ex unius falsitate, alterius veritatem.

III. Subalternae in materia contingenti *possunt* esse simul verae, vel simul falsae, quia particularis includitur in universali, non tamen *debent* esse simul verae vel falsae, quia universalis non includitur in particulari. Ex. gr. verum est *aliquem* hominem esse album: falsum autem *omnem* hominem esse album.

IV. Subcontrariae possunt esse simul verae, quia habere possunt subiecta diversa ut: *aliquis* homo ex. gr. *Europaeus* est albus, *aliquis* homo ex. gr. *Aethiops* non est albus, non possunt esse simul falsae, quia in hac hypothesi earum contradictoriae essent simul verae: atqui hae ad invicem contrarie opponuntur, ut: *omnis* homo est albus; *nullus* homo est albus. Quum igitur hae non possint esse simul verae; neque subcontrariae esse possunt simul falsae.

Corollarium. Propositiones singulares nequeunt opponi, nisi contradictorie; quia earum subiectum est ultimo determinatum, ut: *Petrus est doctus; Petrus non est doctus.*

CAPUT XIX.

DE AEQUIPOLLENTIA ENUNTIATIONUM.

112. **Aequipollentia** est duarum enuntiationum aequivalentia in significando, ut: *omnis homo est rationalis; nullus homo non est rationalis.*

Duae propositiones reducuntur ad eamdem significationem ope par-

ticulae negantis NON, quae mutat in sensum oppositum dictionem cui praefigitur; et ideo vocatur malignantis naturae; neque est confundenda cum particula infinitante.

Quare I. si particula negans praefigitur toti enuntiationi (quod fit quum subiecto praefigitur), mutat tum quantitatem tum qualitatem eius. Ex. gr. *Omnis homo est albus;* NON *omnis homo est albus.* Quasi diceretur: MINIME *omnis homo est albus;* nempe: *aliquis homo non est albus.* Hoc modo una contradictoria reducitur in aliam.

II. Si particula negans praefigitur copulae, mutat tantum qualitatem enuntiationis, ut: *Omnis homo est albus; omnis homo* NON *est albus;* nempe: *nullus homo est albus.* Similiter: *Aliquis homo est albus; aliquis homo* NON *est albus.* Hoc modo contrariae et subcontrariae reducuntur in suas oppositas.

III. Tandem si particula negans praefigitur tum subiecto tum copulae, mutatur sola quantitas; ut: *Omnis homo est albus;* NON *omnis homo non est albus:* nempe: *aliquis homo est albus.* Hoc modo subalternae reducuntur in suas oppositas.

Hae regulae sequenti adumbrantur versiculo: PRAE *contradic.,* POST *contra;* PRAEPOSTQUE *subalter.*

Nempe; in contradictoriis negationem subiecto praepone; in contrariis et subcontrariis postpone; in subalternis praepone atque postpone.

CAPUT XX.

DE CONVERSIONE ENUNTIATIONUM.

113. **Conversio** est unius enuntiationis ad aliam necessaria consequentia, per transpositionem extremorum (idest subiecti in praedicatum et praedicati in subiectum), salva tam intrinseca quam extrinseca eius qualitate. Ex. gr. *Nullus homo est lapis. Ergo nullus lapis est homo.*

Enuntiatio cuius extrema transponuntur vocatur *conversa;* ea vero quae ex terminorum transpositione resultat vocatur *convertens.*

Conversio dividitur in simplicem, per accidens, et per contrapositionem.

CONVERSIO SIMPLEX est ea, in qua servatur quantitas enuntiationis conversae. Ex. gr. *Nullus homo est lapis. Ergo nullus lapis est homo.*

CONVERSIO PER ACCIDENS est ea in qua non servatur quantitas enuntiationis conversae. Ex. gr. *Omnis homo est animal. Ergo aliquod animal est homo.*

CONVERSIO PER CONTRAPOSITIONEM est ea in qua servatur eadem quantitas, sed extrema transposita infinitantur per particulam *non.*

Ex. gr. *Omnis homo est animal. Ergo omne non animal est non homo.* Vocatur conversio per contrapositionem, quia fit per terminos infinitos, qui finitis contraponuntur. Attamen non est proprie conversio, quia termini prorsus immutantur.

114. Conversione simplici convertuntur *a)* enuntiationes universales negativae; *b)* particulares affirmativae; *c)* universales affirmativae quarum termini, ratione *materiae,* sunt convertibiles (n. 101). Ratio primi et secundi est, quia ad servandam eamdem quantitatem necesse est, ut praedicatum enuntiationis conversae se habeat quoad extensionem sicut subiectum. Iamvero id verificatur in universalibus negativis, in quibus tum subiectum tum praedicatum accipiuntur distributive (cf. n. 109), et in particularibus affirmativis, in quibus accipiuntur *particulariter.* Hinc recte inferes: *nullus homo est lapis; ergo nullus lapis est homo. — Aliquis homo est albus; ergo aliquod album est homo.* Ratio tertii est, quia in materia necessaria praedicatum enuntiationis affirmativae universalis aeque patet atque subiectum; ut: *Omnis homo est risibilis. Ergo omne risibile est homo.*

115. Convertuntur per accidens *a)* universales affirmativae: *b)* universales negativae. Ratio primi est, quia in his praedicatum accipitur particulariter; et si transit in locum subiecti, salva propositionis qualitate extrinseca, retinere debet suam particularem acceptionem; ex. gr. *Omnis homo est animal. Ergo aliquod animal est homo.* Ratio secundi est quia, quum negativa universalis convertatur etiam conversione simplici, si erit vera universalis negativa, erit etiam vera particularis negativa, quae ei subalternatur (n. 111. III). Quare possum dicere: *Nullus homo est lapis. Ergo aliquis lapis non est homo.* Unde patet universalem negativam duplici modo proprie dictae conversionis gaudere.

116. Conversione per contrapositionem converti possunt *a)* universales affirmativae, *b)* particulares negativae. Ex. gr. *Omnis homo est animal. Ergo omne non animal est non homo. — Aliquis homo non est albus; ergo aliquis non albus non est non homo.*

Nota 1. Dialectici ad iuvandam memoriam regulas supradictas his versiculis incluserunt, in quibus per litteram A significatur propositio universalis affirmans, per E universalis negans, per I particularis affirmans, per O particularis negans:

Simpliciter fEcI convertitur, EvA per accid.
AstO per contrap. Sic fit conversio tota.

Significatum vero litterarum A, E, I, O, hisce versiculis exprimunt:

Asserit A, negat E, verum generaliter ambo.
Asserit I, negat O; sed particulariter ambo.

Nota 2. Ad conversionem recte faciendam *a)* servanda est integritas subiecti et praedicati. Hinc perperam quis inferret: *Petrus manducat piscem. Ergo piscis manducat Petrum.* Nam praedicatum conversae est *manducat piscem. b)* Servandae sunt proprietates terminorum, nempe *status, ampliatio, restrictio*, etc. Hinc non dices: *senex fuit puer; ergo puer fuit senex.* Sed: *qui fuit puer est, vel fuit vel erit senex.* Nam in conversa *puer* habet statum pro praeterito: *senex* vero *ampliationem* ad alias temporis differentias (nn. 66, 67).

CAPUT XXI.


DE OPPOSITIONE ET AEQUIPOLLENTIA MODALIUM.

117. **Qualitas propositionum modalium** variatur sicut qualitas absolutarum, nempe prouti copula caret vel afficitur particula *non.* Attamen, ait Auctor Summae Logicae Aristotelis (1): « Sciendum quod « licet enuntiatio modalis dicatur affirmativa et negativa *a modo* af- « firmato aut negato, tamen quaelibet potest quadrupliciter variari: « quia vel habebit utrumque, scilicet *dictum* et *modum* affirmatum, « ut *Socratem currere est possibile;* vel utrumque negatum, ut *So- « cratem non currere non est possibile;* vel *dictum* negatum et *modum* « affirmatum, *ut Socratem non currere est possibile;* vel *dictum* af- « firmatum et *modum* negatum, ut *Socratem currere non est possibile.* » (cf. nn. 106, 107).

Quantitas autem, si *forma logica consideratur,* est semper singularis; sed si consideratur ipsa res, cui uno *modo* competit praedicatum, potius quam alio, enuntiatio pro diversitate modi assimilari poterit universali, vel particulari. Etenim, ut ait Auctor Summae Logicae (2): « Modus *necesse* facit significare totam inhaerentiam subiecti ad prae- « dicatum, quia quod necessario inest, omni tali inest; et ideo tenet « eumdem locum modalis affirmativa *de necessario,* ac universalis af- « firmativa de inesse. Et sicut *nullus* totam removet, ita etiam *impos- « sibile;* quia quod impossibiliter inest, nulli tali inest; et ideo pro- « positio de impossibili tenet locum universalis negativae. Et sicut « *quidam* affirmando non totam inhaerentiam ponit, similiter etiam « negando non totum quod sub subiecto continetur removet; sic iste « modus *possibile;* quia quod possibiliter inest non inest omni; et quod « possibiliter non inest, non inest nulli; et ideo possibile affirmando

(1) S. Th. Opusc. XLVIII, Tract. VII, cap. 12.
(2) Ibid. cap. 13.

« tenet locum particularis affirmativae; et possibile negando tenet lo-« cum particularis negativae ». Quibus praeiactis, iam apparet quomodo oppositiones et aequipollentiae modalium haberi possunt eodem modo atque iisdem legibus, quibus habentur absolutarum. Quod ut facilius discipuli praestent, proponimus sequentem figuram.



Si igitur iuxta versiculum « Prae contradic. etc. » (n. 112) praeponas particulam *non* toti propositioni: *Necesse est esse*, habebis: *Non necesse est esse*, nempe *Possibile est non esse:* quae est eius contradictoria; et sic de aliis.


CAPUT XXII.

DE OPPOSITIONE ENUNTIATIONUM COMPOSITARUM.

118. **Quoad hypotheticas.** Quum hae proprie non habeant quantitatem, oppositio fit per affirmationem et negationem. Itaque ad habendam contradictoriam hypotheticae, *a)* quando est in forma conditionali, praeponitur particula *non* toti enuntiationi, ut: « si est homo, est risibilis ». — « Non si est homo, est risibilis »; vel « *etsi* homo est, *tamen non* est risibilis ». Contraria quodammodo haberi potest mutando tantum qualitatem consequentis, cui praemittitur particula *non:* ex. gr. « si est homo, *non* est risibilis ». *b)* Quando est in

forma coniuncti; ex. gr. « non est dies et est nox », contradictoria fit dicendo: *etsi* est dies, *tamen* est nox ». *c)* Quando est in forma disiuncti, ex. gr.: « aut vivit aut non vivit », contradictoria fit dicendo: « NON aut vivit aut non vivit », vel etiam: « *etsi* vivat, *tamen non* vivit ».

119. **De copulativa et disiunctiva impropria,** *habentibus eosdem terminos.* Huiusmodi enuntiationes possunt ad invicem opponi. Nam copulativa respectu disiunctivae improprie eosdem terminos habentis, se habet ut enuntiatio universalis respectu suae particularis. Etenim ad veritatem copulativae requiritur ut praedicatum conveniat singulis partibus in subiecto contentis, quod proprium est universalis enuntiationis. Hinc ut cum veritate dicam: « Petrus et Paulus currunt » debet uterque currere. Contra ad veritatem *disiunctivae impropriae* sufficit ut praedicatum conveniat uni tantum ex eis, quae distinguuntur; quod est proprium particularium. Hinc ut cum veritate dicam: « vel Petrus vel Paulus currit », sufficit ut alteruter currat. Ergo si huiusmodi copulativa conveniat cum disiunctiva *in qualitate,* opponitur ei ut subalternans subalternatae. Si vero *qualitate* discrepent, opponitur eidem ut contradictoria. Duae copulativae autem si differunt qualitate opponuntur ut contrariae. Tandem duae disiunctivae si qualitate differunt, opponuntur ut subcontrariae. Id apparet ex sequenti figura.



LOGICA MINOR

PARS TERTIA

DE ARGUMENTATIONE

CAPUT XXIII.

DE ARGUMENTATIONE IN GENERE.

120. **Argumentatio** *definitur oratio, in qua unum ex alio inferri denotatur.* Dicitur *oratio*, quia pluribus constat terminis ac propositionibus. Additur: *In qua unum ex alio inferri denotatur*, quia denotat ipsum ordinem consequentiae unius propositionis ex alia; videlicet ipsum processum seu discursum rationis ex uno cognito in aliud per legitimam illationem: in quo discursu consistit tertia intellectus operatio

Id ex quo aliud infertur vocatur *antecedens*, sive sit unica propositio pluribus aequivalens, sive sint plures. Propositio quae infertur vocatur *consequens.* Ipse necessarius nexus consequutionis unius ab alio, nempe consequentis ab antecedente, vocatur *consequentia,* et exprimitur per particulam: *Ergo*, *igitur*, quae est *nota illationis.*

121. **Ratiocinatio** *est operatio*, *qua mens unum ex alio infert.* Eius genesim S. Thomas paucis ita exhibet (1): « Cum intellectus humanus exeat de potentia in actum, similitudinem quandam habet « cum rebus generabilibus, quae non statim perfectionem suam habent, « sed eam successive acquirunt. Et similiter intellectus humanus non « statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem, sed « primo apprehendit aliquid de ipsa, puta quidditatem ipsius rei, quae « est primum et proprium obiectum intellectus (humani), et deinde « intelligit proprietates et accidentia et habitudines circumstantes rei « essentiam. Et secundum hoc necesse habet unum apprehensum alii « componere et dividere, et ex una compositione et divisione ad aliam « procedere, quod est ratiocinari ». Hic autem processus non fit temere ab intellectu, sed vi quorumdam principiorum immediate evi-

(1) 1. p. q. 85. a. 5.

dentium, ad quorum normam suos conceptus ita ordinat ut ex uno vero cognito veniat in cognitionem alterius.

122. **Principia syllogistica** ponuntur ab Aristotele quatuor: *Duo Methaphysica,* quae respiciunt terminos argumentationis *secundum esse;* et *duo Logica*, quae eosdem respiciunt *secundum praedicari.* Haec praesupponunt priora, in quibus fundantur.

1um *Principium methaphysicum* vocatur *identitatis*, et est: «Quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se» (1), secundum eam rationem secundum quam uni tertio identificantur.

2um *Principium methaphysicum* vocatur *discrepantiae,* et est: « Quorum unum est idem uni tertio, aliud vero non idem, non sunt eadem inter se » secundum eam rationem, secundum quam unum identificatur cum tertio, aliud non.

1um *Principium logicum* vocatur *dictum de omni,* nempe: Quidquid affirmatur de aliquo subiecto universaliter distributive accepto, affirmari quoque debet de omni inferiori eius. Ex. gr. quia praedicatum *sentiens* affirmatur de omni animali, affirmari quoque debet de homine, qui sub animali continetur (2).

2um *Principium logicum* vocatur *dictum de nullo*, nempe: Quidquid negatur de aliquo subiecto universaliter distributive accepto, negari etiam debet de omni inferiori eius. Ex. gr. quia de omni animali negatur marmor, negari etiam debet de homine, qui sub animali continetur (cf. n. 109. IV).

123. **Exemplum** applicationis supradictae. Supponamus intellectum inquirere utrum anima humana sit incorruptibilis. Si iam sciat omne immateriale esse incorruptibile, atque animam humanam esse immaterialem, poterit haec duo iudicia ita connectere ut inferat evidenter tertium de cuius veritate inquirebat. Haec autem connexio fit comparando conceptum obiectivum animae humanae, et conceptum obiectivum *incorruptibilis*, cum conceptu obiectivo *immaterialis.*

Etenim vi principii identitatis, ad conclusionem per legitimam consequentiam evidenter perveniet hoc modo:

Omne immateriale est incorruptibile.
Anima humana est immaterialis.
Ergo anima humana est incorruptibilis.

Corollaria. Ex his intelliges: 1° conclusionem contineri *virtualiter* in praemissis, *formaliter* vero resultare ex ipsa logica connexione praemissarum, tamquam effectum a causa. Ideo, qui concedit veritatem

(1) 7. Topic. c. 1.
(2) 1. Prior. c. 1.

praemissarum in ratiocinio aliquo, implicite concedit veritatem conclusionis. 2° Ex praemissis veris rite connexis, necessario descendere conclusionem veram. Secus idem simul esset verum et falsum, quod repugnat.

124. **Argumentatio formaliter inspecta** est apta dispositio terminorum et propositionum, ad hoc ut, vi principiorum rationalium, consequens legitimo nexu inferatur ex praemissis. Quum autem materialiter ponere quis poterit praemissas falsas, argumentatio si debito modo fiat erit semper bona. Nam ex determinatis praemissis, sive veris sive falsis, descendere debet determinatum consequens. Porro si id obtinetur, argumentatio est bona, secus mala erit. Quamvis autem ex praemissis veris necessario fluat consequens verum, ut supra indicavimus (Coroll. 2°); tamen ex praemissis falsis aliquando *per accidens* sequi poterit consequens verum; quia aliqua propositio potest aliunde esse vera. Ex. gr. Si dicerem: *Omne corpus est vivens; sed homo est corpus. Ergo homo est vivens;* quamvis una ex praemissis sit falsa, tamen consequens aliunde est verum. Argumentatio autem haec quamvis *materialiter* falsa, tamen *formaliter* bona est, ut patet.

CAPUT XXIV.

DE SYLLOGISMO.

125. **Syllogismus** est argumentatio, qua duabus propositionibus positis, necesse est tertiam consequi, ex eo quod illae sint positae. Verba definitionis Aristotelicae (1) haec sunt: *Oratio in qua, positis quibusdam, alterum quid a positis necesse est contingere, eo quod haec sint.*

Dicitur *oratio*, quia pluribus constat dictionibus.

In qua positis quibusdam, quia aliquae propositiones praemittuntur.

Alterum quid a positis necesse est contingere; quia ex praemissis conclusio, tamquam propositio ab eis distincta, necessario resultat utpote cum illis per necessariam consequentiam connexa.

Eo quod haec sint; quia conclusio resultat ratione ipsius structurae seu artificiosae dispositionis praemissarum.

126. **Materia remota** syllogismi simplicis sunt tres termini videlicet *subiectum* et *praedicatum* conclusionis atque *medius terminus*, qui bis assumitur ad comparationem cum eis in praemissis instituendam.

---

(1) Prior. c. 1.

Materia proxima sunt tres propositiones, quibus syllogismus simplex constat. Ex his, propositiones quae constituunt antecedens vocantur *praemissae ;* propositio quae infertur, vocatur *conclusio* vel *consequens.* Ex praemissis autem, ea quae continet terminum, qui in conclusione est praedicatum, vocatur *maior*, quia praedicatum conclusionis est extremum maius eiusdem; ea vero quae continet terminum qui in conclusione est subiectum, vocatur *minor.* Attamen communiter in concertatione *maiorem* appellant praemissam, quae primo loco in syllogismo ponitur, sive contineat praedicatum conclusionis sive non; *minorem* vero eam, quae ponitur secundo loco.

Forma syllogismi est artificiosa dispositio seu structura eorum quae in praemissis ponuntur, ex qua resultat necessitas consequentiae inter praemissas et conclusionem.

CAPUT XXV.

LEGES SYLLOGISMI.

127. Ad hoc ut structura syllogismi regatur ad normam principiorum, in quibus ratiocinatio fundatur, traduntur octo regulae, quas facile quisque intelliget si prae oculis habeat ea quae sub nn. 122. 123. et 124. diximus.

1ª Terminus esto triplex, maior mediusque minorque.
2ª Latius hos, quam praemissae, conclusio non vult.
3ª Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
4ª Aut semel aut iterum medius generaliter esto.
5ª Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.
6ª Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.
7ª Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.
8ª Peiorem sequitur semper conclusio partem.

Prima regula exigit tantum, tres terminos. Nam secus duo conceptus non compararentur cum uno tertio.

Secunda regula exigit ut nullus terminus in conclusione habeat maiorem extensionem quam in praemissis. Nam secus conclusio haberet partem aliquam, quae non continebatur in praemissis; de qua illatio non valeret. Haberet nempe syllogismus quatuor terminos, quia termini, qui diversam habent extensionem, sunt diversi.

Tertia regula prohibet medium terminum ingredi conclusionem. Nam secus destrueretur natura syllogismi, quae in eo est, ut subiectum et praedicatum conclusionis conferantur in praemissis cum termino ab eis distincto.

Quarta regula praecipit, ut medius terminus in una saltem praemissarum universaliter distributive sumatur distributione absoluta, non mere accommoda (cf. n. 61). Nam id exigit principium *dictum de omni, dictum de nullo.* Et sane, nisi hoc fiat, praedicatum conclusionis inveniri posset extra extensionem medii termini; quo in casu praedicatum et subiectum conclusionis non compararentur cum eodem termino, et syllogismus quatuor terminis constaret. Huiusmodi esset sequens: *Formica est animal. Homo est animal. Ergo formica est homo.* Nam *animal* in utraque praemissa supponit particulariter (n. 109. II).

Quinta regula ait: Ex duabus praemissis negantibus nulla sequitur conclusio. Nam si nullus terminus conveniat cum medio, mens adhuc ignorabit utrum inter se conveniant vel discrepent (cfr. 122. 2. princip. Metaph.).

Sexta regula. Ex utraque praemissa affirmante descendere nequit conclusio negans. Nam nihil est in effectu, quod non fuerit in causa. Iamvero negatio non erat in praemissis, quae sunt causa conclusionis.

Septima regula. Ex duabus praemissis particularibus nihil sequitur. Nam praemissae particulares vel ambae affirmant, vel ambae negant, vel alterutra tantum affirmat, alia vero negat. Si primum, peccat syllogismus contra quartam regulam, quae exigit ut medius terminus in una saltem praemissarum universaliter distributive sumatur. Iamvero in propositione affirmativa particulari tum subiectum tum praedicatum supponunt particulariter. Si secundum, peccat contra quintam regulam statuentem nullam sequi conclusionem ex duabus praemissis negantibus. Si tertium, nempe si ex duabus particularibus una affirmet, altera neget, unus tantum locus habetur pro termino universali distributivo, nempe locus praedicati in praemissa negativa. Iamvero hic locus vel occupatur a medio termino, vel non. Si non occupatur a medio termino, hic in nulla praemissa poterit universaliter distribui, quod est contra regulam quartam. Si autem occupatur a medio, nullus ex terminis poterit in praemissis universaliter distribui. Sed in hac hypothesi nulla conclusio haberi poterit. Non quidem negativa, quia in hac praedicatum accipi deberet universaliter distributive; porro idem terminus nequit in praemissis accipi particulariter, in conclusione autem universaliter. Non conclusio affirmativa, quia si unus ex terminis extremis convenit cum medio et alter non convenit, repugnat ut conveniant inter se. Ergo vera est regula septima.

Regula octava. « Peiorem sequitur semper conclusio partem » duo asserit:

1° Si praemissarum alterutra est negativa, conclusio erit negativa (quae vocatur *peior* aut *debilior* affirmativa). Probatur: quia si unum

extremum convenit cum medio, et aliud non convenit, repugnat ut in conclusione conveniant inter se.

2º Si praemissarum una est universalis, alia particularis, conclusio erit particularis (quae vocatur *prior* aut *debilior* universali). PROBATUR: quia vel utraque praemissa est affirmans; vel una affirmans, altera negans. Si primum, unicus in praemissis locus pro termino universali erit in subiecto praemissae universalis (cfr. n. 109. II). Iamvero hic locus servandus est pro medio termino, qui saltem semel esse debet universalis, iuxta regulam quartam. Ergo impossibile est, ut subiectum conclusionis sit universale in conclusione, et particulare in praemissis, ut ex regula secunda apparet.

Si autem una est affirmans, altera negans, habebimus utique in praemissis duo loca pro termino universali, nempe subiectum praemissae universalis, et praedicatum praemissae negantis. Sed etiam in hac hypothesi conclusio erit particularis. Nam quum debeat esse negativa, propter ea quae sub 1 demonstravimus, praedicatum conclusionis erit universale. Quo posito, subiectum conclusionis erit particulare. Nam duo loca, quae in praemissis inveniuntur pro termino universali, necessario occupanda sunt, unus a medio termino, alius a praedicato conclusionis. Ergo subiectum conclusionis necessario erit particulare, et consequenter ipsa conclusio; quia quantitas enuntiationis ab extensione subiecti mensuratur.

CAPUT XXVI.

DE FIGURIS SYLLOGISMI.

128. Quum *forma* syllogismi sit artificiosa dispositio terminorum et propositionum in ordine ad conclusionem inferendam; duo complectitur quasi elementa ex quibus resultat, nempe 1m aptam dispositionem terminorum secundum subiectionem et praedicationem; 2m aptam dispositionem propositionum secundum quantitatem et qualitatem. Primum vocatur *figura,* secundum *modus* syllogismi. Ambo debent simul concurrere ad hoc ut perfecta forma syllogismi resultet, vi cuius ad normam principiorum rationalium conclusio recta ex praemissis infallibiliter inferatur.

129. **Figura** est *acta dispositio trium terminorum secundum subiectionem et praedicationem, ex qua necessario et per se sequatur conclusio.* Figurae possibiles sunt tres, quia tres sunt variae combinationes, quibus tres termini possunt in praemissis apte disponi in ordine ad conclusionem. Nam vel medius terminus in una praemissa

subiicitur et in alia praedicatur, vel in utraque praedicatur, vel in utraque subiicitur.

In primo casu habemus syllogismum 1ae Figurae, ex. gr.

Omne *rationale* est risibile;
Omnis homo est *rationalis;*
Ergo omnis homo est risibilis.

In secundo casu habemus syllogismum 2ae Figurae, ex. gr.

Omnis homo est *rationalis:*
Nullus equus est *rationalis;*
Ergo nullus equus est homo.

In tertio casu habemus syllogismum 3ae Figurae, ex. gr.

Omne *rationale* est intellectivum;
Omne *rationale* est substantia;
Ergo aliqua substantia est intellectiva.

In allatis exemplis medius terminus fuit *rationale.*

Tres figurae, sequenti versiculo adumbrantur: « *Sub prae* prima, sed altera *bis prae*, tertia *bis sub.* » Nempe, medius terminus in 1a Figura semel subiicitur et praedicatur, in 2a bis praedicatur, in 3a bis subiicitur.

130. **Corollarium.** Ex allatis exemplis, in quibus non temere variata est quantitas et qualitas propositionum, quilibet facile deprehendet pro diversa dispositione medii termini variandam esse etiam quantitatem et qualitatem propositionum ad hoc, ut conclusio obtineatur. Et sane haec non recte procederet, nisi integra syllogismi *forma,* quae ex aptis *figura* et *modo* resultat, haberetur. *Figura* autem et *modus* tunc sunt apta, quum medius terminus ita comparatur extremis, ut salventur principia syllogistica et regulae ex eis derivatae (nn. 122, 127). Ob hanc causam in qualibet figura servari debent speciales normae quae his versiculis exhibentur:

1. fig. Sit minor affirmans, maior vero generalis.
2. fig. Una negans est, nec maior sit specialis.
3. fig. Sit minor affirmans, conclusio particularis.

Has regulas servatas vides in exemplis allatis.

131. **De conclusione directa et indirecta.**

a) Conclusio *directa* et *naturalis* habetur, *quando extrema in conclusione occupant eamdem sedem, quam in praemissis,* ita ut praedicatum conclusionis sit etiam praedicatum in praemissis, et subiectum

conclusionis sit etiam subiectum in praemissis. Talis est conclusio in exemplo allato pro 1. Figura (n. 129).

b) Conclusio *indirecta* et *innaturalis totaliter habetur*, *quando ambo extrema in conclusione occupant diversam sedem*, *quam in praemissis*, ita ut praedicatum conclusionis sit in praemissis subiectum, et subiectum conclusionis sit in praemissis praedicatum. Ex. gr.

Omne rationale est animal;
Omnis homo est rationalis;
Ergo aliquod animal est homo.

Quum praemissae in hoc exemplo pertineant ad primam figuram, apparet primam figuram concludere posse tum directe tum indirecte.

c) Conclusio *indirecta partialiter* habetur *quando unum extremum tantum* occupat in conclusione diversam sedem quam in praemissis. Sic concludunt syllogismi 2. et 3. figurae ut ex allatis exemplis (n. 129) apparet. Et sane quum medius terminus in 2. figura bis praedicetur, in 3. bis subiiciatur, impossibile est ut in conclusione utrumque extremum teneat eamdem sedem quam in praemissis.

132. **Nota.** Galenus introduxit 4. figuram, in qua medius terminus praedicatur in maiori et subiicitur in minori. Sed haec figura a Philosophis communiter reiicitur, quia concludit tantum vi primae figurae, ad quam reducenda est. Nam figura galenica quum concludit, nihil est aliud quam *materialis* subversio primae figurae, cuius minorem ponit loco maioris.

CAPUT XXVII.

DE MODIS SYLLOGISMI.

133. *Modus* est *dispositio propositionum secundum quantitatem et qualitatem.* Tot sunt possibiles modi in unaquaque figura, quot sunt possibiles modi variandi quantitatem et qualitatem eius. Atqui hi modi pro unaquaque figura sunt sexdecim. Ergo omnes modi possibiles sunt sexaginta quatuor. Nam tribus figuris debet addi iterum prima figura quatenus *indirecte* concludit (n. 131).

Probatur minor. Pro unaquaque figura ratione variatae quantitatis sunt possibiles quatuor modi. 1. Si utraque praemissa sit universalis; 2. si utraque sit particularis; 3. si maior sit universalis; minor particularis; 4. si maior sit particularis, minor universalis.

Ratione autem variatae qualitatis pro unoquoque ex quatuor supradictis modis, sunt possibiles alii quatuor: 1. si utraque praemissa sit

affirmativa; 2. si utraque sit negativa; 3. si maior sit affirmativa, minor negativa; 4. si maior sit negativa, minor affirmativa. Ergo multiplicando hos quatuor modos ratione qualitatis, cum quatuor modis ratione quantitatis, habemus pro unaquaque figura sexdecim modos.

134. Non omnes hi modi cum figuris coniuncti tales resultant, ut habeatur apta dispositio ad conclusionem recte inferendam. Videlicet non resultat ex omnibus bona forma syllogismi, qualem requirunt principia rationalia et leges syllogisticae (cf. nn. 122, 127). Sed experimento constat modos utiles esse tantum novemdecim; ex quibus primi quatuor necessario et perfecte concludunt; sequentes tredecim concludunt necessario sed imperfecte, quia recta conclusio non semper statim apparet, sed ostenditur reducendo eos artificiose ad aliquem ex primis quatuor modis perfecte concludentibus. Tandem ultimi duo concludunt quidem necessario sed imperfectissime, quia eorum recta conclusio non semper prima fronte apparet, neque ostendi potest reducendo eos artificiose ad aliquem ex primis quatuor modis, sed ostenditur indirecte et remote per reductionem ad impossibile, ut ex dicendis apparebit.

135. Modi utiles hoc ordine in sequentibus versiculis artificio plenis proponuntur. Ad quos ex parte intelligendos revoca versiculos sub n. 116 allatos circa significationem vocalium A, E, I, O.

1ª fig.ª Barbara, Celarent, Darii, Ferio, (Indir.ª) Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
2ª fig.ª Cesare, Camestres, Festino, Baroco. (3.ª fig.ª) Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Bonitatem horum modorum unusquisque deprehendet conferendo aliquod exemplum de unoquoque, cum principiis regulisque syllogisticis, vel reducendo ad modos directos primae figurae, tredecim reducibiles, duos vero ultimos ad impossibile, iuxta regulas reductionis in Capite sequenti dandas.

136. **Exempla** novemdecim modorum utilium ordinate proposita.

I. Figura directa.

Bar- Omne animal est vivens;
ba- Omnis homo est animal;
ra. Ergo omnis homo est vivens.

Ce- Nullum animal est arbor;
la- Omnis homo est animal;
rent. Ergo nullus homo est arbor.

Da-ri-i. Omne animal est vivens;
Aliquis homo est animal;
Ergo aliquis homo est vivens.

Fe-ri-o. Nullus animal est arbor;
Aliquis homo est animal;
Ergo aliquis homo non est arbor.

1. Figura indirecta.

Ba-ra-lipton. Omne animal est vivens;
Omnis homo est animal;
Ergo aliquod vivens est homo.

Ce-lan-tes. Nullum animal est arbor;
Omnis homo est animal;
Ergo nulla arbor est homo.

Da-bi-tis. Omne animal est vivens;
Aliquis homo est animal:
Ergo aliquod vivens est homo.

Fa-pes-mo. Omne animal est vivens;
Nulla arbor est animal;
Ergo quoddam vivens non est arbor.

Fri-se-somorum. Aliquod animal est vivens;
Nulla arbor est animal;
Ergo aliquod vivens non est arbor.

2. Figura.

Ce-sa-re. Nulla arbor est animal;
Omnis homo est animal;
Ergo nullus homo est arbor.

Ca-mes-tres. Omnis homo est animal;
Nulla arbor est animal;
Ergo nulla arbor est homo.

Fes-ti-no. Nullum animal est arbor;
Quoddam vivens est arbor;
Ergo quoddam vivens non est animal.

Ba-ro-co. Omnis homo est animal;
Quoddam vivens non est animal;
Ergo quoddam vivens non est homo.

3. Figura.

Da- rap- ti.	Omnis homo est vivens; Omnis homo est animal; Ergo aliquod animal est vivens.
Fe- lap- ton.	Nullum animal est arbor; Omne animal est vivens; Ergo quoddam vivens non est arbor.
Di- sa- mis.	Aliquis homo est animal; Omnis homo est vivens; Ergo aliquod vivens est animal.
Da- ti- si.	Omnis homo est vivens; Aliquis homo est animal; Ergo aliquod animal est vivens.
Bo- car- do.	Aliquod animal non est homo; Omne animal est vivens; Ergo aliquod vivens non est homo.
Fe- ri- son.	Nullum animal est arbor; Aliquod animal est vivens; Ergo aliquod vivens non est arbor.

Corollarium. Ex allatis exemplis apparet 2^{am} figuram concludere directe ex parte subiecti, indirecte ex parte praedicati; 3^{am} figuram autem concludere directe ex parte praedicati, indirecte ex parte subiecti. Ratio huius discriminis pendet ex diversa sede medii termini in praemissis (cfr. n. 132).

CAPUT XXVIII.

DE REDUCTIONE SYLLOGISMORUM IMPERFECTORUM.

137. **Reductio** syllogismi imperfecti est « ostensio necessitatis consequentiae unius syllogismi vel 1° per evidentiam necessitatis in aliquo syllogismo perfecto in quem prior legitime convertitur; vel 2° per evidentiam contradictionis, quae haberetur ex negata consequentia. »

Prima vocatur *reductio ostensiva* seu *directa.* Secunda vocatur *reductio ad impossibile* seu *indirecta.*

Principium, in quo fundatur reductio *ostensiva*, est: *quidquid sequitur ex consequente, sequitur ex antecedente.* Nam propositiones

conversae sunt antecedentes respectu *convertentium*, ut ex dictis sub n. 113 patet. Si ergo aliqua conclusio evidenter deducitur ex convertentibus, certum est eam sequi etiam ex conversis.

138. **Praxis** reductionem efficiendi indicatur a literis, quibus in versiculis supracitatis (n. 135) singuli modi artificiose exprimuntur. Nam ad aptam uniuscuiusque modi imperfecti reductionem, sciendum est: 1. Ad quem modum ex quatuor perfectis sit reducendus; 2. Quaenam sint propositiones convertendae, et quo genere conversionis; 3. Quaenam praemissae sint transponendae; 4. Tandem dignoscendi etiam sunt modi, qui admittunt *tantum* reductionem *indirectam* seu ad *impossibile*.

Primae quaestioni respondet litera initialis modi reducendi, quae respondet litterae initiali modi in quem est reducendus; ex. gr. *Baralipton* reducendus est ad *Barbara; Cesare* ad *Celarent* etc.

Secundae quaestioni respondent literae *S* et *P*. Nam *S* denotat propositionem significatam per vocalem immediate antecedentem esse convertendam *simpliciter; P* denotat propositionem significatam per vocalem immediate antecedentem esse convertendam *per accidens* (cf. n. 113). Ex. gr. ut *Fapesmo* reducatur ad *Ferio;* converti debet per accidens *maior* et simpliciter *minor*. Debent insuper praemissae transponi, ut litera *M* ostendit. Etenim

Tertiae quaestioni respondet litera *M*, quae, ubicumque inveniatur, significat praemissas esse transponendas ita, ut *maior* transferatur in locum *minoris*, et *minor* in locum *maioris*.

Quartae quaestioni respondet litera *C* in corpore dictionis posita, non in initio, quae significat modum non admittere reductionem ostensivam seu directam, sed solum ad *impossibile* seu *indirectam*. Tales sunt tantum *Baroco* et *Bocardo*.

Haec omnia hisce versiculis complectuntur:

S Vult simpliciter verti; *P* vero per accid.;
M vult transponi: *C* per impossibile duci.

Exemplum. Sit Syllogismus in *Fapesmo*

Omne animal est vivens;
Nulla arbor est animal;
Ergo quoddam vivens non est arbor.

Facta reductione modo indicato, resultabit sequens syllogismus in *Ferio*.

Nullum animal est arbor
Aliquod vivens est animal
Ergo aliquod vivens non est arbor.

139. **Reductio ad impossibile** fit assumendo contradictoriam conclusionis negatae ab abversario, et ostendendo ex ea sequi contradictoriam alicuius praemissae ab abversario concessae. Qui proinde cogitur vel concedere conclusionem negatam, vel sibi ipsi contradicere, quia duae propositiones contradictoriae nequeunt esse simul verae (n. 111. I). neque simul falsae.

Principium, in quo fundatur, est quod in bona consequentia *ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis*. Consequens enim *virtualiter* continetur in antecedente (n. 123. Coroll.).

Duo modi *Baroco* et *Bocardo* sunt reducibiles tantum per reductionem *ad impossibile*. Reliqui modi imperfecti reducuntur tum per reductionem ostensivam, tum per reductionem ad impossibile.

Exemplum Syllogismi in *Baroco:*

Omnis homo est animal;
Aliquod vivens non est animal;
Ergo aliquod vivens non est homo.

Si quis concessis praemissis negaret consequens; assumenda esset contradictoria consequentis ad eum convincendum sequenti argumento in *Barbara:* omnis homo est animal (ut tu concessisti). Atqui omne vivens est homo (quae est contradictoria conclusionis a te negatae). Ergo omne vivens est animal. (Sed haec conclusio est contradictoria minoris a te concessae. Ergo si negas conclusionem prioris argumenti, tibimetipsi contradicis).

Nota 1. Pro variis modis assignantur ad reductionem faciendam tres regulae, ut sciamus utrum contradictoria conclusionis negatae sit ponenda loco maioris vel minoris concessae.

1. Regula pro *Baroco* et aliis modis 2. figurae:
   « Stat maior: trahit oppositum de sede minorem ».
2. Regula pro *Bocardo* et aliis modis 3. figurae:
   « Stat minor; oppositum transit maioris ad aedem ».
3. Regula pro modis indirectis 1. figurae:
   « Maiorem oppositum pellit, maiorque minorem.
   Excipe *Celantes*, in quo contraria res est;
   Nam minor opposito cedit, maiorque minori ».

Nota 2. Hucusque loquuti sumus de syllogismo *simplici* et *categorico* seu de inesse. Ad hanc classem pertinet etiam

Syllogismus expositorius qui est ille, qui vel constat omnibus terminis singularibus vel saltem medio termino singulari. Dicitur expo-

sitorius quia maxima claritate nexum praemissarum cum consequente exponit. Ex. gr. Alexander Magnus vicit Persas. Sed Alexander Magnus fuit filius unigenitus Philippi. Ergo filius unigenitus Philippi vicit Persas.

Nota 3. *Syllogismus* continens aliquam praemissam modalem (n. 106) vocatur *modalis*. Quamvis non sit categoricus, est natura sua simplex.

CAPUT XXIX.

DE SYLLOGISMIS COMPOSITIS.

140. *Syllogismus compositus*, qui vocatur etiam *secundum quid unus*, est ille qui exprimit plures discursus intellectus, quorum priores ordinantur ad stabiliendas praemissas ultimi. Eius praecipuae species sunt sequentes.

141. **Syllogismus hypotheticus** est ille, cuius utraque vel alterutra praemissa est enuntiatio hypothetica (n. 108). Si habet omnes praemissas hypotheticas, dicitur *hypotheticus ex toto:* ex. gr. *Si est sensitivum, est animal; si est homo, est sensitivus. Ergo si est homo, est animal.* Facile reducitur ad formam categorici.

Si vero habet maiorem hypotheticam, minorem vero et conclusionem categoricam, vocatur *hypotheticus ex parte:* ex. gr. *Si est homo, est animal. Atqui est homo. Ergo est animal.* Illatio valet 1. ab affirmatione antecedentis ad affirmationem consequentis, ut in exemplo ultimo; 2. a negatione consequentis ad negationem antecedentis, ex. gr. *Si est homo est animal. Atqui non est animal. Ergo non est homo.* — Non valet illatio ab affirmatione consequentis ad affirmationem antecedentis, neque a negatione antecedentis ad negationem consequentis; nisi agatur de terminis aequaliter convertibilibus (n. 48). Etiam hi syllogismi reduci possunt ad formam categorici.

142. **Syllogismus disiunctivus** est ille, cuius maior est enuntiatio disiunctiva. Quando enuntiatio est proprie disiunctiva, videlicet quum sub disiunctione affirmantur plura, quorum unum tantum de subiecto verificari potest; valet consequentia α) ab affirmatione unius membri ad negationem caeterorum: ex. gr. si dicam de aliquo corpore vivente, *aut est planta, aut est brutum, aut est homo. Atqui est homo. Ergo neque est planta, neque est brutum;* β) a negatione unius ad affirmationem caeterorum sub disiunctione: ex. gr... *Atqui non est homo. Ergo vel est planta, vel est brutum;* γ) a negatione caeterorum ad affirmationem unius remanentis: ex. gr... *Atqui non est planta neque brutum. Ergo est homo.*

Quod si habeantur tantum duo enuntiationes contradictoriae, ex affirmatione unius sequitur negatio alterius et viceversa. Quo in casu necesse est ad negandam enuntiationem negantem, ei praeponere particulam negativam *non*, quae destruit eius negationem. Ex. gr. *Aut pluit, aut non pluit. Atqui pluit. Ergo* NON *non pluit* (nempe falsum est non pluere).

143. **Syllogismus exponibilis** est ille qui habet aliquam praemissam implicite multiplicem. Ad vitandas fallacias resolvi debet propositio exponibilis. Ex. gr. *Solus Deus est aeternus. Atqui mundus non est Deus. Ergo mundus non est aeternus.* Resolvatur maior hoc modo : *Deus est aeternus ; et quidquid non est Deus, non est aeternum. Atqui mundus non est Deus. Ergo mundus non est aeternus.* Perperam igitur aliquis obiiceret contra priorem Syllogismum terminum *aeternus* accipi particulariter in eius maiori affirmante, universaliter autem in conclusione negante. Nam resoluta maior est negativa in secundo membro.

144. **Entymema** est syllogismus contractus, qui constat duabus propositionibus quarum una infertur ex alia, quamvis mentaliter subintelligatur secunda praemissa. Ex. gr. *Homo est animal. Ergo est sentiens.* Subintelligitur : *atqui animal est sentiens.*

145. **Epicherema** est syllogismus cuius alteri vel utrique praemissae enuntiatio probativa additur. Ex. gr. *Substantia spiritualis est incorruptibilis; quia non constat partibus, in quas resolvatur. Atqui anima humana est substantia spiritualis, quia est intellectiva. Ergo anima humana est incorruptibilis.*

146. **Sorites** seu *acervalis* est argumentatio in qua plures enuntiationes ita nectuntur, ut praedicatum primae fiat subiectum secundae, praedicatum secundae fiat subiectum tertiae; et sic deinceps, donec resultet conclusio ex subiecto primae et praedicato ultimae. Principia in quibus fundatur sunt: quidquid sequitur ex consequente sequitur ex antecedente, et ex quocumque sequitur antecedens sequitur et consequens. Nam hoc in illo implicite seu virtualiter continetur (n. 123). Ex. gr. *Homo est animal. Animal est corpus; corpus est substantia. Ergo homo est substantia.*

In sorite subiecta omnium enuntiationum intermediarum sunt medii termini. Nam, exceptis prima enuntiatione, quae est minor primi syllogismi inchoati, et conclusione, caeterae enuntiationes sunt maiores totidem syllogismorum 1. figurae (cf. n. 129). Quapropter sedulo cavendum est 1. ne aliqua enuntiatio sit negativa, si conclusio sit affirmativa; 2. si haec est negativa, potest et debet esse negativa tantum enuntiatio eam immediate praecedens; 3. si conclusio sit particularis, potest et debet esse particularis tantum prima enuntiatio in qua est

subiectum conclusionis. Quod si conclusio sit universalis, nulla praemissa esse poterit particularis: 4. ne suppositio terminorum varietur in decursu propositionum.

147. **Polysyllogismus** est argumentatio, in qua conclusio unius syllogismi assumitur ut praemissa alterius. Ex. gr. *Omne sentiens et vegetans. Sed omne animal est sentiens. Ergo omne animal est vegetans. Sed omne vegetans est corpus. Ergo omne animal est corpus.*

148. **Dilemma** est argumentatio in qua duae disiunctivae ponuntur tales, ut qualemcumque eligat adversarius, aliquid contra ipsum concludatur. Sic S. Augustinus contra infideles arguebat: « Aut Christiana Religio miraculis est propagata, aut sine miraculis. Si primum; ergo est Divina. Si secundum; hoc esset maximum miraculum. Ergo est Divina ».

Si disiunctivae sunt tres, vocatur *trilemma;* si quatuor, *quadrilemma* etc.

149. **Inductio** est argumentatio specie diversa a syllogismo, et definitur: « Oratio in qua *per ascensum* a singularibus vel inferioribus infertur aliquid universale vel superius. » Inductio procedit per analysim et quamvis in eodem principio cum syllogismo fundetur, quod est: *dictum de omni, dictum de nullo;* tamen inverso modo ad conclusionem devenit. Non enim ab universalioribus ad minus universalia vel ad singularia descendit: sed a singularibus ad universalia ascendit. Quapropter se habet ad syllogismum tamquam unum ex eius principiis seu fundamentis. Etenim, ut ait S. Thomas (1): « Oportet quod omnis « doctrina seu disciplina fiat ex aliquibus praecognitis... Non enim pos- « sumus in cognitionem alicuius ignoti venire nisi per aliquod notum. « Est autem duplex doctrina ex cognitis: *una* quidem *per inductionem,* « *alia vero per syllogismum.* Inductio autem inducitur ad cognoscendum « aliquod principium et aliquod universale in quod devenimus per ex- « perimenta singularium... Sed ex universalibus principiis praedicto « modo praecognitis procedit Syllogismus. Sic ergo patet quod sunt « quaedam principia ex quibus syllogismus procedit, quae non certifi- « cantur per syllogismum; alioquin procederetur in infinitum, in prin- « cipiis syllogismorum, quod est impossibile... Sic ergo relinquitur quod « principium syllogismi sit inductio ». Inductio habetur 1. quando inspectis singillatim omnibus individuis, inferimus aliquod praedicatum tamquam *totum universale* omnibus competere tamquam partibus subiectivis (cf. n. 78, I.). Ex. gr. *Petrus est Apostolus, Paulus est Apo-*

---

(1) In VI. Eth. Lect. 3.

stolus, *Andreas est Apostolus* etc. *Ergo omnes enumerati sunt Apostoli.* 2. Quando ex sufficienti experientia per longum tempus in pluribus individuis habita, deprehendimus constanter in eis aliquam formam inveniri, puta nigredinem in corvis. Tunc enim iure inferimus eamdem reperiri etiam in eiusdem speciei individuis nobis ignotis. Ideo dicimus: Omnes corvi sunt nigri.

CAPUT XXX.

DE SYLLOGISMIS APODICTICO, DIALECTICO ET SOPHYSTICO.

150. Ratione materiae, seu naturae enuntiationum, dividitur Syllogismus in Apodicticum, Dialecticum et Sophysticum.

Apodicticus, seu demonstrativus, est ille qui ex praemissis veris et necessariis, infert necessariam conclusionem. Nam haec est in eis tamquam in causa necessaria. Quare causat *certitudinem;* et est aptissimum scientiarum instrumentum, quarum conclusiones certae sint oportet.

Dialecticus est ille qui ex praemissis probabilibus infert probabilem conclusionem. Nam effectus nequit esse potior sua causa. Quare causat *opinionem* tantum.

Sophysticus est ille qui ex praemissis apparenter veris infert conclusionem falsam. Quare causat *errorem.*

Apparentia veritatis in eius praemissis procedere potest vel ex parte formae (ut contingit quum haec aliquo occulto vitio peccat contra figurarum vel modorum leges): vel ex parte materiae (ut contingit, quum propositiones videntur bene componere vel dividere, dum male hoc praestant); vel ex utraque parte.

Principia quaedam fallacia, quibus captiosae sophystarum argumentationes innituntur, vocantur *fallaciae;* quae dividuntur in duas classes, nempe in fallacias in dictione et fallacias extra dictionem seu in rebus. Breviter earum subdivisiones enumerabimus.

151. **Fallaciae in dictione** vocantur eae quae procedunt ex abusu terminorum et orationum. Sunt quinque.

I. **Fallacia aequivocationis** habetur *a)* quum terminus aequivocus a casu adhibetur ut univocus: Ex. gr. *Canis est animal. Canis est in coelo. Ergo animal est in coelo. b)* Quum terminus analogus adhibetur ut univocus: Ex. gr. *Quod currit habet pedes. Flumen currit. Ergo flumen habet pedes. c)* Quum aliqua proprietas termini, puta restrictio, vel ampliato etc. mutatur: Ex. gr. *Quod non amisisti habes. Thesaurum non amisisti. Ergo thesaurum habes.* In prima propositione τὸ *non amisisti* cum restrictione ad bona possessa accipitur.

II. **Fallacia amphiboliae** procedit ex multiplici acceptione eiusdem orationis: Ex. gr. *Quod est Ciceronis, possidetur a Cicerone. Sed hic liber est Ciceronis. Ergo possidetur a Cicerone.* Ubi oratio haec: *quod est Ciceronis* in una praemissa exprimit habitudinem *possessionis;* in altera habitudinem *causae efficientis.*

III. **Fallacia sensus compositi et divisi** habetur quando duo praedicata, quae simul competere nequeunt alicui subiecto, vel affirmantur simul ei competere, vel negantur separatim eidem competere posse: Ex. gr. obiicienti: *Petrus currit et sedet. Ergo simul haec facit.* Responde: Distinguo antecedens: *Petro competunt praedicata* CURRENS *et* SEDENS *in sensu diviso*, Concedo; *in sensu composito*, Nego. Quare consequens non sequitur ex praemissis.

Similiter obiicienti: *Qui nunc est mortuus, heri vivebat. Sed Plato nunc est mortuus. Ergo heri vivebat.* Responde: Dist. mai. *Si adverbium* NUNC *sumitur in sensu composito cum tempore importato per copulam*, Conc.; *si sumitur in sensu diviso a tempore importato per copulam,* Nego. Distinguo minorem. *Plato nunc est mortuus, accipiendo* NUNC *in sensu diviso a tempore importato per copulam,* Conc.; *in sensu composito cum tempore importato per copulam*, Nego.

IV. **Fallacia accentus** procedit ex diverso modo pronunciandi, vel secundum quantitatem syllabicam vel secundum aliam soni inflexionem. Quae fallacia est potius lusus puerorum. Ex. gr. si quis diceret: *Qui occidit, est causa mortis. Sed sol vespere occidit. Ergo vespere sol est causa mortis.*

V. **Fallacia figurae dictionis** provenit ex eo quod aliqua dictio similis alteri dictioni videtur habere eumdem modum significandi, cum tamen non habeat. Contingit praesertim quando sub termino distributivo unius praedicamenti, subsumitur terminus diversi praedicamenti, vel diversae speciei. Ex. gr. *Quidquid emisti, comedisti. Sed carnem crudam emisti. Ergo carnem crudam comedisti.* In maiori, comestio refertur *formaliter* ad substantiam rei emptae, quae importatur per terminum *quidquid.* In minori, *emptio* refertur ad substantiam carnis *quatenus* affectam qualitate cruditatis. Quare non stat consequentia. — Similiter si quis diceret: *Quandocumque fuisti Neapoli, fuisti homo. Sed bis fuisti Neapoli. Ergo bis fuisti homo:* transiret a *quando* ad *quantum discretum,* nempe ab uno ad aliud praedicamentum.

152. **Fallaciae extra dictionem** sunt eae, quae procedunt ex abusu variae habitudinis, quam ad invicem habent res per voces significatae. Sunt septem.

I. **Fallacia accidentis** habetur quando quidquid affirmatur de aliquo accidente, affirmatur de eius subiecto, etiamsi non agatur de eo

quatenus tali accidente afficitur. Ex. gr. *Hic canis est pater, et est tuus. Ergo hic canis est tuus pater.* Negatur consequentia, nam accidens relativum paternitatis non competit huic cani quatenus consideratur ut canis vel ut possessus a me.

Sub nomine accidentis includitur quidquid quacumque ratione est distinctum a subiecto et ei inesse concipitur, etsi sit ratio quaedam generica; ut animal respectu hominis. Ex. gr. *Homo est animal. Animal est genus. Ergo homo est genus.* Negatur consequentia, nam homo etiam in suppositione logica, non est genus, sed species (n. 59). — Similiter: *Risibile est proprietas hominis. Sed homo non est proprietas hominis. Ergo homo non est risibilis.* Negatur etiam consequentia, nam homo contradistinguitur a risibili, tamquam substantia ab accidente. Iamvero id quod negatur de accidente quâ tali, nequit negari de subiecto accidentis quâ tali.

II. **Fallacia dicti simpliciter et secundum quid** habetur, quando ab eo quod dicitur de aliquo subiecto secundum aliquam eius partem vel respectum, inferimus consequentiam quasi diceretur de eodem *totaliter* vel *absolute;* et viceversa. Ex. gr. *Aethiops est albus dentibus. Ergo est albus.* Excipe casum in quo id quod additur vel est mera modificatio praedicati, quod simpliciter infertur, ut *Socrates currit velociter; ergo currit;* vel est denominatio quae competit toti ratione partis, ut *Caius est crispus capillis. Ergo est crispus.*

III. **Fallacia ignorantiae elenchi** habetur quando nobis opponitur ut contradictoria aliqua propositio quae talis non est, quia deest aliqua ex conditionibus ad contradictionem requisitis (cfr. n. 109). Ex. gr. Si quis diceret: *Numerus denarius est magnus respectu ternarii, et est parvus respectu centenarii. Ergo est magnus et non magnus.* Respondebis: Concedo antecedens. Distinguo consequens: *Est magnus et non magnus* SECUNDUM DIVERSA, Conc. SECUNDUM IDEM, Nego.

IV. **Fallacia petitionis principii** habetur quando in argumentatione assumitur ut antecedens id quod erat probandum. Ita peccaret, qui demonstrare vellet quantitatem non distingui realiter a substantia corporea; ex eo quod substantia corporea identificatur cum quantitate. Ad hanc fallaciam pertinet *circulus vitiosus*, in quo demonstratur idem per idem. Puta, si quis demonstraret animam humanam esse intellectivam quia est spiritualis; et esse spiritualem, quia est intellectiva.

V. **Fallacia consequentis** habetur quando in syllogismo hypothetico ab affirmatione consequentis seu *conditionati* infertur affirmatio antecedentis seu *conditionis*, vel a negationem antecedentis infertur negatio consequentis, quasi essent termini convertibiles aequales (n. 48). Ex. gr. *Si est homo, est animal. Atqui est animal. Ergo est homo*, vel:

Si est homo, est animal. Atqui non est homo. Ergo non est animal. Utrumque consequens perperam infertur.

VI. **Fallacia non causae ut causae** habetur, quum quis tribuit aliquem effectum ei, a quo non causatur. Ex. gr. *Causa crapulae est mala. Sed cibus est causa crapulae. Ergo cibus est malus.* Consequens perperam infertur, quia non cibus, sed abusus cibi est causa crapulae.

VII. **Fallacia plurium interrogationum** habetur, quum quis exigit ut pluribus interrogationibus oppositis unica responsione satisfiat. Ex. gr. si quis sophistice quaereret: *Estne humilitas et superbia bona vel mala?* ut subsumat, si respondeas, *est bona. Ergo humilitas est mala.* Si respondeas, *est mala. Ergo superbia est bona.*

CAPUT XXXI.

DE RATIONE DISPUTANDI.

153. Disputatio definitur: « Actus syllogisticus unius ad alterum, ad aliquod propositum ostendendum » (1); videlicet est aliqua concertatio duorum, qui syllogismis vel alia specie argumentationis utendo, aliquod problema scientificum discutiendum assumunt, ex. gr. *utrum anima humana sit immortalis.* Qua in concertatione, ille qui vocatur *defendens* unam ex contradictoriis tuetur; alter, qui vocatur *obiiciens*, eam argumentis impugnat.

Requisita ut disputatio recte procedat.

154. *Defendens* et *Obiiciens* statum quaestionis bene perspectum habeant; in admittendis quibusdam saltem principiis conveniant; urbane et pacate in concertatione se gerant.

155. *Obiiciens* urgeat, quantum fieri potest, eumdem medium terminum: vel, si mutet, non vagetur extra quaestionem. Argumentis utatur brevibus, perspicuis et ad normam logicae exactis. Non interserat rationes praemissis, sed eas sequentibus probationibus reservet.

Data occasione, utatur argumento *ad hominem,* eo nempe quo ex ipsis affirmationibus defendentis inferimus conclusionem eius thesi oppositam.

Si *defendens* negaverit distinctionem alicuius propositionis, arguens ab eo petere potest ut assignet membrum omissum, dicendo: *faveas assignare medium.*

---

(1) S. Th. De Fallac. Opusc. 39.

Si *defendens* negaverit propositionem aliquam universalem, arguens poterit *petere instantiam*, nempe casum, in quo ea propositio non verificetur.

156. *Defendens* neget propositiones falsas; distinguat ambiguas; veras concedat. Propositiones, quae non sunt ad rem, licet ambiguae sint vel falsae, transmittat, ne disputatio ad impertinentes quaestiones deflectat. Tandem sequentes normas prae oculis habeat.

1. Si quando opus est, distinguat *consequens*, numquam autem *consequentiam*, quae in indivisibili consistit, quum sit *nexus* inter antecedens et consequens (n. 120).

2. Quando distinctio cadit in medium terminum; distingui debet maior et minor, ita ut pars quae conceditur in maiori, negetur in minori, et viceversa. Quo in casu distinguendo minorem, dicat: *contradistinguo minorem.*

3. Si argumentum contineat propositionem *hypotheticam falsam*, non dicat: nego maiorem, vel minorem, sed *nego sequelam maioris* vel *minoris*. Quod si habeat disiunctivam falsam, dicat nego *disiunctionem maioris* vel *minoris.*

4. Quando in aliqua propositione supponitur tamquam verum id quod est falsum, dicat: *Nego suppositum.*

5. Si in argumento ponantur termini quorum unus *removet* significatum alterius (cf. n. 70); dicat arguenti: *implicas in terminis.*

6. Hoc adagium sequatur: *saepe nega, concede parum, distingue frequenter.*

Breve specimen concertationis.

157. Sit problema: *Utrum anima humana sit immortalis;* de quo affirmantem sententiam tueatur *defendens.*

Obiiciens ita concertationem instituet: *Contra thesim quae sic effertur:* « Anima humana est immortalis » *ita instituo argumentum:* « Anima humana non est immortalis. » *Ergo falsa thesis.*

Defendens. Primo repetit ex integro supradicta verba obiicientis; deinde separatim solam enuntiationem contradictoriam suae thesi, eamque negat hoc pacto: « Anima humana non est immortalis. » *Nego antecedens.*

Tunc obiiciens dicit: *Probo antecedens*, atque ita argumentum proponit: « Forma corporis non est immortalis. Atqui anima humana est forma corporis. Ergo anima humana non est immortalis ».

Defendens prius accurate repetit integrum argumentum, considerando simul propositionum valorem: deinde per partes iudicium de

singulis profert, hoc modo: « *Distinguo maiorem.* Forma, quae non excedit perfectiones corporeas non est immortalis, *Concedo.* Forma quae excedit perfectiones corporeas, *Nego. Contradistinguo minorem.* Anima humana est forma excedens perfectiones corporeas, *Concedo.* Est forma non excedens perfectiones corporeas, *Nego; et sub data distinctione nego consequens et consequentiam* ».

Obiiciens subsumit: « Atqui anima humana est forma non excedens perfectiones corporeas. Ergo non est immortalis ».

Tum defendens minorem ab obiiciente subsumptam repetit atque negat hoc modo: « Anima humana est forma non excedens perfectiones corporeas; *Nego minorem subsumptam* ».

Obiiciens autem resumit aiendo: *Probo minorem subsumptam;* atque hanc minorem aliquo argumento probare contendit.

Haec innuisse sufficiat; caetera enim scholasticarum exercitationum praxi reservantur.

EXPLICIT LOGICA MINOR.

LOGICA MAIOR

PARS PRIMA

DE LOGICIS INTENTIONIBUS QUIBUS DIRIGITUR PRIMA MENTIS OPERATIO, SEU DE PRAEDICABILIBUS, ANTEPRAEDICAMENTIS, PRAEDICAMENTIS ET POSTPRAEDICAMENTIS.

INTRODUCTIO.

158. Quum logici munus sit universales rationes per simplicem apprehensionem conceptas ita disponere, ut ex habitudine, quam habent ad invicem et ad individua singularia, resultet recta ratiocinatio; in prima Logicae Maioris parte de universalibus rationibus, quae in praedicamento ponuntur, prius generatim inquiremus quid sint et unde desumantur: quae tractatio vocatur de *Universalibus in communi;* deinde speciatim agemus *de modis* quibus hae rationes universales de aliqua re praedicari possunt; videlicet agemus *de quinque praedicabilibus;* tum sermonem habebimus de ordine, quo huiusmodi rationes universales disponuntur secundum subiectionem et praedicationem, nempe *de praedicamentis,* quae sunt ordinationes praedicabilium secundum subiectionem et praedicationem (cf. n. 84). Quum autem recta dispositio praedicabilium in ordine praedicamentali quasdam notiones et regulas praesupponat, quae *antepraedicamenta* vocantur; et alias inducat, quae dicuntur *postpraedicamenta;* etiam de his pauca opportuno loco dicemus.

QUAESTIO I.

DE UNIVERSALIBUS IN COMMUNI.

PRAENOTIONES.

159. **Universale proprie dictum,** quod ex ipsa vocis etymologia importat *unum versus alia*, vel *unum in multis*, *est aliqua notio essentialis*, vel *modus essendi* sive *substantialis* sive *accidentalis,* qui in pluribus invenitur aut inveniri potest multiplicatus secundum totum id quod *eius definitio* importat; ex. gr. *substantia, animal, homo;* quapropter potest praedicari de multis univoce et divisim. Ratione suae multiplicabilitatis, et praedicabilitatis, quae sunt eius proprietates, definiri potest definitione quadam descriptiva (n.73.): *unum aptum inesse multis et praedicari de multis univoce et divisim.* Utrum haec definitio potius competat universali materialiter accepto, quam universali formali, ex dicendis apparebit.

160. Duobus praecipue modis accipi solet universale, quorum unus non habet ipsam *formalitatem universalitatis*, et ideo vocatur *universale materiale;* alius eam habet, et ideo vocatur *universale formale.* Itaque

a) **Universale materiale seu metaphysicum** est ipsa *ratio obiectiva* vel *essentia*, quae directe percipitur ab intellectu humano eam considerante in abstractione a notis individualibus. Talis est ex. gr. natura humana a meo intellectu directe percepta in Petro per simplicem apprehensionem, abstrahentem eam a notis individualibus Petri.

Dicitur *universale materiale*, quia propter suam abstractionem a singulari individuo (a quo omnino praescindit; quamvis positive non excludat) est subiectum immediate aptum recipere *intentionem* seu *formam universalitatis,* quae consistit in eo, ut actu referatur ad plura, tamquam ratio praedicabilis de eis univoce et divisim, ut genus, vel species vel alius ex quinque praedicabilitatis modis.

Quapropter potest ei aptari definitio in numero praecedenti posita, videlicet esse « unum *aptum* inesse multis et praedicari de multis univoce et divisim ».

Etenim est *unum* unitate *non numerica* seu *individuali* (quam neque includit neque excludit, quum *ab ea praescindat*), sed unitate *formali*, seu *definitionis,* quam praesefert, quum importet unicam formam metaphysicam seu naturam.

Est *aptum* praedicari de multis; non sicut dicitur aptum ipsum universale formale, in quo *actualiter* consideratur relatio ad plura; sed *potentialiter*. Nam in sua praecisione a singulari individuo, quum non dicat magis ordinem ad hoc quam ad illud, ex. gr. potius ad Petrum quam ad Paulum vel Andream; habet aptitudinem ut, superveniente operatione intellectus reflectentis et comparantis, *actualiter consideretur* in ordine ad multa tamquam praedicabile de multis *univoce* et *divisim* eo quod in sua *formali ratione*, quae est *simpliciter una*, importat id quod secundum totam suam essentiam et virtutem inveniri potest multiplicatum in pluribus (cfr. nn. 77. I. 78. a.).

Universale materiale vocatur etiam α) *universale directum* et *primae intentionis*, quia terminat obiective perceptionem directam humani intellectus seu simplicem apprehensionem; β) *universale metaphysicum*, quia scientia Metaphysica considerat naturas abstractas ab individuis; γ) *universale negativum;* quia non habet intentionem universalitatis, sed meram aptitudinem ad eam recipiendam, utpote quod neque includat neque excludat singularia, sed ab eis mere praescindat.

b) **Intentio seu forma universalitatis** est ipsa *actualis relatio*, qua intellectus reflectendo supra suum conceptum, refert aliquam essentiam abstractam ad plura individua, vel etiam ad plures species, si sit abstracta non solum a conditionibus individualibus sed etiam a differentia specifica. Quae relatio est rationis, quum sit opus mentis comparantis et iudicantis; vocaturque *rationis ratiocinatae,* quia habet fundamentum in rebus exterioribus; quod fundamentum est earum similitudo in natura vel in aliqua accidentali forma, quibus competit eadem definitio.

c) **Universale formale seu logicum** est ipsa natura vel forma abstracta, considerata ab intellectu sub actuali relatione ad multa tamquam de eis praedicabilis ut genus vel species vel aliquid huiusmodi. Dicitur *universale formale* quia habet ipsam *intentionem* seu *formam universalitatis*, quae est actualis relatio ad plura ut aliquid de eis univoce et divisim praedicabile, tamquam *genus* vel *species,* vel *differentia* vel *proprium* vel *accidens,* qui sunt quinque modi praedicabilitatis. Et ideo *positive excludit* a se unitatem numericam seu individualem. Repugnat enim ut formalis ratio, quae cum veritate consideratur tamquam communis pluribus, non sit pluribus communis, sed singulari tantum individuo coarctata.

d) **Universale formale est ens rationis.** Quum universalia formalia immediate terminent actus reflexos nostri intellectus, qui ea concipit reflectendo supra suos conceptus directos; et quum unitatem singularitatis positive excludant, sine qua nihil potest existere secun-

dum esse reale, non habent aliud esse quam intentionale. Idcirco vocantur etiam *universalia secundae intentionis, reflexa, logica, entia rationis* (cf. n. 47).

e) **Definitiones universalis formalis.** Quum universale formale sit aliquod compositum accidentale logicum, resultans *ex essentia abstracta,* tamquam ex subiecto, et *ex intentione universalitatis*, idest ex affirmata relatione ad plura, tamquam ex forma accidentali inhaerente; definiri tantum potest ad modum formarum accidentalium quae, quum non habeant perfectam essentiam independentem a substantia, definiri nequeunt absque ordine ad subiectum; ita ut, si definiantur in abstracto, ponenda sit *in recto* forma abstracta accidentalis loco generis, et *in obliquo* subiectum loco differentiae; si autem definiantur in concreto, ponatur *in recto* subiectum proprium talis formae loco generis, atque etiam *in recto* ponatur loco differentiae concretum ex subiecto indeterminato et ex forma accidentali definienda. Sic ad definiendum hoc accidens reale quod est *curvitas nasi* et vocatur *simitas,* dicemus definitione in abstracto: *simitas est curvitas nasi;* definitione autem in concreto: *simus est nasus curvus* (1).

Sic igitur *universale formale* definietur in abstracto: *unitas et multiplicitas naturae* seu *universalitas naturae:* in concreto autem definietur: *natura una* et *multiplex*, seu *natura universalis*. Quae definitiones sunt *essentiales,* quia fiunt per intrinseca constitutiva universalis formalis. *Descriptiva* autem definitio per proprietatem praedicabilitatis erit haec: *id quod praedicatur de multis univoce et divisim.*

161. **De vario subiecto definitionis abstractae et concretae universalium.** Ex definibilitate universalium ad modum accidentium, sequitur, ut *quoad modum significandi* non sit idem subiectum definitionis abstractae et definitionis concretae eorum; quamvis *quoad rem significatam* sit semper idem, videlicet sit semper *forma* seu *intentio universalitatis.*

Etenim *in definitionibus concretis* id quod denominatur universale a definitione est *subiectum*, cui inhaeret forma universalitatis, videlicet est *ipsa natura abstracta;* ut quum dico: *genus est natura determinabilis universalis; species est natura completa universalis*, etc. *Forma* autem *universalitatis* exhibetur tamquam *id quo* vel *ratione cuius* definitio attingit subiectum, ipsumque denominat. Et ideo in huiusmodi definitionibus subiectum se habet ad definitionem *materialiter* et ponitur *in recto;* forma autem se habet ad definitionem *formaliter* et ponitur *in obliquo.*

---

(1) Cfr. S. Th. 1. 2. q. 53. art. 2. ad 3.

Dum contra *in definitionibus abstractis,* quum nomen abstractum importet solam formam seu intentionem universalitatis; haec tum *quoad rem* tum *quoad modum significandi* est subiectum definitionis; ut quum dico: *genus* est *universalitas naturae determinabilis*; *species* est *universalitas naturae completae* etc.

Exemplum. Haec ut quis melius intelligat, consideret definitiones abstractam et concretam huius accidentis realis, quod est *simitas.*

DEFIN. ABSTR. *Simitas* est curvitas nasi.
DEFIN. CONCR. *Simus* est nasus curvus.

In utraque definitione id, quod definire intendimus, est forma accidentalis, quam vocamus *simitatem.* Attamen in definitione abstracta subiectum, de quo praedicatur definitio tum *quoad rem* tum *quoad modum significandi* est ipsa forma accidentalis, nempe *simitas.* In definitione autem concreta, licet *quoad rem* sit semper ipsa *simitas*, quae definitur; tamen *quoad modum significandi* definitio convenit *naso materialiter* seu tamquam *subiecto*, quod a *simitate* denominatur *simus; simitati* autem convenit *formaliter* seu tamquam *formae* ratione cuius nasus denominatur *simus.*

Haec animadversio, quae plenius intelligetur, quum agemus de essentia accidentium, maximo usui erit ad quasdam difficultates suo loco enodandas.

THESIS I.

Universale formale seu logicum invenitur formaliter solum in intellectu; in rebus autem, tantum fundamentaliter.

PROBATUR PRIMA PARS.

162. I. Illud ens invenitur formaliter in intellectu tantum, quod non habet aliud esse quam intentionale; nempe est ens rationis. Atqui huiusmodi est universale formale seu logicum. Ergo universale formale seu logicum invenitur formaliter in intellectu tantum.

Maior est evidens. Minor probatur. Universale formale seu logicum est aliqua ratio generica vel specifica, puta *animal* vel *homo*, considerata *quatenus* invenitur vel inveniri potest multiplicata in pluribus; nempe *formaliter* considerata ut *genus* vel *species.* Atqui sub hoc formali respectu ita est terminus reflexionis intellectivae, ut positive a se excludat numericam singularitatem, quae est prorsus necessaria ad realem existentiam, quum nihil existat a parte rei nisi singulare. Ergo

universale logicum non habet aliud esse, quam intentionale, videlicet est ens rationis.

II. Id, cuius formalis ratio resultat ex comparatione unius ad plura, nequit habere formaliter esse nisi in intellectu. Atqui universale logicum, quod est *unum versus alia* seu *unum in multis*, resultat ex comparatione alicuius essentiae ad plura, quae eius formalem rationem seu definitionem participant. Ergo universale logicum existit formaliter tantum in intellectu.

Maior patet ex eo quod id quod existit a parte rei, habet suam formalem rationem independenter ab operatione humani intellectus, cuiusmodi est comparatio. *Minor* est ipsa definitio universalis logici.

III. Si universale logicum *quoad id quod significat* inveniretur in rebus singularibus, posset de his praedicari, sicut praedicantur de eis praedicata essentialia, quae sunt universalia materialia seu metaphysica. Atqui nequit universale logicum de singularibus ita praedicari. Etenim quamvis dicere possim : *Petrus est homo*, *est animal* etc. nequeo tamen dicere: *Petrus est species*, *est genus*. Ergo universale logicum non est in singularibus quoad id quod significat. Ergo omnino impossibile est ut formaliter existat in rebus.

IV. Quidquid non est de ratione alicuius, utpote non ingrediens eius definitionem, accidit ei et illud trahit ad ordinem in quo ipsum invenitur; ex. gr. quum *albedo*, *doctrina*, *virtus* et similia non sint de ratione *hominis*, accidunt homini et eum constituunt, quatenus est sub eorum formalitate, in ordine *alborum*, *doctorum*, *virtuosorum*, etc. Atqui de ratione essentiae substantiarum compositarum seu materialium *non est unitas vel communitas numerica ;* sed haec accidunt ei; quia si de eius ratione esset unitas numerica, quidditas rei materialis non posset inveniri, nisi in unico individuo. Si de eius ratione esset communitas seu multiplicitas numerica, quidditas rei materialis nunquam posset inveniri in unico individuo. Quae indifferentia procedit ex eo, quod talis essentia absolute accepta, se habet ad individua tamquam *totum potentiale*, quod virtualiter ea continet.

Ergo 1. singularitas et communitas accidunt essentiae rerum materialium absolute seu abstracte consideratae, tamquam aliquid ipsi extrinsecum.

2. Quatenus talis essentia singularitate seu unitate numerica actualiter afficitur, trahitur ad ordinem existentium extra intellectum seu a parte rei ; quum physice non existant, nisi singularia, nempe essentiae sub determinationibus individualibus quae pro essentiis compositis sunt conditiones materiae individualis. Trahitur videlicet *ad ordinem physicum.*

3. Quatenus eidem essentiae accidit communitas, videlicet formalis relatio ad individua ope intellectus eam actualiter considerantis tamquam totum universale relate ad suas partes subiectivas; trahitur ad ordinem entium rationis, nempe *ad ordinem logicum*. Etenim entia rationis formaliter non existunt nisi in intellectu, quum sint termini immediati secundarum intentionum seu conceptuum reflexorum.

4. Tandem quatenus absolute accipitur essentia in praecisione a singularibus, in qua rationem totius universalis habet *materialiter*, non *formaliter*, propter defectum actualis comparationis ad individua, est terminus immediatus primae intentionis seu conceptus directi, et idcirco existit a parte rei, sed *non eo modo* quo apprehenditur, quum non existat praecisa a singulari. Sub quo respectu pertinet *ad ordinem metaphysicum*.

Haec est summa doctrinae Sancti Thomae de Universalibus, quam praeclare proponit in Opusc. de Ente et Essentia Cap. IV, in quo fundamenta iacit triplicis rerum ordinis *physici*, *metaphysici* et *logici*. Etenim *ordo physicus* est ordo naturarum sensibilium in sua singularitate acceptarum. *Ordo metaphysicus* est ordo earumdem in praecisione a singularibus vel ab inferioribus. *Ordo logicus* est ordo earumdem relate ad singularia et ad inferiora, tamquam totorum universalium ad partes subiectivas, nempe tamquam *genera* vel *species*. Ordo logicus fundatur immediate in metaphysico, qui fundatur immediate in physico. In ordine physico consideratur natura tamquam *unum* in *uno;* in ordine metaphysico, tamquam *unum de multis;* in ordine logico tamquam *unum in multis* (1).

PROBATUR SECUNDA PARS.

163. I. Dantur a parte rei naturae singulares, queis conveniunt eadem praedicata essentialia, sive specifica ut *Petrus*, *Ioannes;* sive tantum generica, ut *Petrus*, *haec aquila, hic lapis;* quae, quum considerantur ab intellectu cum praecisione a notis individualibus tantum, vel etiam a specificis differentiis, evadunt proxime apta ad recipiendam intentionem universalitatis sive specificae, sive genericae. Iamvero hoc est praebere fundamentum intellectui ad intentiones logicas speciei vel generis concipiendas. Ergo universale formale seu logicum habet fundamentum a parte rei. Hoc fundamentum esse *remotum* declarabimus in sequenti Thesi.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 85. art. 2. ad 2.; Opusc. 55. 56. De Universalibus: Comment. in lib. 2. De Anima lect. XII: in I. lib. Perihermenias lect. X; in lib. 2. Poster. Analyt. lect. XX. « Quod quidem universale est quiescens in anima... » etc.

II. Confirmatur ex S. Thoma (1). « Eorum, quae significantur nominibus, invenitur triplex diversitas. Quaedam enim sunt, quae secundum « esse totum completum sunt extra animam; et huiusmodi sunt entia « completa, sicut *homo* et *lapis*. Quaedam autem sunt, quae nihil habent « extra animam, sicut *somnia* et *imaginatio chimerae. Quaedam autem* « *sunt quae habent fundamentum in re extra animam*, sed complementum rationis eorum, quantum ad id quod est *formale*, est per operationem animae, ut patet in universali. Humanitas enim est aliquid « in re, non tamen ibi habet rationem universalis, cum non sit extra « animam aliqua humanitas multis communis: sed secundum quod accipitur in intellectu, adiungitur ei per operationem intellectus intentio, « secundum quam dicitur *species* ».

THESIS II.

Universale materiale seu metaphysicum est in rebus materialibus, *quoad id,* quod humanus intellectus concipit de eo, *non vero quoad modum,* quo ipsum concipit.

PROBATUR.

164. I. *Id quod* intellectus concipit, concipiendo universale metaphysicum seu directum, est quidditas rei materialis; *modus,* quo eam concipit est abstratio, videlicet concipit eam in praecisione a notis individualibus (propter rationes dandas in tract. de origine humanae cognitionis). Atqui quidditas rei materialis invenitur quidem a parte rei, nempe in rebus materialibus existentibus; sed non invenitur in eis abstracta a notis individualibus. Ergo universale metaphysicum invenitur in rebus *quoad id* quod concipitur, *non quoad modum* quo concipitur.

II. Confirmatur ex eo quod nomina significantia universalia directa, quamvis cum veritate praedicentur de singularibus, ut quum dico *Petrus est homo, est animal;* attamen habent minorem comprehensionem et maiorem extensionem, quam singularia de quibus praedicantur. Atqui si *ratio significata per nomen* non inveniretur in singularibus, falso praedicaretur de eis; si autem inveniretur eodem modo, habere deberent eamdem comprehensionem et extensionem. Ergo universalia directa inveniuntur a parte rei *quoad id quod* concipitur, non tamen *quoad modum* concipiendi.

---

(1) In I. Sent. Dist. XIX. q. V. a. 1.

III. Universale directum ideo est proxime aptum ad accipiendam intentionem universalitatis, quia importat essentiam liberam a determinatione ad unum individuum. Atqui hoc modo non invenitur in re singulari existente. Ergo universale directum *quoad modum,* quo concipitur non est extra intellectum. Maior et Minor patent ex dictis in Thesi I.

165. Idcirco S. Thomas (1) postquam demonstraverit naturam secundum illud esse quod habet a parte rei, non esse proxime aptam ad accipiendam intentionem universalitatis; ita concludit: « Relinquitur « ergo quod ratio speciei accidit naturae humanae secundum illud esse « quod habet in intellectu. Ipsa enim natura habet esse in intellectu « abstractum ab omnibus individuantibus, et habet rationem uniformem « ad omnia individua, quae sunt extra animam, prout essentialiter est « *imago* omnium et inducens in cognitionem omnium in quantum sunt « homines: et ex hoc quod talem relationem habet ad omnia individua, « intellectus adinvenit rationem speciei et attribuit sibi; unde dicit « Commentator. I. de Anima, quod intellectus est, qui facit universa- « litatem in rebus: hoc etiam Avicenna dicit in 8. Metaph.

« Et quamvis haec natura intellecta habeat rationem universalis se- « cundum quod comparatur ad res, quae sunt extra animam, quia est « una similitudo omnium; tamen secundum quod habet esse in hoc « intellectu vel in illo, est species quaedam intellecta particularis » (videlicet est *repraesentative* universalis, *entitative* autem particularis).

166. **Corollarium.** Universale materiale habet fundamentum proximum in rebus exterioribus; universale autem formale habet in eis fundamentum remotum (2).

SCHOLION I.

Distinctis variis abstractionibus, rationem damus, ob quam ad hoc ut natura aliqua praedicetur per identitatem de suis inferioribus, debeat esse abstracta **abstractione praecisiva totali.**

167. *Distingue abstractionem secundum efficientiam, ab abstractione secundum considerationem.* Prima est operatio *intellectus agentis* causantis *speciem impressam* quidditatis materialis praecisae a conditionibus individualibus in intellectum possibilem cum instrumentali concursu phantasmatis. Secunda est operatio *intellectus possibilis* considerantis *in specie expressa* quidditatem rei materialis abstractam a conditionibus individualibus. Haec supponimus ex Psychologia.

(1) Opusc. de Ente et Essentia, Cap. IV.
(2) Cfr. S. Th. in I. Sent. Dist. 2. q. I. a. 3.

168. *Abstractio secundum considerationem* distinguenda est in abstractionem per *modum compositionis* et *divisionis* et in abstractionem *per modum simplicitatis* seu *praecisivam.* Prima habetur quum intelligimus unum non esse in alio, vel esse separatum ab eo. Ad quam abstractionem requiritur operatio iudicii, puta quum negamus rationalitatem asino. Secunda habetur, quum intelligimus unum, nihil considerando de alio; puta, quum consideramus colorem praescindendo a pomo, cuius est color (1).

169. *Abstractio per modum simplicitatis seu praecisiva* dividitur in *partialem* et *totalem.*

Partialis habetur quando consideratur pars abstracta a suo toto integrali, sive quantitativo, sive physico, sive logico, ut cum considero animalitatem ad modum formae metaphysicae praecisam ab homine: vel humanitatem praecisam a Petro; vel colorem praecisum a pomo.

Totalis habetur quando aliquid consideratur ut *totum potentiale* abstractum a suis inferioribus, quae tamen quum *positive non excludat, implicite* et *confuse continet* in sua indeterminatione; ut quum considero *animal* praescindendo a *rationali* et *irrationali;* vel quum considero *hominem* praescindendo a *Petro*, *Paulo* et *caeteris individuis humanis.* Sic enim considerata *animal* et *homo* continent in sua indeterminatione implicite et confuse omnia inferiora, quibus possunt applicari.

Haec est ratio cur *natura abstracta abstractione praecisiva tatali* praedicari possit per identitatem de singulis inferioribus, et suscipere intentionem universalitatis, per quam consideratur ut unum aptum praedicari de pluribus univoce et divisim. Recte enim dicere possum *Petrus est homo; Paulus est homo; homo est animal; animal est corpus.*

Minime autem *natura abstracta abstractione praecisiva partiali* praedicari potest per identitatem de inferioribus, quia nulla pars praedicatur de suo toto; et ideo nequeo dicere; *Petrus est humanitas; homo est animalitas: animal est corporeitas* (2).

---

(1) Cfr. S. Th. in 1. p. q. 85. a. 1. ad 1.

(2) Cfr. S. Th. De Ente et Essentia, Cap. IV. et 1. p. q. 40. a. 3.

SCHOLION II.

De praedicabilitate nominum significantium essentiam genericam vel specificam **in abstracto,** *et nominum eam significantium* **in concreto.**

170. I. Nomina generica et specifica alia sunt *abstracta*, alia *concreta:* v. g. *animalitas* est nomen genericum abstractum; *animal* est nomen genericum concretum: primo designatur ratio viventis sensitivi ad modum formae abstractae, secundo designatur ratio viventis sensitivi concrete in subiecto indeterminato; etenim est proprium nominis concreti materialiter connotare subiectum.

II. Quando nomen genericum est abstractum, ratio generica significatur tamquam forma abstracta, et ideo tantummodo ad modum partis: tunc enim genus consideratur praecisum praecisione partiali a quolibet inferiori; et in hac praecisione species contradistinguitur a genere per differentiam additam, et se habet ad genus ut totum integrale logicum ad partem. Unde neque dici potest *animalitas est rationalitas*, quia sic *animalitas* exhibetur ut pars determinabilis *a rationabilitate*, tamquam a principio determinante; neque dici potest *animalitas* est *humanitas,* quia *animalitas* exhibetur ut pars determinabilis, *humanitas* autem ut totum integrale, resultans ex parte determinabili et ex parte seu principio determinante.

III. Similiter, quando nomen specificum essentiae compositae est abstractum abstractione praecisiva partiali seu formali, essentia significatur tantummodo ad modum partis; siquidem exhibetur *praecisa* ut *forma metaphysica* a subiecto, et in hac praecisione individuum contradistinguitur ab essentia mediantibus notis individuantibus, et se habet ad essentiam ut totum ad partem. Quare non potest dici: *Socrates est humanitas.* Quemadmodum enim pars non praedicatur de toto; ita neque de Socrate humanitas, quae significatur per modum partis formalis, determinantis subiectum ad subsistendum in specie humana.

In his entibus poterit nomen abstractum essentiae praedicari de subiecto, in quibus essentia est ipsa specifica forma per se subsistens, quae, cum non recipiatur in aliqua materia, est ex se ipsa essentia specifica singularis subsistens. Id in angelis contingit, qui in tantum numerice differre possunt et multiplicari, in quantum unusquisque specifice differt ab alio. Eminenter autem id verificatur de Deo, qui est ipsa Deitas (1).

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 3. art. 3. in corp. et q. 50. art. 4.

IV. Quando nomen genericum vel specificum est concretum, potest praedicari de individuis. Ratio est quia nomina concreta praeter formalem habent etiam significationem materialem, nempe subiecti; atque adeo non significant exclusive aliquam formam abstractam, sed subiectum aliquod indeterminatum, habens formam tali nomine significatam. Quapropter dicendo animal significo aliquod subiectum indeterminatum habens animalitatem in aliqua specie, quae sub genere animalis continetur. Etenim ratio animalis, quando non consideratur sub praecisione formali seu partiali, sed *totali,* ad modum totius potentialis, continet indeterminate omnes species inferiores et ipsa individua, neque positive excludit ipsas differentias harum specierum constitutivas, sed abstrahit ab illis, ideoque, quamvis illas actu non includat, includit tamen potentiâ (1).

Item cum dico: *homo,* significo aliquod subiectum indeterminatum habens humanitatem. Sic autem considerata essentia humana non habet rationem partis seu formae excludentis a sua significatione singularia individua, in quibus ratione materiae multiplicatur; sed habet rationem *totius*, videlicet subiecti, licet indeterminati, *cum sua forma.* Quare cum *essentia composita* significatur *concrete* ad modum totius, includit implicite in suo conceptu individua, seu subiecta singularia in quibus essentia composita ratione principii materialis multiplicatur. Sic enim non excludit principia individuantia, sed ob connotationem subiecti indeterminati ea *implicite* includit. Unde dicere possumus: *Socrates est homo.*

SCHOLION III.

De distinguenda suppositione logica a reali; et specie formaliter a specie denominative accepta.

171. *Distingue suppositionem logicam a reali;* et hanc subdistingue in *absolutam* et *relativam* seu *personalem.* Ex. gr. quum dico : *homo est species;* terminus *homo* habet suppositionem logicam. Quum dico: *homo est animal rationale*, terminus *homo* habet suppositionem realem *absolutam.* Quum dico: *homo est Petrus*, terminus *homo* habet suppositionem realem *personalem.*

172. *Distingue speciem formaliter a specie denominative* accepta. Prima est compositum accidentale logicum ex natura abstracta et ex intentione universalitatis specificae; ex. gr. *species homo.* Haec non

(1) Cfr. S. Th. De Ente et Essentia, Cap. III. « Quamvis autem genus significet totam essentiam... » etc.

potest praedicari de inferioribus in suppositione reali. Et ideo nequimus dicere: *Petrus est species homo.* Id enim idem esset ac dicere: *Petrus est universalitas naturae humanae* (cfr. n. 160. e).

Secunda est ipsa natura abstracta, cui accidit intentio universalitatis specificae, a qua connotatur. Dicitur *species denominative,* quia quum natura abstracta in composito accidentali logico, quod est *species formalis,* locum teneat subiecti recipientis formam accidentalem intentionis universalitatis specificae; connotatur et denominatur ab ea, quemadmodum caetera subiecta formarum accidentalium a suis formis accidentalibus connotantur et denominantur. Quare *species denominative accepta,* quum sit ipsa natura absoluta, praedicari potest de inferioribus suppositione reali. Recte enim dico: *Petrus est homo, Paulus est homo*, etc.

Quae modo diximus de specie, valent etiam de genere aliisque universalibus quatenus accipiuntur vel *formaliter* vel *denominative* (1).

THESIS III.

Nominalismus, Conceptualismus et Ultrarealismus reiiciuntur.

PRAENOTIONES.

173. I. Triplicis generis adversarios habemus, *nominales, conceptualistas et ultrarealistas: Nominales* asserunt universalia esse mera nomina, quae licet ex sua institutione designare debuerint aliquod individuum singulare, tamen propter huius apparentem similitudinem ad alia individua, extensa sunt ad haec etiam designanda et ita evaserunt *communia. Conceptualistae* autumant universalia esse meros conceptus absque ullo fundamento in rebus. *Ultrarealistae* aiunt universalia formaliter existere a parte rei. Hi in tres classes dispescuntur, Platonicos, Ontologos et alios absque speciali nomine. *Platonici* putabant dari extra intellectum formas quasdam universales per se subsistentes et a singularibus individuis separatas, puta *per se animal, per se equum, per se hominem* etc. a quibus intellectus noster reciperet species intelligibiles universales animalis, equi, hominis etc. *Ontologi* existimant nos universalia concipere quatenus ea directe et immediate intuemur in divinis ideis, intuendo Divinam Essentiam. Hi nos aequiparant Beatis. Tandem alii cum Gulielmo de Champeaux asseruerunt

(1) Confer Cardinalem Caietanum, Comment. in Opusc. de Ente et Essentia. Cap. IV. Quaest. VII. pag. 465, 466, editionis Traiectensis anni 1883.

universalia existere a parte rei, eo quod unica quaedam substantia existat, quae per varia accidentia ipsi inhaerentia determinatur ad varia individua constituenda. Realismus exaggeratus sive sub forma realismi materialis, sive sub forma realismi transcendentalis proponatur, viam sternit ad errores Pantheismi.

II. Causa errandi circa universalia semper fuit falsa existimatio, qua putaverunt quidam Philosophi rem cognitam habere extra intellectum eundem modum essendi, quem habet in intellectu. Quae opinio falsa est, nam cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad rem cognitam *secundum esse intentionale,* non autem *secundum esse reale.* Ad quam intentionalem assimilationem requiritur immaterialitas in potentia cognoscitiva. Cognitum autem est in cognoscente ad modum cognoscentis (1).

PROBATUR PRIMA ET SECUNDA PARS.

174. I. Aiunt Nominales nomina communia fundari in quadam apparenti similitudine, quam plures res existentes habent inter se. Iamvero haec similitudo non posset apparere, nisi inveniretur in rebus; non posset nominari, nisi conciperetur ab intellectu. Ergo falsi sunt conceptualismus et nominalismus.

II. Ipsa experientia confirmat hanc unitatem formalem similitudinis rerum esse aliquid intrinsecum rebus, in quibus numerice multiplicata invenitur. Etenim res, quas nominibus communibus significamus, conveniunt in iisdem perfectionibus essentialibus. Iamvero nihil est adeo intrinsecum, quam sua cuique essentia. Ergo ipsa experientia convincimur dari a parte rei perfectiones, quae retinentes suam formalem rationem, numerice multiplicantur.

III. Dum individua in continuo fluxu sibi succedunt, rerum naturae remanent in sua formali ratione immutabiles, ita ut in hac immutabilitate fundentur omnes scientiae et artes, quarum obiectum est reale. Atqui haec formalis immutabilitas naturarum in continuo fluxu individuorum et habetur extra animam et fundat omnes conclusiones scientiarum et artium, quae sunt conclusiones universales. Ergo universalia non sunt mera nomina, neque meri conceptus absque fundamento a parte rei.

IV. Nomina sunt signa conceptuum et, his mediantibus, sunt signa rerum. *Ratio* enim per nomen significata est id, quod intellectus con-

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 84, art. 1. et 2.

cipit de re. Atqui intellectus concipit essentias, quae quantumvis multiplicentur per individua sine fine, semper retinent suam formalem unitatem, cui respondet eadem definitio. Ergo universalia non sunt mera nomina, neque vacui conceptus, quibus nihil respondeat a parte rei.

PROBATUR TERTIA PARS.

175. I. Si universalia formaliter existerent a parte rei separata a singularibus, excluderent simul a seipsis multiplicitatem numericam et non excluderent. Excluderent quidem, quia quidquid existit separatum ab aliis, quum sit numerice unum, excludit a se multiplicitatem numericam: non excluderent, quia de formali ratione universalis est multiplicitatem numericam non excludere, sed importare. Atqui haec duo contradictorie opponuntur. Ergo universalia nequeunt formaliter existere extra animam.

« Universale, quod intendimus, praedicatur de omnibus inferioribus, « quorum unumquodque est ipsum (eo modo quem explicavimus). Tale « autem universale, quod Plato ponebat separatum, non praedicatur « de suis individuis, nec aliquod ipsorum est ipsum. Ergo aut non est « ponere universale, aut non est sic ponere separatum, sicut Plato « ponebat » (1).

Neque dicas universalia platonica esse singularia *entitative*, universalia autem *repraesentative*. Nam huiusmodi nequeunt esse nisi vel conceptus abstracti rerum materialium, qui sunt in nostro intellectu, vel earumdem rerum ideae archetypae, quae sunt in intellectu divino. Etenim essentia quaelibet materialis, quum nequeat existere absque conditionibus individualibus, poterit quidem esse a parte rei *fundamentaliter* seu *in potentia* universalis, non autem *actualiter*.

Praeoccupatur obiectio Scoti. Quod si diceres cum Scoto essentiam esse a parte rei formaliter universalem, quatenus in ipsa re singulari habet aptitudinem ad plura, falsum diceres. Nam (ut in Thesi 2. declaravimus) ipsa aptitudo ad plura non competit essentiae quatenus existit in singulari individuo; sed quatenus habet esse in intellectu eam *absolute* concipiente, videlicet quatenus intellectus per simplicem apprehensionem eam concipit abstractam a notis individualibus. Confer Caietanum in Comment. ad Opusc. de Ente en Essentia (2), ubi refutat hanc opinionem Scoti. Cuius opinionis falsitas vel ex eo apparet, quod a parte rei humanitas Socratis, non potest esse nisi Socratis, quum

(1) S. Th. Opusc. LV. de Universalibus.
(2) Cap. IV. quaest. VII.

non possit existere absque notis individualibus Socratis, cum quo realiter, licet inadaequate, identificatur. Idcirco S. Thomas saepe repetit aptitudinem ad essendum in pluribus non competere naturae materiali secundum esse quod habet in singulari, sed secundum esse quod habet in intellectu.

Confirmatur ex S. Thoma, qui (1) ostendit Platonem, introducendo universalia per se subsistentia immaterialia et immobilia: 1. abstulisse proprium obiectum scientiarum naturalium, nempe materiam et motum; 2. suppeditavisse nobis medium maxime ineptum ad acquirendam notitiam rerum sensibilium, quae licet nobis sint maxime obviae, tamen non possent a nobis cognosci nisi mediante cognitione substantiarum separatarum et differentium ab ipsis.

II. *Opinio Ontologorum* fundatur in falso supposito, videlicet nos intueri immediate ipsum ens infinitum, nempe Deum. Cuius suppositionis falsitas, quae suo loco demonstrabitur, procedit ex eo quod conceptum analogicum et confusissimum entis, quod nos speculamur in rebus materialibus, confundunt cum intuitu ipsius actualissimi entis, quod est *ipsum esse subsistens* seu actus purissimus subsistens, nempe Deus.

III. *Opinio Gulielmi de Champeaux, caeterorumque* asserentium universale esse substantiam unicam existentem a parte rei, quae per varia accidentia ipsi inhaerentia determinatur ad varia individua constituenda, est insanum commentum, gratuito assertum, ipsique experientiae et communi hominum sensui repugnans. Dari enim totidem substantias materiales singulares, quot sunt res materiales per se existentes quarum unaquaeque est indivisa in se et divisa a quacumque alia, atque habet propriam existentiam et proprias operationes; est luce meridiana clarius. Caeterum huius et similium errorum plena refutatio reservatur Cosmologiae.

OBIECTIONES NOMINALIUM ET CONCEPTUALISTARUM.

176. **Obiect. I.**[a] Quidquid existit extra intellectum est singulare et individuum. Atqui naturae materiales existunt extra intellectum. Ergo naturae materiales sunt singulares et individuae. Ergo universalia non sunt nisi nomina et conceptus.

Resp. *Dist. mai.* Quidquid existit extra intellectum est singulare et individuum vel ratione sui (ut essentiae immateriales); vel ratione subiecti in quo recipitur (ut essentia et forma rerum materialium),

(1) 1. p. q. 84. a. 1.

Conc. Est semper singulare et individuum ratione sui, *Nego. Conc. min. Dist. primum conseq.* Naturae materiales sunt singulares et individuae ratione principiorum individualium, quibus coarctantur ad esse in aliquo singulari individuo, *Conc.*, ratione sui, *Nego.* Nam esse in aliquo singulari accidit essentiae materiali absolute consideratae (cfr. n. 162. IV).

Obiect. 2ª. Si naturae materiales existentes extra intellectum essent singulares ratione principiorum individualium, distinguerentur ab individuis. Atqui natura materialis non distinguitur ab individuo, cuius est natura. Ergo naturae materiales sunt singulares ratione sui.

Resp. *Dist. mai.* Si naturae materiales existentes importarent formam et materiam communem, *Conc.*, si important hanc materiam et hanc formam, *Nego. Contrad. min.* Ipsa natura materialis singularis, quae includit principia individualia, non distinguitur ab individuo. *Conc.*, natura in communi, quae importat solam definitionem, *Nego* (1). Haec plene intelligentur, quum agemus de principio individuationis substantiarum materialium.

Obiect. 3ª. Si universalia essent in rebus alio modo, quam sunt in intellectu, mens cognosceret res alio modo, quam sunt in seipsis. Atqui huiusmodi cognitio esset falsa. Ergo vel universalia non existunt a parte rei, vel existunt formaliter ut universalia.

Resp. *Dist. mai.* Si mens per compositionem vel divisionem tribueret naturis a parte rei intentionem universalitatis, *Conc.*, si mens per abstractionem praecisivam totalem considerat rationem aliquam genericam vel specificam praescindendo ab inferioribus vel a notis individualibus. *Nego. Contrad. min.* (2).

Obiect 4ª. Res debet esse prorsus eodem modo in cognoscente sicut in seipsa. Nam cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum. Atqui non adesset haec assimilatio, si res essent diverso modo in intellectu, quam in seipsis. Ergo res debent esse prorsus eodem modo in intellectu ut in seipsis.

Resp. *Nego subsumpt. Ad probat. dist. mai.* per assimilationem intentionalem, *Conc.,* per assimilationem realem, *Nego. Contrad. min.* (cfr. n. 173. II.). S. Thomas (3) sic concludit: « Cum ergo dicitur quod « intellectus est falsus, qui intelligit rem aliter quam sit, verum est « si ly *aliter* referatur *ad rem intellectam,* tunc enim intellectus est « falsus, quando intelligit rem esse aliter, quam sit: unde falsus esset « intellectus, si sic abstraheret speciem lapidis a materia, ut intelligeret

---

(1) Cfr. S. Th. in VII. Metaph. Lect. XI.
(2) Cfr. T. Th. Opusc. XLIII. De potentiis animae c. 6.
(3) 1. p. q. 85. a. 1. ad 1.

« eam non esse in materia, ut Plato posuit. Non est autem verum « quod proponitur, si ly *aliter* accipiatur *ex parte intelligentis:* est « enim absque falsitate, ut alius sit modus intelligentis in intelligendo, « quam modus rei in essendo; quia intellectum (nempe id quod intel- « ligitur) est in intelligente immaterialiter per modum intellectus, non « autem materialiter per modum rei materialis ».

Obiect. 5ª. *Universale* est essentia abstracta, communis, praedicabilis de pluribus. Atqui huiusmodi essentia est solum in intellectu. Ergo universale nullo modo est in rebus.

Resp. *Dist. mai.* Si ei accidat intentio communitatis et praedicabilitatis de pluribus, *Conc.*, si ei non accidat haec intentio universalitatis, *Nego.* Quia ita non esset universale *formaliter,* sed *materialiter* tantum. *Contrad. min.* Si ei accidat intentio universalitatis, est solum in intellectu formaliter, in rebus autem tamquam in fundamento remoto, *Conc.*, si ei non accidat intentio universalitatis, *Subd.* Est solum in intellectu *quoad modum* concipiendi, *Conc.*, *quoad id quod* concipitur, *Nego.* Nam huiusmodi est universale materiale, sicut in Thesi 2. probavimus.

OBIECTIONES ULTRAREALISTARUM

177. **Obiect. 1ª.** Universale dicitur ab Aristotele « Unum praeter multa ». Atqui unum praeter multa non invenitur realiter in multis. Ergo universale est natura separata a rebus sensibilibus.

Resp. *Dist. mai.* Universale dicitur unum praeter multa secundum esse, *Nego*, secundum considerationem intellectus, *Conc. Contrad. min.*

Obiect. 2ª. Scientia est verorum et existentium. Atqui scientia est de universalibus. Ergo praeter singularia existunt universalia in seipsis.

Resp. *Dist. mai.* Quatenus abstrahuntur a conditionibus individualibus, *Conc.*, quatenus considerantur in sua singularitate, *Nego. Dist. min.* scientia est de universalibus materialiter acceptis, *Conc.*, de universalibus formaliter acceptis, *Nego.* Quia talis est sola *Scientia Logica. Nego conseq.*

Obiect. 3ª. Scientiae sunt de universalibus immutabilibus et aeternis. Sed res materiales sunt mutabiles et temporales. Ergo dari debent universalia subsistentia.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Res materiales sunt mutabiles et temporales secundum *esse existentiae*, *Conc.*, secundum *veritatem essentiae*, videlicet secundum *habitudinem praedicatorum essentialium*, *Nego. Nego conseq.*

OBIECTIONES MAGIS DIRECTAE CONTRA I. THESIM.

178. **Obiect. 1ª.** Natura secundum se spectata est una et multiplex, nam inest omnibus singularibus. Atqui unitas et multiplicitas alicuius naturae constituunt formaliter universale. Ergo naturae reales secundum se spectatae sunt universales.

Resp. *Dist. mai.* Natura secundum se idest absolute spectata est multiplex *negative, Conc.,* est multiplex *positive, Nego.* Nam absolute spectata neque includit neque excludit singularia, sed praescindit ab eis, ut in Thesi 1. et 2. declaravimus. *Contrad. min.* Unitas et multiplicitas alicuius naturae, si *positive* spectentur, faciunt universale *formaliter*, *Conc.*, si *negative* spectentur, *Nego.* Nam sic faciunt universale *materiale* (n. 160. *a*).

Obiect. 2ª. Universale dicitur quod praedicatur de multis. Atqui natura secundum se et absolute spectata praedicatur de multis. Ergo natura secundum se spectata est universalis.

Resp. *Dist. mai.* Universale *denominative* acceptum, *Conc.*, ipsum universale *formale, Nego. Conc., min. Dist. cons.* est universale *denominative* dictum, *Conc.,* est universale *formale, Nego.*

Quum universale definitur *id quod praedicatur de multis,* haec definitio est concreta. Iamvero in definitione concreta accidentis, *id quod* secundum modum significandi denominatur a definitione, non est ipsa forma accidentalis, quae *quoad rem* definitur, sed est subiectum huius formae. Et ideo ex eo quod natura absoluta sit id quod praedicatur de multis, non sequitur eam esse ipsum universale formale. Hoc enim includit ipsam *intentionem universalitatis*, videlicet est universalitas naturae praedicabilis (cfr. n. 161).

OBIECTIONES SCOTISTARUM.

179. **Obiect. 1ª.** Circumscripto quocumque actu intellectus, res est apta esse in pluribus. Nam universale obiective in actu, ut distinguitur a singulari, definitur ab Aristotele (1) *quod aptum natum est esse in pluribus.* Atqui si res independenter a quocumque actu intellectus non esset apta ad essendum in pluribus, haec aptitudo ei repugnaret. Ergo res est ex seipsa universalis.

Resp. *Dist. mai. Res* idest *quidditas rei materialis* est apta esse in pluribus, *quatenus* existit in singulari, *Nego*, quatenus *directe* apprehenditur ab intellectu, *Subd.* Dicit *meram non repugnantiam* ut sit in pluribus, *Conc., formaliter* consideratur esse in pluribus, *Nego. Dist.*

(1) I. Periherm.

ration. addit. Verba Aristotelis competunt *universali materiali, Conc.*, *universali formali*, *Subdist.* Si *aptitudo* minus proprie sumatur pro ipso actuali ordine praedicabilitatis ad plura, *Conc.*, si magis proprie sumatur, pro *mera non repugnantia* suscipiendi talem ordinem, *Nego.* (cf. n. 160).

Dist. min. Si res in suis praedicatis essentialibus *positive* excluderet multiplicitatem numericam, *Conc.*, si huic non repugnaret, *Nego.* Nemo non videt quidditatem rei materialis *quatenus* existentem in singulari *repugnare* multiplicitati numericae; consideratam autem ab intellectu in praecisione a notis individualibus, quum unitatem numericam neque includat neque excludat, *non repugnare* numericae multiplicitati seu formali universalitati. Unde si quis pro *aptitudine* intelligat *meram non repugnantiam*, potest quidditas directe percepta dici *apta*, ut sit in pluribus. Si quis vero pro *aptitudine* intelligat *actualem relationem* ad plura, possunt dici *formaliter apta* tantum *genera* et *species; denominative* autem aptae ipsae quidditates abstractae quatenus praedicantur tamquam *rationes genericae* vel *specificae* de pluribus; ut quum dico: *homo*, praedicatur *ut ratio specifica* de Petro, Paulo, Andrea etc.; *Animal* praedicatur *ut ratio generica* de homine, bove et asino etc. Cf. n. 172.

Obiect. 2ª. Obiectum alicuius potentiae praecedit operationem huius circa ipsum. Atqui universale in actu est proprium obiectum intellectus. Ergo praecedit actum intellectus. Ergo est a parte rei independenter a quacumque operatione intellectus.

Resp. *Dist. mai.* Obiectum potentiae activae, *Nego*, obiectum potentiae passivae, *Subd.* Quoad rem, *Conc.*, quoad modum essendi vel considerandi rem, *Nego. Dist. min.* Est proprium obiectum intellectus possibilis, *Conc.*, est proprium obiectum intellectus agentis, *Subd.* Tamquam terminus operationis eius, quae est *abstractio efficiens*, *Conc.*, tamquam *principium* eiusdem, *Nego.*

Obiect. 3ª. Illud est universale formale, quod huius definitionem suscipit. Atqui natura absoluta suscipit definitionem universalis formalis: ut quum dico: *genus* est *natura determinabilis universalis.* Ergo natura absoluta est *universale formale.*

Resp. *Dist. mai.* Si suscipiat definitionem abstractam, *Conc.*, si suscipiat definitionem concretam, *Subd.* Si hanc suscipiat materialiter, seu *ut quod*, *Nego*, si hanc suscipiat *formaliter* et *ut quo*, *Conc. Contrad. min.* Natura absoluta suscipit definitionem abstractam universalis formalis, *Nego.* Suscipit definitionem concretam, *Subd. Materialiter* seu ut *id quod denominatur* a forma definita, *Conc.*, *formaliter* seu *ut quo*, *Nego.*

QUAESTIO II.

DE UNIVERSALIBUS IN PARTICULARI

CAPUT I.

DE NUMERO ET FUNDAMENTO PRAEDICABILIUM

THESIS IV.

Praedicabilia sunt quinque: Genus, Species, Differentia, Proprium et Accidens.

180. Haec Thesis demonstrata fuit in Logica Minori n. 85. Insuper definitiones concretae descriptivae singulorum praedicabilium traditae sunt ibidem n. 91.

OBIECTIO.

181. Praedicabilia sunt septem. Nam *individuum vagum* et *persona* praedicantur de pluribus. Atqui haec non pertinent ad ullum ex quinque assignatis praedicabilibus. Ergo praedicabilia sunt septem.

Resp. *Nego assertum. Ad rat. addit. Dist. Individuum vagum* et *persona* praedicantur de pluribus *analogice, Conc., univoce, Nego. Conc. min.*

Individuum vagum, ex. gr. *aliquis homo*, importat naturam communem cum determinato modo essendi, qui competit rei singulari, sub quadam confusione significato. Unde, quum determinatus modus essendi non possit esse plurium, sed sit unius tantum; nomen quod hunc modum essendi confuse significat, potest dici de multis, tantum analogice secundum proportionalitatem propriam. Dum enim sub quadam confusione unum singulare significat, potest extendi ad ea omnia significanda, quae proportionaliter conveniunt in hoc, quod est habere proprium determinatum modum essendi.

Idem dicas de nomine *persona*, quod significat *rationalis naturae individuam substantiam*. Quum enim individuatio directe opponatur universalitati; necesse est ut nomen *persona* nonnisi analogice de pluribus praedicetur.

Haec est doctrina S. Thomae, quam ex pluribus locis collectam refert Cosmus Alamannus (1).

---

(1) Alamannus, Summa Philos. 1. p. q. 2. a. 6.

THESIS V*.

Intentiones generis et differentiae desumuntur 1. tamquam a fundamento proximo a tota essentia rei, quatenus haec ab intellectu consideratur vel sub formalitate nondum ultimo determinata; vel sub formalitate ultimo determinante; 2. tamquam a fundamento remoto, α) pro substantiis corporeis, genus desumitur a materia prima et differentia a forma substantiali; β) pro accidentibus, genus desumitur ex modo quo afficiunt substantiam, differentia ex diversitate principiorum ex quibus causatur, aut ex eorum effectibus; γ) pro substantiis spiritualibus seu pro naturis angelicis, genus desumitur ex earum immaterialitate; differentia autem ex vario gradu, quo participant de perfectione essendi (1).

PRAENOTIONES.

182. Ad hanc Thesim recte intelligendam sedulo animadvertant: *a) genus* et *differentiam* esse intentiones intellectuales, quae non existunt formaliter in rebus sed fundamentaliter tantum;

b) his duabus intentionibus resultare tertiam quamdam intentionem, quae vocatur *species;*

c) eas ad invicem ita se habere, ut *intentio generis* connotet essentiam aliquam consideratam sub formalitate quadam *adhuc determinabili;* et in hac *indeterminatione* nullam excludat a sua praedicabilitate rem, in qua eius formalitas inveniri possit determinata ad aliquem gradum perfectionis completae seu specificae. Sic *intentio generica corporis* connotat essentiam corpoream; seu substantiam cui competit trina dimensio, praescindendo a quocumque gradu perfectionis specificae, cuius substantia corporea sit capax. Et ideo *per se* praedicatur *in quid incomplete* de omnibus speciebus, et individuis corporeis.

Intentio autem *differentiae* connotat eamdem essentiam consideratam sub formalitate quadam *solum determinante;* et ideo si *formaliter* tantum consideretur, nihil includit indeterminati, eo quod repugnat, ut principium quatenus determinans habeat aliquam indeterminationem. Attamen si consideretur *simul secundum suppositionem materialem*

---

(1) Haec est doctrina S. Th., qui fere iisdem verbis eam proponit in Opusc. De Ente et Essentia, Capitibus III, VI, et VII, atque alibi. — Conferatur Cosmus Alamannus, qui in Summa Philos. 1. p. q. 3. a. 4. verbis S. Th. ex variis eius operibus collectis hanc quaestionem pertractat.

seu *ratione subiecti indeterminati,* quod importat *in recto*, includit potentialiter inferiora speciei cuius est differentia, idest vel species inferiores earumque individua, si sit *differentia intermedia;* vel tantum individua, si sit *differentia ultima.* Et ideo de his praedicari potest *in quale quid,* ut ratio universalis superior praedicatur de suis inferioribus. Sic dico: *Petrus est rationalis; homo est sensitivus; animal est vivens.* Relate autem ad speciem, cuius est differentia, praedicatur non ut ratio universalis superior de inferiori: sed tantum propter identitatem subiecti, ut totum exhibens *in obliquo* partem determinantem totius compositi de quo praedicatur. Id fit, quum dico: *homo est rationalis*, idest *habens rationalitatem.*

d) Ex conceptibus *generis* et *differentiae,* pro eo quod formaliter important, resultare conceptum *speciei;* qui adaequate repraesentat essentiam et exprimitur per definitionem. Talis est conceptus specificus *hominis,* qui definitur *animal rationale.*

Quapropter quum dico: *homo est animal; homo est rationalis; homo est animal rationale;* non designo diversas essentias, sed minus vel magis determinate eamdem essentiam; videlicet designo eamdem humanam essentiam, vel conceptu exhibente eam sub formalitate adhuc determibabili, vel conceptu eam exhibente sub formalitate tantum determinante; vel conceptu eam exhibente adaequate sub utraque formalitate determinabili et determinante; qui conceptus perfecte humanam naturam repraesentat.

e) Propter analogiam ad compositum physicum ex materia et forma, *genus,* utpote quod exhibeat essentiam sub formalitate determinabili, dici se habere *materialiter*, *differentiam* autem, utpote quae exhibeat essentiam sub formalitate solum determinante, dici se habere *formaliter; speciem* tandem, utpote quae exhibeat essentiam complete ex utroque principio constitutam, dici se habere ut *compositum perfectum.*

f) Indeterminationem conceptus generici non esse confundendam cum indeterminatione materiae primae. Nam indeterminatio materiae excludit ab hac omnem formam; indeterminatio autem generis non excludit ab eo formam: sed importat formam quamdam pluribus speciebus communem, utpote adhuc determinabilem a differentiis extra eius rationem formalem positis (1).

Nota. Si haec animadversio conferatur cum his, quae de analogia entis dicturi sumus in Ontologia: dilucidabitur quaestio quaedam valde

---

(1) Cf. S. Th. De Ente et Essentia c. III. « Et ideo dicit Commentator 2. met. quod etc. »

implicata, cur videlicet notio entis, quamvis se habeat ad sua inferiora ut totum potentiale universale; tamen non sit genus. Ideo enim ens non est genus, quia 1. extra rationem formalem entis, quod ab actu essendi denominatur, nequit inveniri differentia, quum quidquid quocumque modo habet esse, sit ens: unde ens dicitur transcendens; 2. quia *forma,* a qua denominatur *genus*, est de sui ratione *communis;* dum contra *forma*, a qua denominatur *ens*, est de sui ratione *singularis;* nam esse est ultima actualitas rei existentis. Unde ens non potest habere aliam communitatem praedicationis nisi analogicam.

PROBATUR PRIMA PARS.

183. Illud est proximum fundamentum, a quo sumuntur genus et differentia, quod est *proprium subiectum* intentionis generis vel differentiae. Atqui huiusmodi non est pars aliqua physica essentiae rei, puta materia vel forma; sed est ipsa integra essentia rei, quatenus *abstractione totali* consideratur vel secundum formalitatem nondum ultimo determinatam ad eius rationem specificam, vel secundum formalitatem ultimo eam ad hanc determinantem. Etenim genus definitur *natura praedicabilis de pluribus in quid incomplete;* differentia autem definitur *natura praedicabilis de pluribus in quale quid.* Ergo principium proximum a quo sumuntur genus et differentia est tota essentia rei sub diversis respectibus considerata. Confirmatur ex S. Thoma (1).

PROBATUR SECUNDA PARS.

184. *Quoad 1um membrum.* Illud est in aliqua essentia composita remotum seu radicale principium ex quo desumitur genus, quod est maxime potentiale in ea, quum ex ipsa tamquam ex radice pullulet tota rei potentialitas. Atqui in essentia corporea principium intrinsecum maxime potentiale est materia prima. Ergo materia prima est radicale principium, ex quo in substantiis materialibus desumitur genus.

Quoad 2um membrum. Illud est radicale seu remotum principium ex quo desumitur differentia in aliqua essentia composita, quod est principium intrinsecum determinans et actuans potentiam subiectivam, ad hoc ut ex ipsis tamquam ex actu et potentia resultet essentia composita per se una. Atqui in essentia corporea forma substantialis est

---

(1) De Ente et Essentia, Cap. III. « Et etiam talis est animalis habitudo ad hominem etc. »

principium intrinsecum actuans et determinans potentiam subiectivam sibi correspondentem, nempe materiam primam. Ergo forma substantialis est radicale principium, ex quo in substantiis materialibus desumitur differentia. Haec manifestiora fient ex dicendis in Philosophia naturali.

PROBATUR TERTIA PARS.

185. Quum accidentia non componantur ex materia et forma; eorum genus et differentia nequeunt radicaliter desumi ex materia et forma: sed genus uniuscuiusque accidentis desumendum erit ex eo, quod est ei commune cum caeteris accidentibus eiusdem praedicamenti; differentia autem ex eo, quod est ei proprium.

Iamvero *a)* id, in quo unum accidens convenit cum caeteris eiusdem praedicamenti accidentibus, est aliquis ex novem modis entis, qui constituunt genera suprema praedicamentorum accidentium; in quae aeque atque in decimum modum entis, qui est proprius substantiae, dividitur ens transcendens per additiones *improprie* dictas (ut in Ontologia demonstrabimus). Unusquisque autem ex his novem modis essendi accidentium *desumitur* ex diverso modo afficiendi substantiam; ita ut, si eam accidens afficiat extendendo, habeatur quantitas; si disponendo, habeatur qualitas; si referendo, habeatur relatio; etc. Ergo genus alicuius accidentis desumitur radicaliter ex diverso modo afficiendi substantiam.

b) Id per quod accidens unius praedicamenti exhibetur differre ab accidente eiusdem praedicamenti erit radix ex qua desumatur eius differentia specifica. Atqui huiusmodi α) sunt principia propria uniuscuiusque accidentis, ad quae eius essentia commensuratur; scilicet *vel subiectum* quod afficit, ut *simitas* distinguitur a caeteris curvitatibus per specialem habitudinem ad nasum, qui est proprium eius subiectum; *vel obiectum*, quod respicit, ut scientia astronomiae distinguitur a caeteris scientiis, eo quod habeat pro obiecto motus astrorum; *vel terminus* ad quem ordinatur, ut variae species relationum, etc. β) Si quorumdam accidentium principia sint nobis ignota, desumimus differentias *ab eorum propriis effectibus;* sic albedo definitur color disgregativus visus, quia propter abundantiam lucis id efficit; nigredo definiri posset color congregativus visus, quia hic effectus a paucitate lucis, vel ab eius partiali privatione procedit, etc. Ergo differentia accidentis desumitur radicaliter aut *ex eius propriis principiis,* aut *ex eius propriis effectibus* (1).

---

(1) Confer S. Th. De Ente et Essent. Cap. VII. in fine. « Et quia accidentia non componuntur ex materia et forma, ideo etc. »

PROBATUR QUARTA PARS.

186. Quum substantiae spirituales sint formae per se subsistentes completae in linea essentiae; earum *genus* desumendum erit radicaliter ex ea ratione, in qua conveniunt inter se; *differentia* autem desumetur ex ea ratione, per quam discrepant. Iamvero ratio, in qua conveniunt substantiae spirituales, est earum immaterialitas vel intellectualitas; rationes autem per quas discrepant, sunt diversi gradus, secundum quos participant de perfectione essendi, plus minusve recedendo a potentialitate et accedendo ad actum purum. Ergo pro substantiis spiritualibus completis in linea essentiae, *genus* radicaliter desumitur ex earum immaterialitate; *differentia* autem ex vario gradu, qud participant de perfectione essendi. (Haec manifestiora fient ex dicendis in Metaphysica).

187. Confirmatur verbis S. Thomae (1). « Cum autem substantiae « spirituales sint simplices quidditates, non potest in eis differentia « sumi ab eo, quod est pars quidditatis, sed a tota quidditate. Et ideo « in principio *de Anima* dicit Avicenna quod differentiam simplicem « non babent (idest differentiam desumptam a parte quidditatis earum), « nisi species quarum essentiae sunt compositae ex materia et forma. « Similiter etiam in eis ex tota essentia sumitur genus, modo tamen « differenti; una enim substantia separata convenit cum alia in imma- « terialitate. Differunt autem ab invicem in gradu perfectionis secun- « dum recessum a potentialitate et accessum ad actum purum. Et ideo « ab eo, quod sequitur illas inquantum sunt immateriales, sumitur in « eis genus, sicut intellectualitas, vel aliquid huiusmodi; ab eo autem, « quod sequitur in eis gradum perfectionis, sumitur in eis differentia « nobis tamen ignota ».

COROLLARIA

EX HUCUSQUE DEMONSTRATIS

188. **Intelliges 1.** *Quaenam sit ratio ob quam quidquid est in aliquo genere esse debeat compositum ex potentia subiectiva et actu vel in utroque ordine et essentiae et existentiae, vel saltem in ordine existentiae, si sit quidditas simplex subsistens, quae debet se habere ad esse existentiae ut potentia ad actum.*

Nam ipsi angeli ita convenire debent inter se in immaterialitate, tamquam in genere omnibus communi: ut distinguantur ab invicem

(1) In Opusc. de Ente et Essentia Cap. VI.

per maiorem vel minorem recessum a potentialitate, et accessum ad actum omnino purum, qui est ipsum esse subsistens, nempe Deum. Iamvero, nisi eorum essentia se haberet ut potentia subiectiva ad esse existentiae; repugnaret in eis hic maior vel minor recessus a potentialitate et accessus ad actum omnino purum; quum actus non limitetur nisi per potentiam, in qua recipitur, (ut in Ontologia demonstrabimus). Unde in tantum aliquid potest magis vel minus accedere ad actum purum, in quantum pro capacitate propria suae essentiae magis vel minus participare potest de perfectione essendi, ad quam se habeat tamquam potentia subiectiva proportionata ad actum sibi respondentem (1). « Unde dico quod secundum gradum possibilitatis permixtae etc. ».

Intelliges 2. *cur, quamvis compositio metaphysica ex essentia et esse sit ratio, cur Angeli sint in genere; tamen eorum genus non desumatur ab essentia, neque differentia ab existentia.*

Id enim unde sumitur differentia non est aliud ab essentia rei constitutae per differentiam. Existentia autem cuiuslibet rei citra primum ens, non est de eius essentia; quum quidquid sit de essentia rei cadat in eius definitione; existentia autem non pertinet ad definitionem rei creatae, quum haec definiri possit, etsi existentiam non habeat (2).

Intelliges 3. *cur substantiae creatae spirituales non sint in eodem genere physico cum substantiis materialibus, sed tantum in eodem genere logico.*

Quod enim est in eodem genere physico, habere debet materiam communem cum caeteris eiusdem generis. Genus autem logicum praescindit a materia communi, et considerat solum convenientiam in ratione substantiae, quatenus haec est unus ex decem modis essendi, in quos dividitur ens transcendens, et supponit tantum compositionem metaphysicam ex essentia et esse.

Intelliges 4. *distinctionem logicam inter genus et differentiam esse formaliter distinctionem rationis ratiocinatae, fundamentaliter autem supponere distinctionem realem in entibus, quae sub aliquo genere ponuntur.*

Nam *distinctio logica* fundatur in compositione reali *ex potentia subiectiva* et *actu* vel simul in ordine essentiae et existentiae, ut contingit in rebus materialibus, vel in ordine existentiae tantum; ut contingit in substantiis spiritualibus creatis, quae sunt completae in linea suae essentiae subsistentis in sua simplicitate, et nihilominus magis

(1) Cfr. S. Thomam in 2. Sent. Dist. 3. q. 1. n. 1. ad 1. et art. 3.
(2) Cfr. S. Th. Opusc. 42. de Natura Generis cap. VI. in fine.

minusve participant de perfectione essendi, atque per id ab invicem distinguuntur.

Intelliges 5. *Deum Optimum Maximum sub nullo genere contineri.* Etenim in eo nulla est compositio neque ex materia et forma, neque ex essentia et esse. Deus enim est ipsum esse subsistens, nempe est ipsa purissima perfectio absque ulla limitatione perfectionis subsistens. Sed de his agemus in Theologia Naturali.

OBIECTIONES CONTRA SECUNDAM PARTEM.

189. **Obiect. 1ª.** Aristoteles (1) ait: Materia non est pars speciei nec pertinet ad speciem. Sed genus sumi debet ab eo quod pertinet ad speciem. Ergo genus non sumitur a materia.

Resp. *Dist. mai.* Si nomine speciei intelligas cum Aristotele in loc. cit. formam, *Conc.*, si nomine speciei intelligas ipsam speciem denominative, idest essentiam completam praedicabilem de pluribus solo numero diversis, *Subd.* Materia signata non est pars speciei, *Conc.*, materia communis, *Nego. Conc. Min. Dist. conseq.* Genus non sumitur *proxime* a materia, *Conc.*, non sumitur *remote*, *Nego.*

Obiect. 2ª. Propter quod unumquodque tale, et illud magis. Sed genus et differentia praedicantur de toto composito. Ergo a fortiori materia et forma, si ex eis desumerentur genus et differentia, praedicari deberent de toto composito; quod tamen non fit. Ergo genus et differentia non desumuntur a materia et forma.

Resp. *Dist. mai.* Effatum, quod enuntiatur in maiori, est verum, si intelligatur hoc sensu, quod causa efficiens adaequata continere debet vel formaliter vel virtualiter perfectiones sui effectus, *Conc.* Si intelligatur hoc sensu quod quaecumque causa, etiam partialis, continere debeat perfectiones sui effectus, *Nego. Dist. min.* Genus et differentia *formaliter* accepta, *Nego*, genus et differentia *denominative* accepta, *Subd.* Nominibus concretis et in suppositione materiali, *Conc.*, nominibus abstractis, vel in suppositione formali, *Nego. Nego Conseq.* Etenim materia et forma se habent ut partes integrantes totius compositi, a quo abstrahitur genus vel differentia ad modum totius potentialis.

Obiect. 3ª. Substantia est supremum genus in suo praedicamento. Atqui substantia praescindit a compositione ex materia et forma, quia extenditur ad substantias immateriales. Ergo genus pro ipsis rebus materialibus ne quidem radicaliter desumitur a materia.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Substantia ita praescindit a determi-

---

(1) VII. Metaph.

nata compositione, ut supponat in suis inferioribus aliquam compositionem ex potentia et actu convenientem naturae eorumdem, *Conc.*, ita praescindit a determinata compositione, ut eam non supponat, *Nego. Nego conseq.*

Substantiae materiales et immateriales, quamvis *non sint sub eodem genere physico*, ad quod requiritur communitas materiae; *sunt tamen sub eodem genere logico substantiae*, ad quod sufficit, ut conveniant in ratione *essentiae cui competit habere esse per se, seu non in alio.* Si autem quaeras cur substantia immaterialis possit convenire generice cum aliis substantiis in eodem praedicamento; respondemus posse, quia eius essentia licet simplex, tamen non est sua existentia. Si autem quaeras, cur substantia materialis possit convenire cum aliis substantiis in eodem praedicamento; respondemus posse quia habet in sui compositione materiam primam, tamquam potentiam subiectivam, quae in diversis suis partibus actuari potest per formas substantiales specifice diversas.

Obiect. 4ª. Quaecumque sunt sub genere participant *uniformiter* principia illius generis. Sed si genus pro substantia corporea desumeretur a materia, substantia materialis et substantia immaterialis non participarent uniformiter principia sui generis. Ergo genus substantiae corporeae non desumitur a materia.

Resp. *Dist. mai.* Si sint sub eodem *genere physico, Conc.,* si sint sub eodem *genere logico*, *Nego. Conc. min.*

Obiect. 5ª. Principium cognoscendi nequit desumi ab ignoto. Sed genus est principium cognoscendi, utpote prima pars definitionis; materia autem est ignota. Ergo genus non sumitur a materia.

Resp. *Dist. mai.* Principium cognoscendi nequit desumi ab ignoto, quod neque per se neque per aliud innotescere potest, *Conc.*, quod innotescere potest per aliud, *Subd.* Nequit desumi *proxime*, *Conc.*, *remote*, *Nego. Conc. prim. membr. min. Dist. secund. membr.* Materia prima ita est per se ignota, ut innotescat per aliud, nempe per formam et per analogiam ad materias secundas, *Conc.*, materia prima est penitus ignota, *Nego. Dist. conseq.* Genus non sumitur *proxime* a materia, *Conc.*, non sumitur *remote*, *Nego.*

OBIECTIONES CONTRA QUARTAM PARTEM.

190. **Obiectio 1ª.** Partes definitionis significant partes rei. Sed in substantiis immaterialibus nulla est alia compositio, quam ex essentia et esse. Ergo genus earum sumitur ex essentia, et differentia ex esse.

Resp. *Dist. mai.* Partes definitionis significant partes rei, quatenus desumuntur a partibus rei, *Conc.,* quatenus important ipsas partes rei,

Nego.; quia important totam rem vel sub formalitate determinabili vel sub formalitate determinante. *Dist. min.* In substantiis immaterialibus *nulla est alia compositio realis* praeter compositionem ex essentia et esse; et ex substantia et accidentibus, *Conc.*, nulla est alia compositio *logica*, *Nego.* Solutio patet ex demonstratione 4. partis.

Obiect. 2ª. *Magis et minus non diversificant speciem.* Atqui, si genus substantiarum spiritualium sumeretur ab essentia, quatenus haec est immaterialis; differentia autem sumeretur ab eadem, quatenus magis vel minus recedit a potentia et accedit ad actum purum; substantiae spirituales differrent ab invicem tantum secundum magis et minus. Ergo non hoc modo desumitur earum genus et differentia.

Resp. *Dist. mai.* Effatum in maiori allatum est verum si universaliter accipiatur, *Nego.*, si limitetur ad intensionem vel remissionem qualitatum, quae ad modum motus, specificantur a termino, *Conc. Contrad. sequelam minoris.* Si maior vel minor participatio perfectionis immaterialiter essendi esset quaedam intensio vel remissio qualitatis specificatae ab aliquo termino, *Conc.*, si sit aliquis absolutus gradus entis, *Nego. Nego Conseq.*

191. Principium, cui innititur difficultas, est *universaliter* falsum. Nam neque verificatur de augmento quantitativo, in quo magis et minus diversificant speciem; unitas enim subtracta vel addita variant speciem numeri: neque verificatur de perfectionibus essentialibus, quibus entia in variis gradibus perfectionum essentialium constituuntur, participando magis vel minus de perfectione essendi. Sic vegetalia magis participant de perfectione essendi, quam mineralia; animalia magis quam vegetalia; homines magis quam bruta.

In iis tantum casibus magis et minus non diversificant speciem, in quibus agitur de iis formis accidentalibus, quae speciem recipiunt ex ordine quem dicunt ad aliquem terminum; ita ut licet intendantur vel remittantur, remanent semper ordinatae ad eundem terminum ac proinde remanent eiusdem speciei. Sic dealbatio, quae est motus ad albedinem, remanet eiusdem speciei, etiamsi intendatur vel remittatur. Sic illuminatio, calefactio et similia. Eodem modo intenduntur et remittuntur habitus virtutum, quia specificantur ab aliquo termino, ut prudentia, iustitia, temperantia, etc.

CAPUT II.

DE DIFFERENTIA.

THESIS VI.

Differentia, quae est tertium praedicabile, ea tantum est, quae a Porphyrio vocatur propriissima, quaeque definitur descriptive in concreto : *Id quod est praedicabile de pluribus specie vel numero differentibus in quale quid.*

PRAENOTIONES.

192. *a)* **Differentia propriissima** vocatur a Porphyrio ea, per quam res, quae in eodem genere conveniunt, differunt specie, ut *rationalitas,* per quam homo differt a bruto.

b) **Differentia propria** vocatur a Porphyrio ea, per quam res, quae cum aliis in eadem specie convenit, differt ab eis per aliquod accidens *ab ipsa inseparabile,* ut *simitas* vel *crispitudo*, per quas homo simus vel crispus differt a caeteris, qui simi vel crispi non sunt.

c) **Differentia communis** vocatur a Porphyrio ea, per quam res, quae cum aliis in eadem specie convenit, differt ab eis per aliquod accidens *ab ipsa separabile*, ut *aegritudo*, per quam homo aegrotus differt a sanis.

d) **Differentia propriissima** vocatur a quibusdam *differentia per se;* caeterae vocantur *differentiae per accidens.*

PROBATUR THESIS.

193. Ea differentia est tertium praedicabile, cui huius definitio convenit, videlicet quae sit *id quod est praedicabile de pluribus specie vel numero differentibus in quale quid;* nempe cuius formalitas importet *partem determinantem* essentiae. Atqui haec definitio competit tantum differentiae, quam Porphyrius vocat *propriissimam*, quia haec intrinsece constituit naturam specificam; caeterae autem differentiae, nempe *propria* et *communis* important aliquid accidentaliter adveniens alicui individuo, sive inseparabiliter sive separabiliter cum eo connectantur. Ergo differentia, quae est tertium praedicabile, ea sola est quam Porphyrius propriissimam vocat.

SCHOLION

Differentiarum divisiones.

194. *a)* **Differentia suprema** est ea, quae cum genere supremo constituit primam speciem subalternam. Talis est in arbore porphyriana differentia *corporea* quae cum genere *substantia* constituit primam speciem subalternam *corpus.* (Vide pag. 35).

b) **Differentia subalterna** est ea, quae cum genere aliquo intermedio constituit unam ex speciebus subalternis. Talis est differentia *animatum* quae cum genere intermedio *corpus*, constituit *vivens.* Talis etiam est differentia *sensitivum,* quae cum genere intermedio *vivens* constituit *animal.*

c) **Differentia infima** est ea, quae cum genere ultimo constituit speciem infimam, sub qua tantum possunt esse individua, quum ea tantum importet essentiam, ultimo determinatam et aptam ad individuationem et ad esse. Talis est differentia *rationale*, quae cum genere ultimo *animal*, constituit speciem infimam *homo.*

d) **Differentiae mere divisivae,** quae exprimuntur *terminis infinitantibus*, sunt positivae sed infinitae, quia includunt indeterminate omnes species, quae omnino repugnant speciei constitutae cum genere communi per differentiam oppositam; et, ea mediante, repugnant omnibus speciebus huic inferioribus. Tales sunt in arbore porphyriana differentiae: *incorporea* relate ad *corpus* et ad omnes species huic inferiores; *inanimatum* relate ad *vivens* et ad omnes species huic inferiores; *insensitivum* relate ad *animal* et ad omnes species animali inferiores: *irrationale* relate ad *hominem* et ad individua humana. Hae differentiae relate ad species eis oppositas vocantur *repugnantes.*

CAPUT III.

DE PROPRIO.

195. **Proprium,** quod est quartum praedicabile, atque definitur descriptive in concreto *id quod praedicatur de pluribus in quale necessario,* est aliquid essentiae superadditum, resultans ex eius principiis intrinsecis, ita ut huic competat *omni, soli et semper*, atque praedicatur de subiecto *secundo modo dicendi per se,* quia subiectum includitur in eius definitione, quum sit propria passio subiecti (cfr. n. 93).

A Porphyrio definitur: « Quod omni soli et semper convenit et conversim de re praedicatur ». Quae definitio ita clarius proponitur ab

Alamanno (1): « Quod inest omni individuo speciei, et soli speciei et semper et conversim de illa praedicatur »

Inest a) omni; idest *proprium* invenitur in omni individuo, quod participat essentiam, cuius est *propria passio; b) soli,* videlicet non invenitur in aliis individuis, sed tantum in illis, in quibus invenitur natura, cuius *proprium* est propria passio, et unice ratione huius naturae. Huiusmodi sunt omnia inferiora alicuius naturae specificae, *sive infimae,* de qua *proprium strictissimo sensu* dicitur, sicut omnes divisim homines sunt risibiles; *sive subalternae*, de qua *proprium latiori sensu* dicitur, sicut omnes divisim homines et omnia divisim bruta sunt vigilativa et dormitiva; *c)* et *semper*, idest inseparabiliter in omni hypothesi.

Hae tres conditiones simul requiruntur ad proprium, quod est quartum praedicabile. Quaedam enim alia ita sunt propria alicui naturae, puta humanae, ut conveniant huic *soli* sed *non omni*, ut esse medicum, philosophum etc. Quaedam ita sunt propria, ut conveniant *omni* sed *non soli;* ut esse bipedem competit omni homini, sed non soli. Quaedam ita sunt propria ut conveniant *omni* et *soli* sed *non semper*, ut dormire convenit omni et soli animali sed non semper. Proprium enim quod est quartum praedicabile, quum resultet necessario ex principiis intrinsecis naturae specificae, ita est inseparabile ab ea, ut si per secundam operationem intellectus ab hac excluderetur, ipse verus conceptus naturae, cui inest, destrueretur. Sic, exclusa risibilitate ab homine, hic neque esse, neque cum veritate concipi posset ut homo seu ut animal rationale.

Passiones proprias subiecti causari a principiis intsinsecis naturae *causalitate resultantiae*, quae est aliqua species *causalitatis efficientiae* dicemus in Ontologia.

CAPUT IV.

DE ACCIDENTE.

196. **Accidens,** quod est quintum praedicabile, et definitur descriptive in concreto: *id quod praedicatur de pluribus in quale contingenter,* est aliquid essentiae superadditum, non resultans ex eius principiis intrinsecis, sed extrinsecus adveniens; ita ut possit adesse vel abesse praeter subiecti corruptionem. Videlicet ita inest subiecto ut etiamsi per secundam operationem intellectus excluderetur a subiecto;

---

(1) Sum. Phil. p. 1. q. 6. a. 1.

non destrueretur verus conceptus naturae subiecti. Sic quamvis positive excluderetur albedo ab homine, hic adhuc cum veritate conciperetur esse homo seu animal rationale. Idcirco definitur a Porphyrio. « Quod potest adesse et abesse praeter subiecti corruptionem ».

197. **Ex dictis intelliges** *a) accidens logicum*, quod est quintum praedicabile opponi non solum *speciei*, eiusque logicis constitutivis, nempe *generi* et *differentiae;* sed etiam opponi *quarto praedicabili* seu *propriae passioni essentiae specificae.*

Intelliges *b)* accidens quod dividitur per novem suprema genera accidentium non esse *accidens logicum*, sed *metaphysicum* seu *praedicamentale*, quod extenditur etiam ad *proprium.*

Intelliges *c)* accidens aliquod, etiamsi *physice* non possit separari ab aliquo subiecto absque huius *physica destructione*, non esse eo ipso dicendum *accidens proprium*, nisi *ipse conceptus* naturae subiecti periret, si intellectus iudicans negaret hoc accidens de tali subiecto; quod contingeret ex. gr. si negarem *risibilitatem* homini.

Intelliges *d)* praedicabilitatem *accidentis,* in quantum est quintum praedicabile, et praedicabilitatem *proprii*, in quantum est quartum praedicabile esse *denominativam*, quia refertur ad subiecta formarum accidentalium, quatenus ab his connotantur. Sic *lignum* dicimus esse *bipedalem, album*, *combustum* etc. Formae enim accidentales in seipsis consideratae pertinent ad sua propria praedicamenta, et eae quae sunt eiusdem praedicamenti praedicantur ad invicem essentialiter ut genera vel species. Sic *albedo* est quaedam species *coloris*, qui est sub supremo genere *qualitatis; combustio* est quaedam species *passionis* etc.

Intelliges *e) accidens* sub diverso respectu consideratum pertinere ad *praedicabilia* vel ad *praedicamenta.* Quatenus enim *forma accidentalis* consideratur *absolute secundum suam essentiam*, pertinet ad aliquod praedicamentum accidentium et habet suo modo definitionem ex genere et differentia (cf. n. 185). Quatenus autem consideratur *relative secundum necessitatem* vel *contingentiam* suae inhaesionis alicui subiecto, pertinet vel ad quartum vel ad quintum praedicabile.

QUAESTIO III.

DE ANTEPRAEDICAMENTIS.

Antepraedicamenta sunt notiones quaedam praerequisitae ad rectam Praedicamentorum tractationem, praecipuae Antepraedicamentorum divisiones sunt sequentes :

DIVISIO I.

UNIVOCA, AEQUIVOCA, ANALOGA ET DENOMINATIVA.

198. Haec divisio recte praemittitur. Etenim, quum praedicamenta considerari possint vel *a) relate ad notionem transcendentalem entis*, quae per additiones improprie dictas dividitur in decem suprema genera, tamquam *analogum* in *analogata;* vel *b) ad invicem*, quatenus res unius praedicamenti *denominative* praedicatur de re alterius praedicamenti; vel *c) relate ad inferiora*, in quae decem suprema genera per additiones proprie dictas, idest per differentias specificas, descendunt tamquam *univoca* in *univocata,* recte praedicamentis praemittuntur notiones de *univocis*, *aequivocis*, *analogis et denominativis.* Has notiones nos sufficienter tradidimus in Logica minori nn. 29. ad 37. 44. 89.

DIVISIO II.

EORUM QUAE DICUNTUR ET EORUM QUAE SUNT.

199. Quum subiectum praedicamentorum sit *ens reale sensibile*, a quo per primam operationem intellectus abstrahuntur conceptus specifici, vel generici, vel differentiales, qui important notiones praedicabiles de ipso; Aristoteles ad bene secernendos terminos, qui in praedicamentis adhibendi sunt, a terminis qui adhiberi nequeunt, et ad recte determinandas notiones obiectivas, quae subiici vel praedicari debent; divisionem constituit *eorum quae dicuntur* et *eorum quae sunt.* Itaque

a) **ea quae dicuntur** divisit in *complexa* et *incomplexa. Complexa* vocavit ea, quae dicuntur cum coniunctione ad alia, ut: *homo legit*, *equus currit. Incomplexa* vocavit ea quae dicuntur solitarie ut: *homo*, *equus*, *cursus* etc. (Cfr. n. 43.).

Incomplexa tantum posse poni in praedicamento patet ex eo, quod *complexa* respondent secundae operationi nostri intellectus: *incomplexa* autem primae. Iamvero quum praedicamentum logicum resultet ex

notionibus per primam operationem intellectus abstractis ab ente reali sensibili, quod est fundamentum omnium praedicamentorum; necesse est ut tantum *dictiones incomplexae* in praedicamento ponantur.

b) **ea quae sunt** nempe notiones obiectivae, quae mediantibus dictionibus incomplexis subiiciuntur vel praedicantur, dividuntur ab Aristotele in quatuor classes: 1ª est eorum, quae de subiecto dicuntur sed in subiecto non sunt; 2ª est eorum, quae neque de subiecto dicuntur, neque sunt in subiecto; 3ª est eorum, quae sunt in subiecto et de subiecto dicuntur; 4ª est eorum quae sunt in subiecto et non dicuntur de subiecto.

Ad quam divisionem intelligendam, sciendum est *esse in subiecto* dici ab Aristotele id quod non est neque ipsa essentia subiecti, neque pars constitutiva eius: sed ei accidentaliter inest. Insuper animadvertendum est, omnia ea quae sunt in hoc mundo sensibili reduci ad *substantiam* et *accidens;* quae vel sumuntur in sua ultima individuatione, et tunc habemus *substantias primas*, ex. gr. Petrum; et *accidentia singularia*, ex. gr. hanc albedinem: vel sumuntur in aliquo gradu abstractionis et tunc habemus *substantias secundas*, ex. gr. hominem abstractum a notis individualibus; et *accidentia universalia* abstracta ab accidentibus singularibus, ex. gr. albedinem. Quae duo ultima sunt universalia materialia seu directa, quae sunt in rebus, quoad id quod concipitur, non quoad modum, quo concipiuntur.

200. Hisce praemissis, *patet 1.* substantiam secundam *dici de subiecto*, ut notio universalis dicitur de suo inferiori, sed *non esse in subiecto,* quia importat ipsam eius essentiam. Sic *homo* dicitur de Petro, ut natura specifica de individuo naturae, sed non est in Petro, quia importat ipsam essentiam eius.

Patet 2. substantiam primam *non dici de subiecto,* quia non est universalis, sed est ipsum individuum naturae; *neque esse in subiecto,* quia est ipsum subiectum. Sic Petrus neque est in Petro, neque dicitur de Petro.

Patet 3. accidens universale *esse in subiecto*, et *dici de subiecto;* quamvis *non dicatur de eo subiecto, in quo est;* quia non praedicatur simpliciter de subiecto suae inhaesionis sed de singulari forma accidentali, quae est subiectum directum sui praedicamenti. Sic albedo est in Petro, de quo tamen non praedicatur simpliciter, quia non dicimus: *Petrus est albedo;* sed dicitur simpliciter de hac albedine, quia importat ipsam essentiam eius, et ideo dicimus: *haec albedo*, puta Petri, *est albedo.*

Patet 4. accidens singulare *esse in subiecto,* sed *non dici de subiecto.* Est in subiecto, quia recipitur in aliqua substantia. Non dicitur de

subiecto, quia est ultimum subiectum directum sui praedicamenti, quod proinde nequit praedicari de seipso. Sic dicimus: *haec albedo est in Petro.* Sed non dicimus, nisi tautologice, *haec albedo est haec albedo.*

DIVISIO III.

REGULAE ANTEPRAEDICAMENTALES.

201. 1. Regula. *Quando unum praedicatur de altero ut de subiecto, idest ut ratio superior de suo inferiori; quidquid per se praedicatur de superiori, praedicatur etiam de inferiori.* Qua in regula sedulo notandum est, ad hoc ut praedicatum superioris dicatur de inferiori, convenire debere superiori *per se et in ordine reali,* non tantum per accidens vel in ordine mere intentionali. Sic bene quidem dicerem: *Petrus est homo. Ergo est animal.* Perperam autem dicerem: *Petrus est homo. Ergo est genus.*

2. Regula. *Diversorum generum et non subalternatim positorum diversae sunt differentiae; subalternorum vero generum nihil prohibet easdem esse differentias.* Videlicet genera diversorum praedicamentorum nullo modo possunt habere easdem differentias. Attamen nihil prohibet, quin genera subalterna habeant easdem differentias, non infimas sed intermedias. Sic *animal et color* nequeunt in ulla differentia convenire. *Animal* autem et *homo* convenire possunt in eadem differentia *sensitivi.* Quae tamen differentia in homine se tenet ex parte generis proximi adhuc determinabilis per ultimam differentiam *rationalis.*

QUAESTIO IV.

DE PRAEDICAMENTIS.

THESIS VII.

Demonstratur denarius numerus Praedicamentorum.

PRAENOTIONES.

202. Quum *ens* sit analogum, quamvis dicatur divisim de omnibus decem modis essendi, qui per praedicamenta dividuntur, esse nequit supremum genus, quod per differentias additas descendat ad decem Praedicamenta. Etenim omne genus contrahitur ad speciem per differentias, quae non participant genus, ad quod se habent ut actus ad potentiam subiectivam (n. 188) atque sunt extra essentiam illius. Nihil autem potest esse extra essentiam entis ita ut per additionem ad ens constituat aliquam speciem entis. Nam, quod est extra ens, *nihil est. Nihil* autem seu *non ens* non potest esse differentia determinans seu perficiens.

PROBATUR THESIS.

203. Quum ens non possit esse supremum genus, tot admittenda sunt suprema genera, quot sunt *supremi modi essendi, ab invicem primo diversi,* secundum quos aliqua res creata potest participare esse, quique possunt de eorum inferioribus univoce praedicari. Atqui huiusmodi sunt tantum decem, nempe : *substantia, relatio, quantitas, qualitas, actio, passio, quando, ubi, situs* et *habitus* seu *indumenta* et *arma.* Ergo praedicamenta sunt decem.

Prob. min. Quaelibet res finita, quae potest esse subiectum essendi tamquam *id quod est*, non potest concipi esse nisi decem modis primo ab invicem diversis, ad quos caeteri reducuntur. Vel enim consideratur secundum quod est *simpliciter* seu *substantialiter*, vel secundum quod est *secundum quid* seu *accidentaliter*.

Secundum primam considerationem habebimus tamquam supremum genus, sub quo ipsa *formaliter* ponatur, praedicamentum *substantiae;* qui modus essendi describitur : *modus essendi eius quod habet esse per se et in se.*

Secundum alteram considerationem, tot resultabunt suprema genera, sub quibus *denominative* res finita subsistens ponatur, quot erunt *supremi modi primo ab invicem diversi*, secundum quos haec res denomi-

nari poterit accidentaliter talis: puta; *quanta,* vel *qualis*, vel *agens* etc. Iamvero sic denominari poterit vel per aliquid ipsi *intrinsecum* vel per aliquid *partim extrinsecum* et *partim intrinsecum*, vel per aliquid *omnino extrinsecum.*

Si primum, nempe si res denominetur per aliquid ipsi *intrinsecum,* id vel est *relativum,* vel *absolutum.* Si sit *relativum* idest ordinans rem ad aliquem terminum distinctum, ut: *paternitas, filiatio, servitus*, etc.; habemus praedicamentum *relationis.* Si sit *absolutum*, id vel consequitur materiam, sicut *quantitas*, secundum quam substantia extenditur ratione materiae, et habemus praedicamentum *quantitatis;* vel consequitur formam, ratione cuius subiectum est ulterius perfectibile et determinabile, et habemus praedicamentum *qualitatis.*

Si secundum, scilicet si res denominetur per aliquid *partim extrinsecum* et *partim intrinsecum;* id vel denominat rem tamquam principium actionis producentis effectum exteriorem, puta quod sit *comburens* vel *secans*, et habemus praedicamentum *actionis;* vel eam denominat tamquam terminum actionis procedentis a causa extrinseca, puta quod *comburatur* vel *secetur* ab aliquo, et habemus praedicamentum *passionis.*

Si tertium, scilicet si res denominetur per aliquid *omnino extrinsecum;* hoc erit vel mensura quaedam rei, vel non, sed erit merum adiacens. Si sit mensura quaedam rei, vel est mensura durationis eius nempe *tempus*, et habemus praedicamentum *quando;* vel est mensura ambiens et circumscribens superficiem rei, nempe *locus*, et habemus praedicamentum *ubi;* vel est mensura dispositionis partium rei in loco, quo res dicitur stare, vel iacere etc., et habemus praedicamentum *situs.* Si tandem erit merum adiacens, habemus praedicamentum *habitus*, quo subiectum dicitur *vestitum* vel *armatum.*

Praeter hos modos essendi alicuius rei finitae non dantur alii modi, qui non possint ad aliquem ex istis tamquam in supremum genus reduci (1).

204. **Obiicientibus** mensuram pertinere ad genus quantitatis, ac proinde *quando*, *ubi* et *situm* non constituere praedicamenta diversa a praedicamento *quantitatis; respondebis* mensuram non dici univoce de *quantitate*, de *quando*, de *ubi,* et de *situ,* sed analogice; utpote quae fundat in singulis *modum primo diversum* afficiendi substantiam, ut apparebit quum de unoquoque supremo genere absolute inspecto disputabimus.

---

(1) Cfr. S. Th. in V. Metaph. lect. 9. « Praedicatum ad subiectum tripliciter se potest habere etc. »

THESIS VIII*.

Refutantur Categoriae Kantianae.

PRAENOTIONES.

205. Emmanuel Kant philosophus natus Regiomonte (Koenigsberg) in Germania anno 1724, defunctus anno 1804, categorias quasdam logicas constituit ab Aristotelicis diversas. Praetermissa enim coordinatione conceptuum respondentium primae operationi intellectus humani, et consequenter nulla ratione habita obiecti proprii eius, quod est ens reale sensibile; exordium duxit ad suas categorias constituendas a secunda mentis operatione, quae est *compositio* et *divisio*. Haec res causa fuit, cur non potuerit coordinare praedicata realia, quae respondent modis essendi realibus, secundum quos ens reale sensibile existit vel simpliciter vel secundum quid; sed consideraverit tantum quosdam modos intentionales, quibus praedicatum connectitur cum subiecto in enuntiatione, quae est signum orale iudicii.

Hinc factum est, ut non solum primam mentis operationem minime ordinaverit ad assequutionem veritatis; sed secundae et tertiae operationi nostri intellectus fundamenta tum intrinseca tum extrinseca subtraxerit, sine quibus frustra nitimur ad veritatis assequutionem. Etenim tertia mentis operatio, seu ratiocinium, fundatur in secunda nempe in compositione et divisione iudicii, haec autem fundatur in simplici apprehensione, quae ab ente reali sensibili suum obiectum desumit, tamquam a suo proximo fundamento. Quare mirum non est, si in subiectivismum inciderit viamque straverit ad scepticismum.

SCHEMA CATEGORIARUM KANTII.

206. Kantius exorsus a consideratione *mere formali* huius entis rationis, quod est compositio praedicati cum subiecto, totidem supremas categorias adsignavit, quot censuit esse praecipuos modos referendi praedicatum ad subiectum. Hoc deprehendit esse quatuor, nempe: *quantitatem*, *qualitatem, relationem, modalitatem*, quos in alios tamquam in subalternos divisit.

I. **Quantitas.** Primum modum referendi praedicatum ad subiectum desumpsit ex maiori vel minori extensione subiecti affecta a praedicato, prouti nempe vel una tantum pars subiecti, vel plures eius partes, vel totum subiectum afficiuntur a praedicato. Et secundum hanc considerationem statuit categoriam *quantitatis*, cui tamquam species subalternas subiecit *unitatem, pluralitatem*, *totalitatem.*

II. **Qualitas.** Secundum modum referendi praedicatum ad subiectum desumpsit ex qualitate enuntiationis, quae resultat ex convenientia vel disconvenientia praedicati cum subiecto; vel ex limitatione alicuius praedicati convenientis subiecto. Videlicet consideravit praedicatum tamquam subiecto conveniens, vel repugnans, vel limitate conveniens. Et secundum hanc considerationem stabilivit categoriam *qualitatis*, cui subalternavit *affirmationem*, *negationem*, *limitationem*.

III. **Relatio.** In tertio modo referendi praedicatum ad subiectum, consideravit tantum convenientiam praedicati cum subiecto, et in hac consideratione deprehendit praedicatum convenire posse subiecto vel *absolute*, vel *per ordinem ad aliud*, qui ordo potest esse triplex, nempe *causalitatis*, *dependentiae*, *reciprocantiae*. Hunc modum Kantius vocavit *relationem*, utpote importantem habitudinem convenientiae praedicati ad subiectum, eiusque species posuit *substantiam, accidens*, *causam*, *effectum*, *actionem* et *passionem*.

IV. **Modalitas.** In quarto modo, Kantius animadvertit posse praedicatum convenire vel disconvenire subiecto aut *simpliciter* aut *possibiliter*, aut *necessario* aut *contingenter*. In quibus modis convenientiae vel discrepantiae deprehendit categoriam *modalitatis*, quam subdivisit in *existentiam* et *non existentiam*, *possibilitatem* et *impossibilitatem, necessitatem* et *contingentiam*.

REFUTATIO.

207. Supradictae Kantii Categoriae multiplici vitio laborant. Etenim

1. *Earum fundamentum est erroneum*, quum ortum ducant ex mera consideratione formali compositionis praedicati cum subiecto, quae respondet secundae operationi nostri intellectus, praetermissa consideratione primae operationis intellectivae eiusque obiecti quod est ens reale sensibile.

Iamvero qui categorias ita constituit, minime coordinat praedicata realia in ordine praedicamentali, viamque sternit scepticismo; ut ex Praenotionibus et ex praecedentibus Thesibus constat. Ergo Kantianae Categoriae propter erratum fundamentum reiciendae sunt.

2. *Kantius connumerat categoriis ea, quae nullatenus dici possunt suprema rerum genera aut eorum inferiora;* quum sint vel rationes analogice tantum communes, ut *causa, effectus, accidens:* vel qualitates enunciationis, ut *affirmatio* et *negatio:* vel eius modi, ut *possibilitas, impossibilitas, necessitas* et *contingentia,* qui modi possunt etiam applicari enti in quantum est ens; vel tantum modus aliquis communis omnibus categoriis, ut est *modalitas*.

3. *Inter categorias Kantianas quaedam, quae veris categoriis adnumerari possunt, a) vel male describuntur, ut relatio,* quae, prouti ab eo describitur, nequit dici relatio praedicamentalis, quum importet quamcumque transcendentalem habitudinem inter potentiam et actum; *b) vel male collocantur,* ut *substantia,* quae, quum sit aliquid maxime absolutum, ponitur sub categoria *relationis: quantitas* autem quae est naturâ posterior substantia, a qua dependet in esse, ponitur primo loco; *actio* et *passio*, quae constituunt diversa praedicamenta, ponuntur sub categoria *relationis* simul cum *causa* et *effectu,* quamvis neque illa neque ista sint relationes; licet fundare possint relationes. Tandem *accidens* generatim acceptum ponitur sub categoria *relationis,* licet non omne accidens sit relativum sed quoddam tantum. Qua in re dupliciter erravit Kantius; primo quidem, quia *relatio* est quoddam *accidens,* et ideo universalius nequit subiici minus universali: secundo quia *accidens* non univoce dicitur de suis inferioribus.

Ergo categoriae Kantianae sunt prorsus reiiciendae.

QUAESTIO V.

DE POSTPRAEDICAMENTIS.

208. Postpraedicamenta sunt quidam modi pluribus praedicamentis communes. Ab Aristotele enumerantur quinque: *Oppositio*, *prius* et *posterius*, *simul*, *motus*, et *habere.*

I. **Oppositio** est *exclusio unius ab alio.* Opposita enim sunt, quae nequeunt simul existere, eo quod unum oppositum habet de sui ratione negationem alterius. Oppositio dividitur *in contradictoriam*,*privativam*, *contrariam* et *relativam.*

a) Oppositio contradictoria est ea *quae intercedit inter duo*, *quae se habent ut affirmatio et negatio*, *sicut esse et non esse:* ut sedens et non sedens.

b) Oppositio privativa est ea *quae intercedit inter formam et eius carentiam in subiecto apto ad eam habendam.* Talis intercedit inter caecum et videntem.

c) Oppositio contraria est ea *quae intercedit inter duas formas eiusdem generis proximi*, *quae ab eodem subiecto mutuo se expellunt.* Sic opponitur nigrum albo.

d) Oppositio relativa est ea, quae intercedit inter duo, quorum unum se habet ad aliud. Sic opponitur pater filio; servus domino; et similia. *Relativa* enim dicuntur ea *quorum esse est ad aliud se habere* (1).

II. **Prius et posterius** sunt modi qui dicuntur de rebus, quarum una praecedit aliam, vel 1. *secundum tempus ;* sic Adam fuit tempore prior Noe; vel 2. *secundum essendi consequentiam;* sic animal habet prioritatem consequentiae respectu hominis; et vivens respectu animalis. Possum enim inferre: est homo, ergo est animal; est animal, ergo est vivens; non autem vicissim; vel 3. *secundum ordinem;* sic scientiae universaliores sunt ordine priores scientiis minus universalibus; vel 4. *secundum dignitatem:* sic Rex est prior Ministro; et Dux est prior gregario milite; vel 5. *secundum naturam* et *causalitatem.* Sic angelus est prior homine; et sol est prior die.

III. **Simul** seu *simultas*, est modus qui dicitur de his, quae sunt simul; et dividitur sicut *prius et posterius*, cui opponitur. Quaedam enim dicuntur simul vel 1. *secundum tempus,* ut glacies et frigus;

---

(1) Arist. de Praedicam. c. 3. — Cfr. S. Th. in X. Metaph. lect. 6.

vel 2. *secundum essendi consequentiam*, ut homo et risibile; vel 3. *secundum ordinem*, ut differentiae immediate divisivae eiusdem generis; vel 4. *secundum dignitatem*, ut duo reges; vel 5. *secundum naturam*, ita ut neutrum sit causa alterius, ut duplum et dimidium, quae sunt relativa. Relativa enim in quantum huiusmodi, idest reduplicative accepta, sunt simul. Sic pater neque esse neque concipi potest ut pater sine filio; et vicissim.

IV. **Motus,** si minus stricte sumatur importat *mutationem* seu *transitum de potentia in actum;* si autem stricte accipiatur importat *actum entis in potentia ut in potentia.* Dividitur in sex species, quarum duae sunt *merae mutationes* nempe 1. *generatio*, quae fit de non subiecto in subiectum, seu de negato in affirmatum, ut de non homine in hominem; 2. *Corruptio,* quae fit de subiecto in non subiectum, seu de affirmato in negatum; ut de homine in non hominem. Caeterae quatuor sunt species motus stricte dicti, et fiunt de subiecto in subiectum, seu de affirmato in affirmatum. Eae sunt 1. *alteratio*, quae est motus ab una ad aliam qualitatem, ut calefactio; 2. *augmentum* quod est motus ab imperfecta magnitudine ad perfectam; 3. *decrementum*, quod est motus a perfecta magnitudine ad imperfectam; 4. *ratio* (seu *motus localis*), quae est motus ab uno loco in alium.

V. **Habere** dicitur multipliciter et est modus qui importat semper quamdam rationem possessionis. Praecipui modi habendi enumerantur ab Alamanno (1), et sunt: 1. habere qualitatem, puta scientiam; 2. quantitatem, puta bicubitam; 3. aliquid adiacens toti corpori, ut vestem; 4. aliquid adiacens parti, ut annulum in digito; 5. habere membrum, puta manum; 6. habere aliquod contentum, ut lagena habet vinum; 7. habere domum, vel agrum, etc.

---

(1) Sum. Phil. 1. p. q. 15. a. 1.

LOGICA MAIOR

PARS SECUNDA

DE SECUNDIS INTENTIONIBUS QUIBUS SECUNDA MENTIS OPERATIO DIRIGITUR.

INTRODUCTIO.

209. Quum in Logicae minoris secunda parte *de Enuntiatione* dixerimus, atque praesertim de eius natura, quantitate et intrinseca qualitate, deque variis eius speciebus atque oppositionibus; superest ut de potissima eius qualitate extrinseca seu de veritate et falsitate, de variis mentis nostrae statibus relate ad veritatem, seu de ignorantia, dubio, opinione et certitudine, deque certitudinis causis agamus. Nec praeteribimus erroneas quorundam sententias hisce super rebus, atque scepticorum deliramenta eorumque vitiatam radicem ob oculos ponere et refutare.

QUAESTIO VI.

DE VERITATE.

PRAENOTIONES.

210. **Veritas describitur:** ***adaequatio intellectus et rei.*** Quae definitio (late dicta) importat veritatem consistere in quadam cognoscitiva *adaequatione* seu *commensuratione* inter intellectum et rem, ita ut intellectus modo sibi proprio idest cognoscitive adaequetur rei, cognoscendo eam esse id quod reapse res est in seipsa; res autem adaequetur intellectui per hoc quod sit in seipsa sicut cognoscitur esse ab intellectu.

211. **Requisita ad veritatem in sua formali ratione constituendam.** Ex tradita definitione apparet ad veritatem in sua ratione formali constituendam requiri *a)* tamquam *materiam remotam*, duos terminos, vel re vel ratione distinctos, nempe intellectum et rem;

requiri *b)* tamquam *materiam proximam*, ex una parte formam intentionalem rei expressam ab intellectu percipiente, ex alia parte ipsam rem existentem secundum eam formam, quam intentionaliter intellectus exprimit; requiri *c)* tamquam *formam* constituentem veritatem in suo esse, coniunctionem intentionalem formae rei expressae ab intellectu cum ipso esse rei, quod debet etiam percipi ab intellectu. Haec coniunctio pro nostro intellectu consistit in affirmatione obiectivae convenientiae formae perceptae cum re existente; atque oraliter significatur per enuntiationem, in qua per copulam coniungimus praedicatum repraesentans formam vel naturam apprehensam, cum subiecto repraesentante rem secundum esse quod habet in seipsa; ut quum dico: Petrus est homo; nix est alba.

212. **Veritas materialiter accepta** consistit in ipsa re quatenus habet esse conforme vel conformabile intellectui. Attamen res non eodem modo dicit ordinem conformitatis relate ad omnem intellectum; sed relate ad *intellectum practicum*, a quo res dependet in suo esse, dicit ordinem *per se* et *essentialiter*, ita ut dicatur vera quatenus habet esse conforme ideae sui artificis. Relate vero ad *intellectum speculativum*, qui non causat esse neque cognoscibilitatem rei, sed recipit cognitionem a rebus, quas contemplando speculatur; res dicit ordinem conformitatis *per accidens:* quia accidentale est rebus, ut ab intellectu aliquo speculativo cognoscantur; quum, etiamsi ab eo non cognoscerentur, non cessarent esse *per se* et *essentialiter verae* propter suam conformitatem ad ideas exemplares sui artificis. Qui artifex relate ad res naturales est ipse Deus; per conformitatem ad cuius ideas archetypas res dicuntur et sunt verae *veritate essentiali* seu *fundamentali* vel *transcendentali.* Quae materialis veritas rerum naturalium dicitur *essentialis*, quia earum essentia in tantum existit in quantum habet esse conforme divinis ideis: dicitur, *fundamentalis*, quia praebet fundamentum cognitioni et formali veritati intellectus creati; dicitur *transcendentalis,* quia competit enti in quantum est ens, nempe in quantum habet esse (1).

213. **Variae habitudines intellectus et rerum in ordine ad veritatem.**

a) Veritas formalis intellectus creati pendet a *veritate materiali* seu *transcendentali* rerum naturalium tamquam a suo fundamento. *Veritas* autem *materialis* rerum naturalium pendet *a divino intellectu* tamquam a sua causa exemplari et efficiente. Et ideo veritas materialis seu transcendentalis rerum se habet ad veritatem formalem intellectus

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 16. a. 1.

creati ut *mensura* ad *mensuratum;* ad veritatem autem formalem intellectus divini ut *mensuratum* ad *mensuram.*

b) Veritas dicitur per prius de intellectu, quam de re. Etenim veritas dicitur per prius de eo in quo eius formalis ratio invenitur; sicut sanitas dicitur per prius de animali quam de medicina, quia haec est tantum causativa sanitatis ut causa inadaequata. Atqui formalis ratio veritatis quae consistit in intentionali commensuratione inter intellectum et rem, invenitur tantum in intellectu, ut patet ex ipsa definitione veritatis. Ergo veritas est *per prius in intellectu* (1).

c) Veritas et verum dicuntur analogice secundum attributionem de intellectu et de re, ita ut intellectus sit princeps analogatum, quum dicatur verus per intrinsecam formam, videlicet per ipsam formalem veritatem quae est in eo; res autem sint secundaria analogata, quum dicantur verae per extrinsecam denominationem, videlicet propter ordinem quem dicunt ad veritatem vel tamquam ad suum *effectum,* si agatur de veritate formali quae est in intellectu speculativo creaturae; vel tamquam *ad suam causam*, si agatur de veritate formali quae est in intellectu practico Creatoris.

d) Veritas materialis seu transcendentalis entis identificatur realiter cum ipso ente; a quo distinguitur tantum ratione ratiocinata. Ens enim quatenus per suum esse est conforme divino intellectui et conformabile intellectui speculativo creaturae, dicitur verum veritate materiali, seu essentiali, seu transcendentali, seu fundamentali. Idcirco dicunt Philosophi: *verum et ens convertuntur* (2).

e) Verum et veritas secundum triplicem respectum considerata diversimode definiuntur.

Uno modo definitur veritas secundum materialem seu fundamentalem rationem, secundum quam praecedit veritatem formalem intellectus creati et sequitur divinam; et sic « S. Augustinus definit in *lib. solil.* « cap. V. *Verum est id quod est;* et Avicenna in XI. Metaph. cap. II. « *Veritas cuiuslibet rei est proprietas* sui esse quod stabilitum est rei; « et quidam sic: *Verum est indivisio esse et eius quod est* ».

« *Alio modo* definitur secundum id quod *formaliter* rationem veri « perficit; et sic dicit Isaac, quod Veritas est *adaequatio rei* et *intel-* « *lectus;* et Anselmus in lib. de Ver. Cap. XII. *Veritas est rectitudo* « *sola mente perceptibilis.* Rectitudo enim ista secundum adaequatio- « nem quamdam dicitur... ».

« Et *tertio modo* definitur verum *secundum effectum consequentem;*

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 16. a. 1. ad 3.
(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 16. a. 3.

« et sic definit Hilarius, quod *verum est manifestativum et declarativum* (τοῦ) *esse;* et Augustinus in lib. de Vera Relig. cap. 36. *Veritas* « *est qua ostenditur id quod est;* et in eodem (lib.) cap. 31. *Veritas* « *est secundum quam de inferioribus iudicamus* ».

214. **De Veritate logica et accidentali.** Veritas formalis quae est in nostro intellectu dicitur etiam logica et accidentalis. Dicitur *logica*, quia est terminus interior operationis intellectivae. Dicitur *accidentalis*, tum quia est forma accidentalis intellectui inhaerens; tum quia rem cognitam denominat veram non *per se* et *essentialiter*, quia sic res sunt verae dependenter a divino intellectu; sed *per accidens* et *contingenter*, quia res, dum cognoscitur ab intellectu speculativo, novo titulo, sed accidentali, dicitur vera.

215. **Veritas logica est multiplex** pro multiplicitate iudiciorum, respondentium obiectivae rerum veritati; quae iudicia intellectus noster efformat, quum tribuit rebus praedicata ipsis convenientia.

216. **Veritas creata dividitur in logicam, ontologicam et moralem.** *Veritas logica* seu *formalis* est ipsa adaequatio cognoscitiva intellectus et rei. *Veritas ontologica* est ipsa res naturalis habens esse conforme divinis ideis, et conformabile intellectui creato. *Veritas moralis* est exterior expressio affectionum animi nostri. Prima dicitur *veritas in cognoscendo*, secunda *in essendo*, tertia *in significando*.

THESIS IX.

Veritas *a)* quae bene definitur ***adaequatio intellectus et rei***, *b)* est, ***fundamentaliter*** tantum in rebus, *c)* ***formaliter*** autem est tantum in intellectu cognoscente simul quidditatem et esse rei (2).

PROBATUR PRIMA PARS.

217. Bona definitio est ea, quae rei naturam aperit eamque ab omni alia distinguit. Atqui talis est definitio, qua veritas dicitur adaequatio intellectus et rei. Ergo veritas bene definitur adaequatio intellectus et rei.

Prob. min. Natura seu formalis ratio veritatis consistit in tali ordine conformitatis rei ad intellectum, ut intellectus cognoscat rem esse id quod haec realiter est in seipsa, et vicissim haec sit in seipsa eo modo quo esse cognoscitur ab intellectu. Iamvero hic ordo commen-

(1) S. Th. Quaest. Disp. De Verit. q. 1. a. 1.

(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 16. a. 1; qq. dd. de Veritate q. 1. a. 1; in 1. Sent. Dist. 19. q. 15. a. 1.

surationis bene exprimitur dicendo *Veritatem esse adaequationem rei et intellectus.* Nam per vocem *adaequatio* exprimitur (nostro modo intelligendi) genus immediate superius, per verba *rei* et *intellectus* exprimuntur *termini* proprii huius adaequationis, qui se habent ad modum differentiae specificantis hanc adaequationem eamque distinguentis a quacumque alia; et simul adsignificatur subiectum proprium, in quo ipsa perficitur seu completur, nempe intellectus. Quia proprium est solius virtutis intellectivae utrumque terminum huius adaequationis in seipso coniungere, et ita *huic adaequationi dare illud esse cuius est capax;* quum solus intellectus, utpote virtus immaterialis, valeat seipsum cum re exteriori intentionaliter coniungere. In qua coniunctione ratio et esse huius adaequationis seu commensurationis consistit.

PROBATUR SECUNDA PARS.

218. Ibi est veritas tantum *fundamentaliter*, ubi formalis ratio veritatis non completur, sed invenitur tantum tamquam *in uno ex terminis eius.* Iamvero in rebus existentibus formalis ratio veritatis non completur, sed invenitur tantum tamquam in uno ex terminis eius. Ergo veritas in rebus existentibus invenitur tantum fundamentaliter.

Prob. min. Res existens sive consideretur in ordine ad intellectum divinum et practicum, sive consideretur in ordine ad intellectum creatum et speculativum est semper *unus ex terminis* illius commensurationis seu adaequationis in qua formalis ratio veritatis consistit. Quatenus enim consideratur in ordine ad intellectum divinum, ad quem se habet ut effectus ad causam et ut mensuratum ad mensuram, in tantum dicitur vera, in quantum existit eo modo, quo praeconcipitur a divino intellectu in suis ideis archetypis. Quatenus autem consideratur in ordine ad intellectum creatum, in tantum dicitur vera, in quantum in suo esse existens causat per modum obiecti veritatem in eum ad quem se habet ut mensura ad mensuratum. « Non enim ideo « est in re, quia sic videtur nobis, sed magis quia ita est in re, verum « est quod videtur nobis (1). » Ergo in rebus existentibus formalis ratio veritatis non completur, sed invenitur tantum fundamentaliter tamquam in uno ex terminis eius.

PROBATUR TERTIA PARS.

219. Ibi invenitur formaliter veritas, ubi veritatis formalis ratio perficitur. Atqui formalis ratio veritatis perficitur in intellectu cognoscente simul quidditatem et esse rei. Ergo etc.

(1) S. Th. in 1. Sent. Dist. 19. q. 5. a. 2. ad 2.

Prob. min. Intellectus, qui praeter formam propriam natus est actuari per similitudines rerum et sic fieri intentionaliter omnia, potest non solum repraesentare quidditatem abstractam alicuius rei, sed etiam sive *directe,* ut intellectus angelicus et eminenter intellectus divinus, sive *indirecte*, ut intellectus humanus ipsum esse rei, quod est ultima actualitas rei singularis, videlicet totam rem quatenus existentem. Insuper potest utrumque terminum repraesentatum coniungere in unica specie intelligibili vel per compositionem iudicii, ut intellectus humanus, vel unico simplicissimo intuitu, ut intellectus divinus et proportionaliter etiam intellectus angelicus. Iamvero intellectus per huiusmodi actum coniungit in seipso intentionaliter utrumque terminum, ex quorum adaequatione resultat formalis ratio veritatis, et cognoscit rem esse id quod est; videlicet rei existenti competere quidditatem apprehensam, puta Petrum esse hominem, esse album, esse virtuosum, animal esse sensitivum; ignem esse calidum etc. (1). Ergo.

OBIECTIONES.

220. **Obiect. 1ª.** Adaequatio intellectus et rei competit non solum veritati formali quae completur in intellectu, sed etiam rei adaequatae intellectui. Ergo vel veritas formalis male definitur, vel invenitur etiam in re exteriori.

Resp. *Dist. antec.* Competit rei adaequatae, tamquam uni ex terminis, in quo haec adaequatio fundatur, *Conc.*, tamquam ipsi formali adaequationi, *Nego.*

Obiect. 2ª. Sicut intellectus dicitur verus quia adaequatur rei; ita res dicitur vera, quia adaequatur intellectui. Ergo veritas quae definitur adaequatio intellectus et rei, debet aequaliter inveniri in intellectu et in re.

Resp. *Dist. antec.* Si haec adaequatio diceretur *univoce* de intellectu et de re, *Conc.*, si *analogice*, *Nego.* Quum enim haec adaequatio sit formaliter intellectiva, et consistat in ipsa commensuratione seu coniunctione intellectus et rei, est *formaliter* et intrinsece in intellectu; *fundamentaliter* et extrinsece in re, quae est unus ex terminis adaequationis; sic sanitas est intrinsece in animali sano, extrinsece autem in medicina, quae est tantum causativa sanitatis, ut causa aequivoca et inadaequata.

Obiect. 3ª. Definitio ambigua est mala. Sed vocando veritatem adaequationem intellectus et rei, non apparet utrum univoce dicatur de intellectu et de re. Ergo haec definitio est mala.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 58. a. 2.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Si ex ipsa natura huius adaequationis non appareret subiectum proprium eius esse intellectum, in quo eius ratio completur, *Conc.*, si id sufficienter apparet, *Nego. Nego conseq.* Quum veritas sit quaedam specialis relatio pertinens ad ordinem cognitionis; hinc fit ut ex ipsa eius natura, quae sufficienter exprimitur per traditam definitionem, appareat eam compleri in intellectu, in quo tantum perfici potest coniunctio seu commensuratio horum terminorum, qui sunt res et intellectus.

Obiect. 4ª. Si veritas esset formaliter in intellectu cognoscente simul quidditatem et esse rei; esset etiam formaliter in sensu, qui etiam cognoscit quidditatem et esse rei sensibilis. Atqui veritas non est formaliter in sensu, sed materialiter tantum. Ergo etc.

Resp. *Dist. mai.* Si sensus cognosceret per se et immaterialiter quidditatem et esse rei sensibilis ac proinde ipsam intentionem veritatis. *Conc.*, si cognoscit per accidens et materialiter, *Nego. Concedo min. Nego cons.* Ad veritatem formalem possidendam necesse est ut a potentia cognoscitiva percipi possint 1° relatio inter quidditatem et esse rei; 2° relatio adaequationis inter cognoscentem et cognitum, idest ipsa intentio veritatis; 3° ipsae abstractae rationes essendi, entis, et quidditatis. Ad quae omnia et singula requiritur potentia immaterialis (1).

Obiect. 5ª. Si ad veritatem formalem requireretur cognitio quidditatis et esse rei, intellectus non posset assequi veritatem, nisi de rebus actu existentibus. Atqui assequitur veritatem etiam de rebus actu non existentibus. Ergo etc.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Si ageretur tantum de cognitione rerum habentium esse reale, *Conc.*, si agitur etiam de cognitione rerum habentium esse intentionale, *Nego. Contrad. min.* Intellectus assequitur veritatem de rebus nullum habentibus esse, neque reale neque intentionale, *Nego*, assequitur veritatem etiam de rebus non habentibus esse reale, sed habentibus aliquod esse intentionale. *Subdist.* Desumendo semper fundamentum sive proximum sive remotum a rebus habentibus esse reale, *Conc.*, absque tali fundamento, *Nego.*

Omnis nostra cognitio ortum habet a rebus sensibilibus existentibus. Attamen, posito hoc fundamento, intellectus cognoscere valet quasdam res habere tantum esse intentionale; sive quia sunt entia rationis, ut genera, species et similia; sive quia sunt possibilia; sive quia sunt futura, sive tandem quia sunt praeterita. Unde quoties intellectus tribuit alicui rei illud esse quod ipsi convenit, sive reale sive intentionale, veritatem formalem possidet de tali re.

(1) Cfr. S. Th. in 1. Sent. Dist. 19. q. 5. a. 1. ad 6.

Nota. Obiectiones quae moveri possunt contra assertum in praenotionibus de identitate reali et discrimine rationis inter verum et ens, reservantur Ontologiae.

THESIS X.

Veritas formalis in intellectu humano non invenitur nisi in iudicio.

PROBATUR.

221. I. Veritas formalis consistit in hoc, quod intellectus cognoscat rem esse talem qualis concipitur. Atqui in simplici apprehensione intellectus noster non cognoscit nisi quidditatem abstractam a notis individuantibus et ab esse. Ergo in simplici apprehensione non est veritas formalis, sed in compositione iudicii, quia non datur medium (1).

II. In eo actu intellectus noster cognoscit formam apprehensam convenire rei, quo componit speciem intelligibilem quidditatis cum conceptu indirecto rei singularis existentis. Atqui in hac compositione consistit iudicium. Ergo in iudicio assequimur veritatem formalem.

Prob. mai. Intellectus postquam apprehenderit quidditatem, abstractam a notis individuantibus et ab esse, reflectere debet supra speciem intelligibilem quam de ipsa expressit, eamque considerare quatenus mediante phantasmate et sensibus externis *continuatur cum re*, cuius quidditatem repraesentat, et ita affirmare rem existentem extra animam existere secundum illam formam seu quidditatem. Atqui per hoc intellectus componit speciem quidditatis apprehensae cum conceptu rei singularis in unica specie expressa iudicii. Ergo in eo actu, quo intellectus componit intentionaliter formam apprehensam cum re existente, consistit veritas formalis nostri intellectus.

III. Confirmatur ex eo quod intellectus noster ab imperfecto ad perfectum procedendo addit ulteriores notas prioribus conceptibus, quas deinde tribuit uni eidemque subiecto. Quod profecto fit per iudicium.

IV. In simplici apprehensione intellectus adaequatur rei materialiter, non formaliter ut cognoscitivus adaequationis. Nam ad formalem adaequationem cognoscitivam requiritur, ut intellectus sciat aliquam rem habere esse sive reale sive intentionale secundum eam formam quam ipse concipit. Tunc enim habentur duo termini distinti et intentionaliter coniuncti. Iamvero in simplici apprehensione intellectus fit utique

(1) Cfr. S. Th. 1. Sent. D. 19. q. 5. a. 1. ad 7. et D. 38. q. 1. a. 3.

similis intentionaliter quidditati vel qualitati rei; sed cum nondum cognoscat ipsum esse rei, nequit dicere an aliquid existat vel existere possit secundum talem formam. Ergo etc.

Nota. Ex hoc argumento apparet veritatem esse tantum *inchoative* et *materialiter* in simplici apprehensione.

V. Compositio est quaedam unitas. Cum igitur intellectus noster per simplicem apprehensionem nequeat assequi unitatem rei existentis, quae habetur perfecte per essentiam, principia individuantia et esse; necesse indiget compositione iudicii ad formalem de re veritatem assequendam (1).

VI. Veritas aut falsitas non profertur nisi in enuntiatione. Sed enuntiatio est signum iudicii. Ergo veritas aut falsitas non inveniuntur formaliter, nisi in iudicio.

OBIECTIONES.

222. **Obiect. 1ª.** Veritas formalis est adaequatio intellectus et rei. Sed intellectus per simplicem apprehensionem adaequatur rei. Ergo veritas formalis invenitur etiam in simplici apprehensione.

Resp. *Dist. mai.* Est adaequatio *completa* et *formalis,* vi cuius intellectus per intentionalem coniunctionem duorum terminorum, nempe apprehensae quidditatis et esse rei cognoscit rem esse id quod est, *Conc.,* est adaequatio mere *inchoativa* et *materialis, Nego. Contr. min.* Intellectus per simplicem apprehensionem adaequatur rei *inchoative* et *materialiter*, quum evadat intentionaliter similis formae seu quidditati rei. *Conc.*, adaequatur *complete* et *formaliter*, quasi cognoscat quidditatem perceptam convenire rei in suo esse, *Nego. Nego conseq.*

Obiect. 2ª. Formalis veritas invenitur in intellectu angelico et divino. Sed hi intellectus non componunt neque dividunt. Ergo formalis veritas non est tantum in intellectu componente et dividente.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Non componunt neque dividunt *formaliter*, *Conc., virtualiter*, *Nego.* Nam unico simplicissimo actu Deus, et proportionaliter angeli, cognoscunt quidquid intellectus noster per compositionem et divisionem iudicii imperfecte et successive cognoscere valet. Et ideo unico intuitu percipiunt quidditatem et esse rei atque ipsam intentionem seu commensurationem veritatis (2).

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. De Verit. q. 2. a. 7. ad 3.
(2) Cfr. S. Th. in 1. Sent. Dist. 38. q. 1. a. 3. ad 1. et 2. et Summ. 1. p. q. 85. a. 5.

SCHOLION I.

In operatione intellectus formantis definitiones veritas invenitur secundario et per posterius.

223. Definitio enim dicitur vera vel falsa per ordinem ad compositionem vel divisionem iudicii quae eam comitatur. Falsitas autem definitionis potest contingere dupliciter, vel quum definitio unius rei tribuitur alteri, ex. gr. si definitio circuli tribuatur triangulo; vel quum iunguntur elementa insociabilia, ex. gr. si diceretur animal inanimatum (1).

SCHOLION II.

Veritas formalis est exercite in iudicio directo, signate in iudicio reflexo.

224. *a) Cognoscere veritatem in actu exercito* est affirmare rem esse id quod est, vel negare eam esse id quod non est. Atqui hoc fit in iudicio directo, in quo mens affirmat vel negat formam apprehensam convenire rei v. g. cum dico: *corvus est niger, nix non est nigra.* Ergo veritas formalis est exercite in iudicio directo.

b) Cognoscere veritatem in actu signato est affirmare vel negare iudicium aliquod fuisse cum veritate prolatum. Aqui in iudicio reflexo mens affirmat vel negat iudicium aliquod praevium fuisse cum veritate prolatum. Ergo veritas formalis est signate in iudicio reflexo.

THESIS XI.

Veritas non est formaliter in sensu, sed materialiter tantum, in quantum veram apprehensionem de sensibilibus habet (2).

PROBATUR PRIMA PARS.

225. 1. In ea tantum potentia compleri potest formalis ratio veritatis, quae cognoscere valet relationem identitatis vel discrepantiae inter duos terminos adaequationis, videlicet inter praedicatum et subiectum. Atqui sensus hanc relationem cognoscere nequit. Ergo veritas non est formaliter in sensu.

Prob. min. Ad cognoscendam relationem identitatis vel discrepantiae inter praedicatum et subiectum necessarii sunt plures conceptus uni-

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Verit. q. 1. a. 3.
(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 16. a. 2; q. 17. a. 2; qq. dd. de Verit. q. 1. a. 9.

versales ac praesertim conceptus universalis illius rationis seu formae, in qua subiectum et praedicatum conveniunt vel discrepant. Atqui potentia sensitiva utpote affixa organo corporeo, tamquam comprincipio suae operationis, est incapax conceptuum immaterialium, cuiusmodi sunt conceptus universales. Ergo sensus relationem, in qua formalis ratio veritatis consistit, cognoscere nequit.

II. *Confirmatur* argumento S. Thomae (1), quod sic in forma breviter proponi potest. In ea potentia completur formalis ratio veritatis, quae cognoscit proportionem suam ad rem. Atqui sensus nequit cognoscere proportionem suam ad rem; quum non assimiletur ipsi quidditati rei, nec valeat proprii actus naturam cognoscere; ergo in sensu non perficitur formalis ratio veritatis.

PROBATUR SECUNDA PARS.

226. In ea potentia est materialiter veritas, quae veram quidem apprehensionem habet de re, sed cognoscere nequit relationem adaequationis inter formam apprehensam et rem exteriorem. Atqui ita sensus apprehendit sensibilia. Ergo in sensu veritas invenitur materialiter tantum, in quantum veram apprehensionem de sensibilibus habet.

227. **Quaeres 1.** *Utrum detur una sola veritas, qua omnia denominantur vera, an plures.*

Resp. ex doctrina S. Thomae (2). Si sermo sit de veritate formali, quam dicit intellectus creatus, quum affirmat rem esse quod est, aut non esse quod non est, multae sunt veritates; nempe tot quot sunt huiusmodi affirmationes vel negationes in intellectibus creaturarum. Si autem sermo sit de Veritate prima, secundum conformitatem ad quam omnia entia creata, sive substantialia sive accidentalia, non exclusis ipsis conceptionibus intellectuum creatorum, denominantur vera; una tantum est veritas, nempe Veritas divini intellectus, quae est ipse Deus. Haec est Veritas per essentiam, caetera sunt veritates vel vera per participationem. Quapropter veritas et verum dicuntur de Deo et de creaturis secundum analogiam attributionis unius ad alterum, ita ut Deus sit princeps analogatum.

Quaeres 2. *Utrum veritas enuntiabilium sit aeterna*, ex. gr. homo est animal rationale, totum est maius sua parte etc.

---

(1) Qq. dd. de Verit. q. I. art. 9.
(2) I. p. q. 16. a. 6; qq. dd. de Verit. q. 1. a. 4. et 8; in 1. Sent. Dist. 19. q. 5. a. 2.

Resp. cum S. Thoma (1). Quatenus huiusmodi veritates formantur ab intellectu creato, non sunt aeternae, quia intellectus creatus non est aeternus. Quatenus autem sunt in divino intellectu tamquam *in causa exemplari* et *efficiente omnis veritatis*, huiusmodi veritates sunt aeternae.

Quaeres 3. *Utrum veritas sit immutabilis.*

Resp. ex doctrina S. Thomae (2): Vel sermo est de veritate formali intellectus creati, vel de veritate intrinseca rei creatae, quae identificatur cum eius esse; vel de Veritate intellectus divini, dependenter a qua omnia dicuntur vera.

Si primum, veritas est mutabilis non quidem *per se*, sed *per accidens* idest ratione subiecti in quo est. Quum enim veritas consistat in eo, quod intellectus habeat conformitatem ad res intellectas, potest in intellectu creato haec conformitas cessare *vel ex parte intellectus*, ut quum, re perseverante in eodem esse, intellectus incipit iudicare eam aut amplius non esse, aut mutatam esse; *vel ex parte rei*, ut quum, re cessante a suo esse, intellectus pergat iudicare eam in suo esse perseverare.

Si secundum, veritas mutabilis est, sicut mutabile est esse creaturarum, quae et contingenter existunt, et mutantur de uno esse in aliud sive mutatione substantiali, sive accidentali.

Si tertium, veritas est prorsus immutabilis, quia in divino intellectu neque potest esse alternatio opinionum, neque ipsum res aliqua subterfugere potest, et per conformitatem ad ipsum, a quo pendent tamquam effectus a causa et mensurata a mensura, omnia dicuntur vera. Unde quamcumque formam aut privationem res creata per mutationem acquirat, semper secundum eam divino intellectui conformatur, quia eam cognoscit ut est secundum quamcumque rei dispositionem.

(1) 1. p. q. 16. a. 7; qq. dd. de Verit. q. 1. a. 5; in 1. Sent. Dist. 19. q. 5. a. 3.
(2) 1. p. q. 16. a. 8; qq. dd. de Verit. q. 1. a. 6. in I. Sent. Dist. 19. q. 5. a. 3.

QUAESTIO VII.

DE FALSITATE (1).

THESIS XII.

Falsitas formaliter et per se haberi potest tantum in intellectu componente et dividente.

PRAENOTIONES.

228. I. Falsitas *formaliter* et *per se* sumpta opponitur contrarie veritati formali, et habetur quando intellectus aut affirmat rem esse quod non est; aut negat eam esse quod est. Quare dici potest *inadaequatio intellectus et rei.*

II. Falsitas *materialiter* et *per accidens* sumpta opponitur veritati materiali et haberi potest *a) in re*, vel propter ipsum suum esse non correspondens ideis artificis, cuiusmodi esset ex. gr. ficta navis, quae non corresponderet ideis artis navifactivae; vel propter deceptivam quamdam eius qualitatem, praebentem occasionem iudicio falso; cuiusmodi est ex. gr. cuprum propter suum colorem similem colori auri: *b) in conceptu complexo* ope iudicii praevii efformato, praebente occasionem falso iudicio. Tales essent conceptus montis aurei, hominis alati, et similes.

PROBATUR THESIS.

229. I. Falsitas formaliter inveniri potest tantum in eo actu in quo intellectus affirmat rem esse quod non est, vel negat eam esse quod est. Atqui hic est actus intellectus componentis et dividentis. Ergo etc.

II. Contraria sunt circa idem. Sed falsitas est contraria veritati. Ergo in eo subiecto esse poterit formalis falsitas in quo esse potest formalis veritas, videlicet in intellectu componente et dividente. « Verum et falsum (ait S. Thomas) (2) opponuntur ut contraria et non « sicut affirmatio et negatio, ut quidam dixerunt. Ad cuius evidentiam « sciendum est, quod *negatio* neque ponit aliquid, neque determinat « sibi aliquod subiectum. Et propter hoc potest dici tam de ente,

(1) I. p. q. 17.
(2) 1. p. q. 17. a. 4.

« quam de non ente: sicut non videns et non sedens. *Privatio* autem « non ponit aliquid, sed determinat sibi subiectum. Est enim negatio « in subiecto ut dicitur (4. Metaph.), caecum enim non dicitur, nisi « de eo, quod est natum videre. *Contrarium* vero et aliquid ponit, et « subiectum determinat: nigrum enim est aliqua species coloris. *Fal-« sum* autem aliquid ponit: est enim falsum, ut dicit Philosophus « (4 Metaph.), ex eo quod dicitur vel videtur aliquid esse, quod non « est; vel non esse quod est. Sicut enim verum ponit acceptionem « adaequatam rei, ita falsum acceptionem rei non adaequatam: unde « manifestum est, quod verum et falsum sunt contraria. »

THESIS XIII.

In conceptibus directis seu incomplexis, quibus intellectus per simplicem apprehensionem proprium obiectum, idest quidditates rerum materialium percipit, nullo modo potest esse falsitas, idest neque per se neque per accidens. In conceptibus autem complexis, quos praevio iudicio intellectus efformat, quamvis falsitas per se seu formaliter esse nequeat, tamen esse potest per accidens seu materialiter (1).

PRAENOTIONES.

230. I. Unaquaeque potentia ordinatur *per se* et *primo* ad proprium obiectum, ita ut, si sit potentia cognoscitiva, necessario et unice determinetur ad actum cognitionis a tali forma, quae est similitudo intentionalis sui proprii obiecti. Sic *visus* necessario et unice determinatur ad actum visionis *a colore in actu* idest a *corpore luminoso; auditus* ad actum auditionis a *sono* etc. Quare eo ipso quod potentia aliqua est actu cognoscens, est actuata in similitudinem intentionalem proprii obiecti. Secus esset simul et non esset actu cognoscens; quod repugnat.

Attamen inter potentiam cognoscitivam spiritualem, nempe intellectum, et potentiam cognoscitivam materialem, nempe sensum, hoc discrimen intercedit, quod potentia spiritualis semper recipit convenienter formam intelligibilem proprii obiecti, quia non dependet ab organo corporeo, quod corruptibile est, tamquam a comprincipio suae operationis. Potentia autem sensitiva, quum constituat cum organo corporeo ab ipsa informato unicum principium adaequatum sensationis,

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 17. a. 3.

aliquando propter indispositionem organi non recipit convenienter formam sensibilem proprii obiecti; sic propter indispositionem linguae dulcia infirmis videntur amara. Quod contingit, quia omnia passiva propter suam indispositionem deficienter recipiunt impressionem agentium (1).

II. Praeter conceptus directos magis minusve comprehensivos, quibus intellectus noster per simplicem apprehensionem percipit proprium obiectum, nempe naturas rerum materialium abstractas a notis individualibus (qui conceptus vocantur simplices seu incomplexi); efformat ope iudicii alios conceptus, componendo simul notas acquisitas ope priorum conceptuum. Qui novi conceptus vocantur compositi seu complexi. Ad horum classem pertinent definitiones et concreta accidentalia, ex. gr. conceptus animalis rationalis, hominis albi, spherae aureae.

PROBATUR PRIMA PARS.

231. In conceptibus sive incomplexis sive complexis non posse esse falsitatem *per se* seu *formaliter* probatur ex eo, quod formalis falsitas esse potest tantum in affirmatione vel negatione iudicii. Iamvero mens, quum per hos conceptus speculatur id quod repraesentant, puta leonem, animal rationale, spheram auream etc. neque affirmat neque negat ea esse vel non esse. Ergo in huiusmodi conceptibus nequit esse falsitas *per se.*

PROBATUR SECUNDA PARS.

Videlicet in conceptibus directis falsitatem ne quidem *per accidens* dari posse. Etenim, per conceptus directos seu simplices mens cognoscit proprium suum obiectum independenter a quovis influxu iudicii et a quavis indispositione organi, quia potentia spiritualis non eget organo tamquam comprincipio suae operationis. Iamvero influxus iudicii vel indispositio organi essent solae causae ob quas aliqua potentia cognoscitiva deficere posset in intentionali repraesentatione proprii obiecti. Ergo in conceptibus directis, qui terminant simplicem apprehensionem, intellectus neque per accidens falli potest. Ideo S. Thomas ait (2): « Et propter hoc in cognoscendo quidditates simplices non « potest esse intellectus falsus; sed, vel est verus, vel totaliter nihil « intelligit. »

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 17. a. 2.
(2) 1. q. q. 17. a. 3.

PROBATUR TERTIA PARS.

In iis conceptibus potest esse falsitas per accidens, in quibus compositio intellectus admiscetur. Iamvero in conceptibus compositis, compositio iudicii admiscetur. Ergo in eis potest per accidens esse falsitas. « Quod potest esse dupliciter (ut S. Th. ait) (1). Uno modo « secundum quod intellectus definitionem unius attribuit alteri; ut si « definitionem circuli attribuit homini. Unde definitio unius rei est « falsa de altera. Alio modo, secundum quod partes definitionis com- « ponit ad invicem, quae simul sociari non possunt. Sic enim definitio « non est solum falsa respectu alicuius rei, sed est falsa in se. Ut si « formet talem definitionem *animal rationale quadrupes*, falsus est « intéllectus sic definiendo ; *propterea quod* falsus est in formando « hanc compositionem (praerequisitam definitioni) *aliquod animal ra- « tionale est quadrupes* (2). »

THESIS XIV.

In sensu nequit esse falsitas formalis, quae consistit in falsa affirmatione vel negatione convenientiae formae apprehensae cum aliqua re. Materialis autem falsitas, quae consistit in apprehensione obiecti sensibilis aliter ac est, non contingit in sensu rite disposito circa sensibile proprium, sed tantum circa sensibilia communia et sensibilia per accidens (3).

PRAENOTIONES.

232. I. **Sensibile** dicitur quidquid quocumque modo a sensibus cognosci potest. Dividitur

a) **in sensibile per se et sensibile per accidens.** *Sensibile per se* est quodcumque accidens, quod potest a sensu directe attingi, puta extensio, color, sonus, etc.

Sensibile per accidens est quidquid latet sub accidentibus sensibilibus *per se*, tamquam naturaliter connexum cum illis, quum sit vel subiectum, ut substantia materialis, vel motivum eorum, ut quaedam passiones compositi sensitivi, puta metus, ira, odium, quae causant pallorem vel ruborem in vultu, agitationem in membris et similia.

---

(1) Loc. cit.
(2) Cfr. etiam qq. dd. de Verit. q. 1. a. 12. et Summ. 1. p. q. 85. a. 6.
(3) Cfr. S. Th. I. p. q. 17. a. 2. qq. dd. de Verit. q. 1. a. 11.

b) **Sensibile per se dividitur in proprium et commune.** *Sensibile proprium* est illud accidens, quod *per se* et *primo* attingitur ab aliquo sensu, utpote proprium obiectum eius; ita color in actu seu luminosum est proprium sensibile visus; sonus est auditus, etc. Sensibilia propria pertinent ad genus *qualitatis.*

Sensibile commune est illud accidens quod a pluribus sensibus percipi potest ut magnitudo, figura et similia. Quum enim sensibile commune pertineat ad genus quantitatis, quae proxime alia accidentia sensibilia individuat, determinat obiecta propria plurium sensuum et aliquam diversitatem facit in sensuum immutatione. Sensibile commune ab omnibus sensibus percipitur *per se* sed non *primo.* Percipitur quidem *per se*, quia modificat, seu determinat sensibiliter speciem, quam sensibile proprium causat in potentia sensitiva, unde per unicam speciem sensibilem repraesentatur intentionaliter a sensu. Sic videndo pyramidem albam, per unicam speciem video albedinem determinatam a figura pyramidali, et figuram pyramidalem determinantem albedinem. Non percipitur *primo*, quia percipitur mediantibus qualitatibus alterantibus, quae sunt sensibilia propria uniuscuiusque sensus. Sic visus non percipit albedinem mediante figura pyramidali, sed percipit figuram pyramidalem mediante albedine (1).

II. Praeter sensus exteriores dantur facultates sensibiles interiores quarum prima vocatur *sensus communis,* cuius proprium obiectum sunt sensationes sensuum externorum. De hac et aliis facultatibus sensibilibus interioribus agemus in Psychologia.

III. **Iudicium sumi potest stricto sensu vel lato sensu.** *Stricto sensu* est operatio intellectus componentis et dividentis, ad quam requiri potentiam spiritualem satis indicavimus in Th. XI.

Lato sensu est cognitio, qua sensus communis distinguit unam sensationem ab alia, et his mediantibus obiectum perceptum ab uno sensu exteriori distinguit ab obiecto percepto ab alio. Sic animal per sensum communem discernit album a dulci, sensationem coloris a sensatione saporis et ideo sentit se sentire. Attamen sensus communis, quum sit potentia organica nequit cognoscere actum suum et adaequationem suam cum obiecto percepto (2).

Tandem adhuc *latiori sensu* iudicium significare potest quamcumque simplicem cognitionem, quae plura obiecta attingat, distinguendo unum ab alio, quia conveniunt in ea ratione generica, quae est formale obiectum potentiae. Sic unusquisque sensus particularis dici potest de

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 78. a. 3. ad 2.
(2) 1. p. q, 78. a. 4.

proprio sensibili iudicare, quia distinguit obiecta sub huius formali ratione constituta. Sic visus iudicat de colore discernendo album a nigro; gustus de sapore discernendo dulce ab amaro.

PROBATUR PRIMA PARS.

233. I. Falsitas formalis consistit in hoc, quod potentia cognoscitiva affirmet formam apprehensam convenire rei cui non convenit, vel neget convenire rei cui convenit. Atqui huius affirmationis non est capax sensus, ut ex supradictis patet. Ergo in sensu non est falsitas formalis.

II. Falsitas formalis ibi haberi potest ubi haberi potest veritas formalis, quia contraria in eodem subiecto inveniuntur. Atqui veritas formalis esse potest tantum in intellectu componente et dividente. Ergo ibi etiam esse poterit formalis falsitas.

PROBATUR SECUNDA PARS.

234. *Quoad 1um membrum (Materialis falsitas inveniri numquam potest in sensu circa proprium sensibile, si sensus sit rite dispositus).*

I. Potentia quaelibet cognoscitiva se habet ad formam seu similitudinem obiecti proprii, a qua habet ut sit formaliter cognoscens, eo modo quo res naturalis se habet ad propriam formam a qua habet ut in suo esse actuetur. Iamvero res non potest deficere a sua forma quin hoc ipso deficiat ab esse. Ergo etiam potentia cognoscitiva non potest deficere a similitudine proprii obiecti quin hoc ipso cognoscere desinat.

II. Quaelibet potentia proportionata ad proprium et adaequatum actum, dum perseverat in sua actuatione, debet necessario habere id, per quod solum actuari potest. Atqui potentia sensitiva bene disposita proportionatur ad similitudinem intentionalem proprii obiecti sensibilis tamquam ad proprium et adaequatum actum, a quo constituitur formaliter cognoscens. Ergo, si actu cognoscit, non potest deficere a repraesentatione proprii obiecti sensibilis, ideoque non potest esse neque materialiter falsa.

235. *Quoad 2um membrum (Materialis falsitas inveniri potest in sensu circa proprium obiectum, si sensus non sit rite dispositus).*

Omnia passiva propter suam indispositionem deficienter recipiunt impressionem agentium. Atqui sensus non rite dispositus se habet ad proprium obiectum, ut passivum non bene dispositum. Ergo in sensu non rite disposito, vel ob organi infirmitatem vel ob medii imperfectionem, recipitur deficienter similitudo obiecti proprii. Ergo in sensu non rite disposito est falsitas per accidens etiam circa proprium obiectum. Quamvis enim, si sentiat, debeat referre similitudinem saltem

generice conformem proprio obiecto, non tamen refert illam *specifice* conformem. Ex. gr. quamvis gustus febricitantis referat saporem cibi, tamen apprehendit illum in specie amara, cum sit in specie dulci. Item oculus ob medios vapores densos refert solem rubri coloris, cum talis non sit.

PROBATUR TERTIA PARS.

236. *(Materialis falsitas circa sensibilia communia et sensibilia per accidens inveniri potest in sensu etiam rite disposito).*

Potentia cognoscitiva rite disposita non potest falli circa illud obiectum, ad quod se habet ut propria potentia ad proprium actum. Atqui huiusmodi est unice obiectum proprium, ad quod *primario* et *per se* ordinatur. Ergo quoad sensibilia communia et sensibilia per accidens poterit falli sensus etiam rite dispositus (1).

SCHOLION

Declaratur quomodo contingat error circa sensibile commune et quomodo corrigatur.

237. Error contingere potest circa sensibile commune, quatenus dimensiones et caetera, quae ad quantitatem reducuntur, quae si sint diversa in variis corporibus deberent diversimode immutare sensum, puta visum; aliquando immutant illum eodem modo, quasi non essent diversa, eo quod inveniantur in diversa relatione aut distantiae, aut alterius respectus ex quantitate procedentis, puta motus aut quietis. Sic, caeteris paribus, corpus luminosum bipedalis diametri immutare deberet visum multo minus, quam corpus luminosum habens diametrum mille pedum. Attamen aliquando contingit ut corpus luminosum maius sit valde remotum ab oculo et consequenter immutet visum eodem modo, quo corpus bipedalis diametri oculo valde propinquum. Hinc fit, ut appareat eiusdem magnitudinis cum isto. Quapropter tamdiu videns perseverabit in errore vel in dubio de prioris magnitudine quamdiu de hac diversitate distantiarum certificari non poterit. Vitabitur autem error si sit aliquis sensus in quem obiectum sensibile influere nequeat ex variis distantiis sed semper ex distantia determinata. Tunc enim non poterit circa huiusmodi sensum mutari et variari influentia quantitatis, sed semper eodem modo se habebit. Et ideo mediante huiusmodi sensu poterit aliquis corrigere errorem ex sensibili communi in alium sensum provenientem.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 17. a. 2. 3.

Porro huiusmodi sensus est tactus, qui non movetur a proprio obiecto, nisi in aequali et semper determinata distantia, et ideo non potest circa eum mutari influxus ex quantitate proveniens. Posita igitur apprehensione sensus tactus, auferetur error vel indeterminatio proveniens ex diversitate distantiae apprehensae sive a visu, sive ab auditu, sive ab olfactu. Etenim circa istos sensus mutatur influentia quantitatis ex diversitate distantiae, cum possint in diversis distantiis proprium obiectum percipere. Ita fit ut, qui navi discedit a litore, tactu percipiat navem moveri et non ipsum litus.

THESIS XV.

Sensus relate ad intellectum 1⁰ si consideretur ut res quaedam, non potest esse neque causaliter falsus; 2⁰ si consideretur prouti repraesentat obiecta sensibilia, potest esse causaliter falsus; 3° quamvis non necessario intellectus fallatur.

PROBATUR PRIMA PARS.

238. Sensus consideratus ut res quaedam, non potest non exhibere dispositionem suam, i. e. sensationem, qua afficitur, puta dulcedinis vel amaritudinis vel doloris etc. Atqui ut occasionem errandi praeberet intellectui, deberet non repraesentare suam dispositionem. Ergo sensus consideratus ut res quaedam, non potest dici causaliter falsus.

PROBATUR SECUNDA PARS.

Sensus, ut in anteriori Thesi ostensum est, potest aliquando rem sensibilem repraesentare aliter quam est. Atqui in tali casu potest causare intellectui falsam aestimationem de re. Ergo sensus, prout est repraesentativus rerum sensibilium, potest esse occasionaliter falsus.

PROBATUR TERTIA PARS.

Intellectus humanus vel decipitur a sensu circa sensibile proprium vel circa sensibile commune, vel circa sensibile per accidens. Atqui in quacumque hypothesi potest homo corrigere errorem vel saltem suspicari de falsitate sensus. Ergo intellectus humanus non necessario decipitur a sensu.

a) Prob. min. quoad primam partem. Sensus non fallitur circa sensibile proprium nisi vel ob infirmitatem organi vel ob medii imperfectionem. Atqui homo potest utrumque deprehendere, vel per eum-

dem vel per alium sensum, vel per reflexionem intellectus. Ergo error sensus circa sensibile proprium corrigi potest ab homine.

b) Prob. min. quoad secundam partem. Sensus fallitur circa sensibile commune tantum per accidens, ita ut error corrigi possit vel per alium sensum, vel per intellectus reflexionem in praeteritam experientiam, mediantibus certissimis rationis principiis. Atqui si ita, intellectus potest corrigere errorem, vel suspicari de falsitate sensus. Ergo error sensus circa sensibile commune non necessario decipit hominem.

c) Prob. min. quoad tertiam partem. Sensibile per accidens est obiectum *solius* intellectus, cui proponitur a sensibus per ea, quae sensus percipiunt *per se.* Atqui circa huiusmodi i. e. sensibilia per se, sive propria sive communia, ostensum est intellectum non necessario falli. Ergo neque potest falli necessario circa sensibile per accidens. Ad rem S. Thomas (1). « Si ergo comparetur sensus ad intellectum prout « est res quaedam, sic nullo modo est falsitas in sensu intellectui com- « parato: quia secundum quod sensus disponitur, secundum hoc dispo- « sitionem suam intellectui demonstrat: unde Augustinus dicit in « auctoritate inducta (in arg. 2. huius quaest.), quod non possunt « omnino enuntiare nisi affectionem suam. Si autem comparetur ad « intellectum secundum quod est repraesentativum alterius rei: cum « quandoque repraesentet ei aliter rem quam sit, secundum hoc sensus « falsus dicitur, inquantum natus est facere falsam existimationem in « intellectu, quamvis non necessario faciat, sicut et de rebus dictum « est: quia intellectus sicut iudicat de rebus, ita et de his quae a sen- « sibus offeruntur. »

(1) Qq. dd. de Ver. q. 1. a. 11.

QUAESTIO VIII.

DE CERTITUDINE

PRAENOTIONES.

DE VARIIS MENTIS NOSTRAE STATIBUS RELATE AD VERITATEM.

239. Quum intellectus noster propter suam imperfectionem nequeat in omnibus iudiciis aequaliter perspectam habere convenientiam vel disconvenientiam praedicati cum subiecto, in qua formalis ratio veritatis perficitur; necesse est ut varii sint mentis nostrae status relate ad veritatem, némpe vel *nescientiae*, vel *ignorantiae,* vel *erroris*, vel *dubii*, vel *suspicionis,* vel *opinionis*, vel *certitudinis.*

a) **Nescientia** *est simplex negatio scientiae.*

b) **Ignorantia** *est carentia scientiae debitae.*

c) **Error** *est actus quo intellectus falsum iudicium de re profert.* Et ideo « addit actum quemdam super ignorantiam ; potest enim esse « ignorantia sine hoc quod aliquis de ignotis sententiam ferat, et tunc « est ignorans et non errans » (1). *Stabilis adhaesio mentis* iudicio erroneo est *habitus erroris.*

Nota. Si modo dicta conferantur cum his, quae ex S. Thoma retulimus de oppositione *negativa, privativa*, et *contraria* (n. 229, II.), apparebit nescientiam opponi veritati *negative*, ignorantiam *privative*, errorem *contrarie.*

d) **Dubium** *est suspensio iudicii inter utramque contradictionis partem.* Quae quidem suspensio, si procedat ex eo quod nulla ratio pro quacumque parte appareat, constituit *dubium negativum.* Si autem procedat ex apparenti aequalitate rationum pro utraque parte militantium, constituit *dubium positivum.* Quod si mens quamvis neutri parti assentiatur, incipiat inclinari potius in unam partem quam in aliam propter aliquod *leve* signum, dicitur *suspicari.* Quare

e) **Suspicio** *est inclinatio mentis in unam contradictionis partem propter leve signum, citra quemcumque assensum.*

f) **Opinio** *est adhaesio mentis uni parti contradictionis cum formidine oppositi.* Quae formido fundatur in cognito periculo errandi propter apprehensam probabilitatem veritatis in iudicio opposito; atque

---

(1) Cfr. 1. 2. q. 40. a. 2. ad 3. et 2. 2. q. 18. a. 4.

procedit ex eo quod motivum inclinans intellectum ad unam partem non habet sufficientem vim ad eum determinandum.

g) **Certitudo** *est firmitas adhaesionis virtutis cognoscitivae in suum cognoscibile* (1). Quapropter *primario* et *essentialiter* dicitur de potentia cognoscitiva *secundario* et *participative* dicitur de omni eo quod a vi cognoscitiva movetur infallibiliter in finem suum. Sic natura dicitur certitudinaliter operari, quia movetur infallibiliter a divino intellectu in suum finem; atque appetitus cognoscitivus certitudinaliter tendit in proprium obiectum a potentia cognoscitiva propositum (2). Attamen quum certitudo intellectus humani formaliter sit in iudicio, bene definitur: *determinatio mentis ad unam partem contradictionis absque formidine oppositi*. Et sane certitudo cognitionis habetur quando cognoscens absque ulla formidine existimat rem esse id quod est. Iamvero intellectus noster hanc aestimationem seu affirmationem format in iudicio. Ergo (3).

h) **Divisiones certitudinis**. Certitudo a modernis dividi solet in *subiectivam* seu *formalem* et *obiectivam* seu *causalem*.

Subiectiva est ea, quam supra descripsimus, nempe firmitas assensus intellectivi uni parti contradictoriae absque formidine oppositi.

Obiectiva est dignitas rationum vel intrinsecarum (ut accidit in intellectu principiorum et in demonstratione scientifica), vel extrinsecarum (ut accidit in fide) postulans assensum firmum utpote connexa cum obiectiva rei veritate.

Certitudinem subiectivam subdividunt in *adaequatam* et *per se* seu *simpliciter* dictam, atque *inadaequatam* seu *per accidens* et *secundum quid* dictam. Prima seu *adaequata* est ea quae procedit vel ab immediata evidentia veritatis vel a tali rationum vel testimonii dignitate, quae sit semper connexa cum obiectiva rei veritate. Secunda seu *inadaequata* est ea quae neque procedit ab immediata evidentia veritatis, neque a sufficienti rationum vel testimonii dignitate, quae proinde non est semper connexa cum obiectiva rei veritate. De hac loquitur Aristoteles (4), quum docet ex prava consuetudine et educatione et affectione voluntatis erga auctorem aliquem, vel ex falso syllogismo oriri in nonnullis opinantibus firmitatem adhaesionis ad suas opiniones non minorem, quam habeant scientes ad conclusiones recte in prima principia resolutas.

---

(1) S. Th. 3. Sent. Dist. 26. q. 2. a. 4.
(2) Cfr. 1. 2. q. 40. a. 2. ad 3. et 2. 2. q. 18. a. 4.
(3) Cfr. qq. de Verit. q. 6. a. 3. et Summam 2. 2. q. 9. a. 1. ad 1.
(4) II. Metaph. text. 14.

THESIS XVI.

Causa certitudinis intellectualis est non solum *a)* evidentia sive immediata sive mediata movens intellectum per intrinsecam veritatis visionem; sed etiam *b)* quum haec haberi nequit, est auctoritas alicuius fide digni movens extrinsece intellectum per imperium voluntatis fundatum in iudicio certo de testificantis credibilitate.

PRAENOTIONES.

240. I. *Evidentia* generatim accepta est ea obiecti perspicuitas, quae necessario movet potentiam cognoscitivam ipsi proportionatam, ad illud percipiendum.

II. Eae *veritates* dicuntur *evidentes* nobis, quae per virtutem luminis intellectualis, nobis a Deo inditi, fiunt intellectui nostro manifestae, vel *immediate* ita ut, cognitis terminis, intellectus determinetur necessario ad firmiter eis adhaerendum (talia sunt *prima principia*); vel *mediate*, idest per scientificam demonstrationem, vi cuius conclusio secundum actum rationis in principia per se visa resolvitur (hae sunt veritates seu *conclusiones scientificae*). « In intellectu principiorum causatur determinatio ex hoc, quod aliquid *per lumen intellectus* sufficienter inspici per ipsum potest: in scientia vero conclusionum causatur determinatio ex hoc, quod conclusio secundum actum rationis in principia per se visa resolvitur... Ideo certitudo, quae est in scientia et in intellectu, est ex ipsa evidentia eorum, quae certa esse dicuntur » (1). Quomodo autem resolutio conclusionum fiat in prima principia, quae sunt per se immediate visa, et quomodo ex his principiis universalibus omnia principia sequantur, tamquam ex quibusdam rationibus seminalibus, dicemus in 3. parte Logicae Maioris (2).

III. *Divisiones evidentiae.* Moderni dividunt evidentiam in *formalem* et *materialem;* hanc autem subdividunt in *obiectivam* et *subiectivam.* Vocant evidentiam *materialem* ipsam rem quae fit evidens; *formalem* ipsum lumen intellectuale quo res fit evidens intellectui; *obiectivam* autem vocant ipsum *obiectum* intelligibile quatenus actu illustratur lumine intellectus; tandem evidentiam *subiectivam* dicunt ipsam mentis intuitionem, quae per lumen intellectuale videt obiectum ab eodem lumine illustratum.

---

(1) S. Th. in 3. Sent. Dist. 23. q. 2. a. 2. sol. 3.
(2) Cfr. S. Th. qq. dd. de Ver. q. 11. a. 1.

IV. Nos in Thesi accipimus *evidentiam obiectivam* non *solitarie et in potentia*, sed *in actu*, quatenus nempe actu coniungitur cum *evidentia subiectiva*, ut causa effectui. Etenim obiectum aliquod tunc fit evidens alicui potentiae cognoscitivae, quando actu manifestatur ei, ipsam determinando ad sui cognitionem. Et ideo evidentia obiectiva et subiectiva sibi mutuo respondent, ita ut actu una nequeat esse sine alia. *Quapropter iudicium subiective evidens numquam poterit esse falsum.*

PROBATUR PRIMA PARS.

241. Evidentia est ea obiecti manifestatio intellectui facta, qua intellectus videt formam vel naturam significatam per praedicatum inesse subiecto vel cum subiecto identificari. Atqui intellectum videre obiectivam convenientiam praedicati cum subiecto eique adhaerere absque formidine de veritate oppositi unum et idem est, secus enim intellectus simul videret et non videret obiectivam convenientiam praedicati cum subiecto. Ergo evidentia determinat intellectum ad assensum certum, nempe est causa certitudinis, quae definitur *determinatio mentis ad unam partem contradictionis absque formidine oppositi.*

242. **Assensus causatus ab evidentia est infallibilis.** Etenim assensus certus causatus ab evidentia potest esse vel de primis principiis, vel de rebus existentibus, vel de conclusione aliqua scientifica, quae fuerit per ratiocinium resoluta in principia immediate evidentia.

Iamvero in primo casu intellectus nequit falli neque per se, neque per accidens. Nam, ut demonstrabimus in 3. parte Logicae Maioris, in primis principiis praedicatum est de ratione subiecti: subiectum autem est obiectum proprium nostri intellectus, circa quod intellectus neque per se, neque per accidens falli potest (n. 231) (1).

In secundo casu in tantum intellectus falleretur, in quantum deciperetur a sensibus. Iamvero quando habetur evidentia, constat intelligenti sensus fuisse rite dispositos et ad obiectum rite applicatos, ita ut neque per se neque per accidens falli potuerint. Sic dum cernimus in meridiana luce solem, evidentiam habemus de eius praesentia, splendore, calore etc.

In tertio casu, qui est proprius evidentiae mediatae, intellectus falleretur, si ratiocinatio non fuisset rite peracta. Atqui quum habemus evidentiam resolutionis conclusionum in principia immediate evidentia, intuemur in ipsis principiis rectitudinem illationis. Ergo etiam in isto

---

(1) S. Th. 1. p. q. 85. a. 6.

casu evidentia causat assensum infallibilem. Sic quum ita discurro: « Omne totum est maius sua parte. Sed Italia est pars Europae. Ergo Europa est maior Italia »; in lumine primorum principiorum intelligo conclusionem fuisse rite resolutam in sua principia. Et sane ratiocinationi allatae aequivalet sequens: « Quum immediate evidens sit omne totum esse maius sua parte; si Italia, quae est pars Europae, non esset istâ minor, esset simul et non esset pars Europae, quod contradictionem implicat, est nempe contra ipsa prima principia rationis » (1).

PROBATUR SECUNDA PARS.

243. *Quoad primum membrum.* Certitudinem posse causari in intellectu per imperium voluntatis propter extrinsecam auctoritatem alicuius fide digni, quotidiana experientia docemur.

Et sane, quum unusquisque nostrum propter imperfectionem humani intellectus et propter adiuncta individualia, de quamplurimis enuntiationibus ignoret utrum praedicatum conveniat subiecto, nec valeat de eis intrinsecam evidentiam assequi; poterit, fidendo assertioni alicuius qui huiusmodi veritates perspectas habeat, imperare libera sua voluntate intellectui assensum firmum enuntiationi testificatae, admittendo eam tamquam veram absque formidine oppositi. Quando enim intellectus non cogitur ab evidentia, voluntas potest *directe* movere intellectum ad assensum certum. Sic amicus credit amico, discipulus magistro, rudis astronomo de futura eclypsi.

Iudicamus enim in pluribus adiunctis decens esse atque utile, immo etiam necessarium, alienis attestationibus fidere; atque honorificum existimamus, si alii nostrae assertioni credant: vituperosum, si credere renuant. Quicumque enim libere suum intellectum determinat ad firmiter adhaerendum alicui enuntiationi tamquam verae propter nostram attestationem, iudicare debuit nos fide dignos, videlicet tales qui ea in re *neque fallamur*, *neque alios fallere velimus*, quum in his duobus consistat auctoritas faciens fidem.

244. *Quoad secundum membrum.* Ad hoc ut voluntas prudenter moveat intellectum ad *assensum certum* propter auctoritatem extrinsecam alicuius, praecedere debet *iudicium certum de credibilitate* testificantis.

Et sane, bonum propositum voluntati tamquam effectus firmi assensus eliciendi ab intellectu non propter intrinsecam veritatis manifestationem, sed ex imperio voluntatis propter auctoritatem testificantis,

(1) Conf. S. Th. qq. dd. de Verit. q. 1. a. 1.

esse debet bonum proportionatum naturae rationali. Iamvero assensus firmus in falsitatem, numquam causare poterit bonum proportionatum naturae rationali, cuius propria perfectio consistit in assequutione veritatis. Ergo ad hoc ut voluntas prudenter moveat intellectum *ad assensum certum*, praecedere debet iudicium certum de testimonii credibilitate in quo iudicio imperium voluntatis fundetur.

THESIS XVII.

Evidentia est criterium veritatis.

245. **Probatur.** Vocando *criterium veritatis* id per quod nos certificamur de assecutione veritatis, talis profecto erit ipsa intellectualis intuitio veritatis. Qui enim intuetur ipsam veritatem, idest ipsum nexum obiectivum inter praedicatum et subiectum, nequit dubitare de assecutione veritatis, quia secus intueretur simul veritatem et non intueretur, quod repugnat in terminis. Atqui talis est evidentia adaequate accepta, quam in Praenotionibus Theseos XVI sub n. IV. explicavimus. Ergo evidentia est criterium veritatis.

246. **Corollarium.** *Immediate evidentia non sunt demonstrabilia.* Falluntur et in circulum vitiosum incidunt, qui putant ad criterium veritatis habendum demonstranda esse facta et principia immediate evidentia. Quia omnis demonstratio fundari debet in aliquo facto et principio immediate evidenti, puta in veracitate facultatum cognoscitivarum et in principio contradictionis. Attamen non excluditur aliqua *indirecta* demonstratio et *ad hominem*, qua etiam Aristoteles usus est contra negantes prima principia.

THESIS XVIII.

Vera certitudo ea sola est, quae ex *subiectiva* et *obiectiva* resultat, quam moderni *adaequatam* appellant (vide 239, b.).

PROBATUR.

247. Vera certitudo est, quae numquam poterit ab ea firmitate separari, quae eius definitionem ingreditur; videlicet est talis assensus intellectualis, ut nunquam possit intellectus rationaliter removeri ab affirmata convenientia vel disconvenientia praedicati cum subiecto. Atqui id contingit in sola *certitudine adaequata*, quae ex *subiectiva* et *obiectiva* resultat. Etenim in hac tantum eveniet, ut quo magis intellectus perpendat dignitatem rationum, propter quam assensum praebuit, si agatur de veritate mediate nota; vel quo magis aciem suam

in ipsa veritate contemplando defixerit, si agatur de veritate immediate nota; eo magis perspiciet affirmatam convenientiam vel disconvenientiam praedicati cum subiecto. E contra, si obiectivum elementum, idest vera dignitas rationum desit; fiet ut intellectus quo magis has ponderaverit, eo facilius ad earum debilitatem agnoscendam deveniat, et ita a firmitate assensus aliquando deficiat. Ergo vera certitudo ea sola est, quae ex subiectiva et obiectiva resultat.

Nota. Hanc certitudinem assequi posse et in multis revera assequi ab humano intellectu constat ex demonstratis in Thesi XVI. et ex integra Quaestione VII. *De Falsitate*, atque ex dicendis adversus scepticos et ex Quaestione X. *De Principiis Demonstrationis* ulterius constabit.

THESIS XIX.

Quaelibet vera certitudo aliquam necessitatem supponit, vel absolutam, vel hypotheticam.

PROBATUR.

248. Ad hoc ut intellectus firmet assensum uni ex contradictoriis ita, ut non possit rationabiliter formidare de veritate oppositi; oportet ut videat praedicatum subiecto ita a parte rei connecti, ut non possit aliter se habere, vel absolute, vel in ea hypothesi secundum quam facta est affirmatio. Ex. gr. si intellectus non videt omne totum esse necessario maius sua parte; Petrum in hypothesi quod sedeat, dum sedet non posse simul non sedere; ignem siccae stipulae applicatum non posse absque suspensione legum physicarum eam non comburere; non poterit affirmare, absque formidine de veritate oppositi, omne totum esse maius sua parte; Petrum, si sedeat, non stare; ignem siccam stipulam comburere. Ergo quaelibet vera certitudo aliquam necessitatem supponit, vel absolutam, vel hypotheticam.

THESIS XX.

Triplex datur species certitudinis, una alia perfectior, nempe *metaphysica, physica* et *moralis*.

PROBATUR.

249. Quum certitudo sit firmitas assensus uni ex contradictoriis absque formidine oppositi; pro varia necessitate convenientiae praedicati cum subiecto, species certitudinis varias esse oportet. Nam vel *a)* praedicatum competit subiecto *absolute*, idest in quacumque hypothesi; quo modo unicuique rei competunt sua praedicata essentialia, ut

homini quod sit animal rationale; vel *b)* ei competit tantum ex aliqua suppositione: haec autem suppositio vel fundatur in aliqua lege physica universali, quae, salva rei essentia, suspendi potest a Deo, ut est ex. gr. lex attractionis corporum; vel fundatur in aliqua lege morali universali, quae in hominum universalitate non fallit, utpote resultans ex naturali ordinatione humanae naturae ad bonum, quamvis in aliquo peculiari casu propter humani arbitrii libertatem deficere possit, puta quod matres non occidant suos liberos. In primo casu habemus *certitudinem metaphysicam*, in secundo *physicam*, in tertio *moralem*.

Quatenus hae certitudines conveniunt in parte negativa idest in exclusione formidinis de opposito, conveniunt *in ratione generica certitudinis.* Quatenus autem differunt ex parte positiva, idest ex parte motivi causantis firmitatem assensus, quod se habet ut *obiectum formale* certitudinis, specie differunt ita ut una sit alia certior. Nam quum tale motivum fundetur in varia necessitate convenientiae praedicati cum subiecto; certitudo metaphysica est omnium firmissima, quia causatur ab *absoluta* necessitate huius convenientiae; certitudo physica est firmior morali, quia necessitas convenientiae praedicati cum subiecto fundatur in constantia legum physicarum, quae nequeunt suspendi vel mutari nisi a Deo, qui in ordine suae sapientiae et providentiae eas non suspendit nisi gravissimas ob rationes et in adiunctis facile agnoscibilibus; tandem certitudo moralis est omnium infima, quia necessitas convenientiae praedicati cum subiecto fundatur in constantia legum moralium, *quae in aliquo peculiari casu* violari possunt ab hominis arbitrio, quamvis certo constare possit ex adiunctis non violari.

250. Hisce consonant quae ait S. Thomas (1): « Cum veritas consistat in adaequatione intellectus et rei; si consideretur veritas secundum rationem aequalitatis, quae non recipit magis et minus, sic « non contingit aliquid esse magis vel minus verum; sed si consideretur « ipsum esse rei, quod est ratio (idest causa obiectiva) veritatis, sicut « dicitur in II Metaph., eadem est dispositio rerum in esse et in veritate, unde quae sunt magis entia sunt magis vera ». Idcirco (2), docet eas scientias esse certiores, quarum obiectum magis abstrahit a materia et a motu, quia quanto aliqua res est magis remota a materia et a motu, tanto habet esse firmius.

Nota. Praeter varios gradus certitudinis desumptos ex parte obiecti, (sive *materialis* sive *formalis quod*) distingui possunt cum S. Doctore gradus certitudinis desumpti sive *ex parte subiecti*, quia quanto aliquis

---

(1) QQ. dd. de Caritate art. 9. ad 1.
(2) In Boetium de Trinit. q. 6. a. 1. ad secund. quaest.

intellectus est perfectior, tanto firmior est eius adhaesio veritati cognitae; sive *ex parte medii* (quod vocari etiam solet *abiectum formale quo cognitionis*), quia quanto medium alicuius demonstrationis est efficacius, aut quanto auctoritas alicuius testimonii est maior, tanto firmius adhaeremus alicui veritati, sive demonstratae sive testificatae (1); quae certitudo ex parte medii reincidit in certitudinem obiectivam seu causalem (n. 239. h.).

OBIECTIONES.

251. **Obiect. 1ª.** Certitudo quaevis consistit in indivisibili, idest in exclusione formidinis de opposito. Atqui indivisibile non admittit varietatem graduum. Ergo non dantur gradus certitudinis.

Resp. *Dist. mai.* Quoad partem negativam, seu in exclusione formidinis, *Conc.*, quoad partem positivam idest quoad perfectionem adhaesionis, *Nego. Contrad. min.* Sub eo respectu sub quo est indivisibile, *Conc.*, sub aliis respectibus, *Nego.* Ratio indivisibilis ita est negativa, ut fundetur in aliquo positivo, quod potest habere varios gradus perfectionis.

Obiect. 2ª. Omnis certitudo est metaphysica. Nam: Certitudo tunc solum habetur, cum rei necessitas apparet sive absoluta sive hypothetica. Atqui tunc obtinet certitudo metaphysica. Ergo vel certitudo metaphysica habetur, vel nulla.

Resp. *Nego assertum.* Ad prob. *Conc. mai., Nego min.* Nam non quaecumque necessitas connexionis praedicati cum subiecto constituit necessitatem obiectivam metaphysicam (quae est ipsa *obiectiva certitudo metaphysica);* sed necessitas *prorsus absoluta,* quae habetur quum praedicatum est de essentia rei, ita ut haec neque esse neque concipi possit absque eo; cuiusmodi est ex. gr. animal rationale relate ad hominem. Talis necessitas vocatur metaphysica, quia haec scientia abstrahit ab esse et a principiis individualibus rerum considerando tantum earum essentias, quae in suis rationibus in mente Divina existentibus sunt immutabiles, necessariae et aeternae, ut suo loco demonstrabimus. Caetera praedicata ita obiective connectuntur rebus, ut successivae mutationi sint obnoxia; quapropter impossibile est ut habeant eamdem obiectivam necessitatem. (Confer quae diximus sub n. 227. *Quaeres* 3. « Utrum veritas sit immutabilis) ».

Obiect. 3ª. Certitudo physica et moralis non sunt verae certitudines. Nam ibi certitudo non est vera, ubi non excluditur formido oppositi.

---

(1) Cfr. S. Th. 2. 2. q. 4. a. 8. c. et ad 2. et 3.

Atqui in casibus particularibus oriri potest formido de suspensione legis physicae, aut de violatione legis moralis. Ergo.

Resp. *Nego assertum.* Ad prob. *Dist. mai.* Ubi non excluditur formido *prudens, Conc., imprudens, Nego. Contrad. min.* Formido imprudens, *Conc. prudens, Nego.* Nam in casu particulari potest evidenter constare, quod nulla sit ratio suspensionis aut violationis legum universalium. Formidinem vero imprudentem non auferre ab animo certitudinem patet ex eo quod huiusmodi formido est ea, quae cognoscitur ab ipso formidante tamquam imprudens, nempe tamquam inepta ad destruendam firmitatem assensus intellectualis, quum unice procedat ex falsa imaginatione, quam quilibet homo ratione utens ceu ridiculam contemnit.

THESIS XXI.

Exponuntur et refutantur varia scepticorum systemata.

PARS I.

PRAECIPUAE SCEPTICORUM CLASSES.

252. Sceptici vocati sunt, qui autumabant humanum intellectum numquam posse veritatem assequi, etsi semper inquirat. Vetustissimi omnium fuerunt qui (Seculo V, ante Christum) Eraclitum et Protagoram sequuti, negaverunt posse nostrum intellectum quidquam de rebus materialibus cognoscere, quum hae iugibus mutationibus obnoxiae sint.

Paulo aliter sophistarum schola sensit, quae docuit quamlibet opinionem, licet oppositam, aptis posse verbis suaderi, eo quod nihil certum sit, omnisque disciplina insolubilibus laboret difficultatibus. Contra hos et praecedentes feliciter pugnaverunt Socrates, Plato atque Aristoteles.

Ast paullatim scepticismi febris philosophicas academias iterum pervasit, docente Arcesilao (Seculo IV. ante Christum) incertas et vanas esse omnes philosophorum doctrinas. Eodem seculo Pyrrho dubium universale docuit. Similiter Carneades (ann. 215-130) ante Christum) eamdem propugnavit sententiam.

Tertio post Christum seculo Sextus Empiricus scepticorum, qui eum praecesserunt, argutias collegit, ita ut dubium universale omnes ethnicorum academias agitaret. Contra hanc pestem Patres Ecclesiae pro viribus pugnaverunt, quos inter eminuit S. Augustinus, qui tres libros *contra academicos* pereleganter conscripsit.

Horum ope et christianae fidei propagatione perniciosus scepticismi

error, pessimorum parens errorum, a christianae reipublicae finibus expulsus fuit. Ast Seculo XVI, post pseudoreformationem iterum apparuit, utpote liberi examinis, quod protestanticae haereseos fundamentum est, genuina progenies.

Itaque Michael de Montaigne Pyrrhonis sophismata, ab inferis excitata, eleganti quadam dicendi veste exornavit. Is, ut suaderet nos neque sensibus neque rationi fidere posse, ita pessime argumentatus est (Essais, lib. II. c. 12.): « Ad iudicandum de his, quae apparent, opus est nobis aliquo criterio. Ad verificandum hoc criterium requiritur argumentum. Ad argumentum hoc demonstrandum requiritur aliud criterium; et sic in infinitum. Etenim sensus ex se non sufficiunt ad certitudinem gignendam absque argumento, quod iterum aliud argumentum supponit ».

Ast hic Michael falso supponebat sensus et intellectum falli circa propria obiecta. Falso etiam supponebat non dari quaedam prima principia nostro intellectui per se immediate nota et indemonstrabilia, utpote nullius demonstrationis indiga et omnis demonstrationis fundamenta.

Ad scepticismum accedunt, vel logice ad eum ducunt, qui omnem certitudinem, quae a sensibus nobis provenit, de medio tollentes, omnem viam sibi praecludunt, quae ad rerum quae sunt extra nos cognitionem certam adsequendam haberi potest. Dubitando itaque vel prorsus negando sensationibus nostris obiecta realia respondere, per varios gradus Cartesiami, Hegeliani, Kantiani caeterique eiusdem rationis doctores ad subiectivismi deliramenta devenerunt. Cartesius enim aestimando corporum existentiam non posse per sensus certo cognosci, recursum habuit ad divinam veracitatem, quam dedecet permittere nos perpetuo illudi iudicando esse corpora, quae talia non sunt. Berckeley ad suam spiritualismi doctrinam defendendam statuit tamquam primum systematis sui principium *universum orbem corporeum esse somnium.* David Hume omnia illusiones appellavit, et praeprimis principium causalitatis: existit connexio inter id quod videtur esse causa et id quod videtur esse effectus.

Emmanuel Kant dum scepticismo occurrere voluit, in ipsum incidit, eo quod subiectivismi circulo eius doctrina laboret. Formae enim, quas ipse docuit concipi a nobis, duae sensibiles *spatium* et *tempus,* duodecim intellectuales, quae vi *synthesis a priori* applicatae materiae quam experientia praebet, duodecim categorias gignunt (quas superius nn. 206, 207 exposuimus et refutavimus): educuntur omnes ab ipso spiritu humano, tamquam ab unico subiecto. Experientia enim in eius sententia non percipit nisi phaenomena quaedam, de quorum obiectiva realitate nobis non licet quidquam affirmare. Quapropter *iudicia syn-*

thetica a priori ad invicem comparata *vi rationis purae* ad tres supremos terminos intellectuales efformandos diriguntur, nempe ad ideam psychologicam τοῦ *ego*, ad ideam cosmologicam *mundi*, ad ideam theologicam Dei, quin tamen *ratio pura* affirmare valeat hisce ideis respondere aliquid a parte rei. Dubium vel ignorantiam huiusmodi dispellit *ratio practica* per *imperativum categoricum*, quae imperat nobis ut operemur ad normam legis cuiusdam universalis, ac per hoc certiores nos facit de existentia Dei, de animae nostrae immortalitate, deque humana libertate.

At quisque videt haec omnia a Kantio, sublato fundamento de obiectiva realitate rerum certo cognita, gratis omnino adseri; nec ab eo afferri ullam rationem sufficientem, propter quam *practice* habeamus ut certum id, de quo *theoretice* dubitamus. Si enim in Kantii sententia *intellectus* et *ratio pura* nequeunt certitudinem de realitate obiectiva entium consequi, quo iure *ratio practica* imperante id poterit?

Kantianae doctrinae falsitas ulterius apparebit ex his quae in Quaestione X (nn. 273, 274) de eius principiis syntheticis a priori et a posteriori dicemus.

PARS II.

SCEPTICISMI REFUTATIO.

253. *Errant et sibimetipsis contradicunt sceptici*, qui de omnibus nos dubitare debere asserunt.

Nam 1° quam plurima ita evidentia sunt, ut ne ipsi sceptici de his dubitent. Sic, nisi prorsus desipuerint, non dubitant de propria existentia, vita, locutione, iuribus, necessitate comedendi, dormiendi et similibus.

2° Eorum assertio ipsis contradicit: nam si verum est de omnibus esse dubitandum, saltem de hac veritate dubitare non licebit, nempe de omnibus esse dubitandum.

3° Insuper rectae rationi contradicunt, quae naturaliter nos ducit ad hanc sententiam firmam ratamque habendam nempe: *quemadmodum principia naturalia essendi stabilia sunt, sic etiam principia cognoscendi stabilia sint, necesse est* (1).

Caeterum sententiam scepticorum non modo falsissimam esse atque naturae repugnantem, sed omnis scientiae atque virtutis fundamenta evertere, nemo est qui non videat. Id ulterius patebit ex solutionibus obiectionum, quas afferemus sub n. 252.

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Verit. q. 16. a. 2.

Varias classes scepticorum suae aetatis Aristoteles exagitat et refutat in Lib. IV. Metaphysicorum, cuius argumenta praeclare evolvit S. Thomas a Lectione VII. ad XVII. Praecipuae horum sectae fuerunt *a) Pyrrhonici,* qui duce Pyrrhone asserebant rerum tantum apparentiam esse admittendam ut certam, non vero realitatem, quamvis non negaverint inquiri posse veritatem de huiusmodi realitate, ac propterea *sceptici* seu *quaesitores* appellati sunt: *b) Academici*, qui ducibus Archesila et Carneade, omnia prorsus incerta esse affirmabant. Utriusque sectae historiam narravit et errores suscepit Sextus Empiricus.

Nostra autem aetate, post exortam haeresim protestanticam, Scepticismum absurdiorem Pyrrhonico et Academico ab inferis excitarunt permulti haeretici atque apostatae, ac praesertim Baylius, Hunius et *transcendentales* omnes, qui Kantium sequuti, dubitant de propria existentia eamque inter phaenomena amandant. Sed de his iam locuti sumus et iterum loquemur, quum de origine humanae cognitionis agemus.

Animadversiones ad solvendas difficultates.

254. I. *Distingue infallibilitatem per essentiam et absolutam, ab infallibilitate per participationem et relativam.* Solus Divinus Intellectus est infallibilis per essentiam et absolute, idest quoad omnes veritates. Intellectus autem creatus est infallibilis per participationem luminis increati, et solum relate ad prima principia et ad ea quae in prima principia potuit resolvere. De hoc lumine intellectuali ait S. Thomas (1): « Huiusmodi autem rationis lumen, quo principia huiusmodi sunt nobis « nota, est nobis a Deo inditum, quasi quaedam similitudo increatae « veritatis in nobis resultantis ».

II. *Distingue fallibilitatem per se a fallibilitate per accidens.* Intellectus noster non est fallibilis *per se,* sed tantum *per accidens*, videlicet, nisi recte utatur lumine et discursu rationis aut non fulciatur testimonio infallibili, poterit falli circa ea, quorum evidentiam non habet.

III. *Praecipuae errandi causae sunt praeiudicia, pravus affectus, negligentia, defectus Logicae, et pravitas magistrorum.* Attamen humanus intellectus, quum sit natura sua ordinatus ad veritatem, et non necessitetur ad assensum nisi ab evidentia; poterit, absolute loquendo, errorem quemlibet devitare, non praebendo firmum assensum, donec assecutus fuerit certitudinem fundatam aut in intrinseca evidentia veritatis, aut in extrinseca auctoritate testimonii infallibilis.

---

(1) QQ. dd. de Verit. q. 11. a. 1.

IV. *Distingue varias acceptiones vocis* **fides**. Nam *a)* aliquando *fides* sumitur pro causa assensus fidei, nempe pro veracitate hominis « in quantum est causa quod credat quis etiam de his quae non « videt et sic dicit Tullius (lib. 1. Offic. c. 8.) quod fides est funda- « mentum iustitiae, fidem pro fidelitate accipiens » (1).

b) Aliquando sumitur pro assensu veritatibus, quae non sunt immediate evidentes, etiamsi per demonstrationen evadant evidentes: « adhuc magis extenso nomine omnis certitudo quae fit per rationem « humanam, etiamsi per visionem inducat, dicitur *fides*, secundum quod « *argumentum* dicitur ratio rei dubiae faciens fidem » (2).

c) Aliquando sumitur pro omni assensu intellectuali imperato a voluntate propter extrinsecam auctoritatem, quamvis non sit certus sed tantum probabilis.

d) Tandem sumitur pro assensu certo in unam partem contradictoriae, imperato a voluntate et ab intellectu elicito in obsequium testificantis. Haec quae stricto sensu est fides, potissime locum habet in fide supernaturali, qua credimus veritates a Deo revelatas unice in obsequium Dei revelantis.

OBIECTIONES.

255. **Obiect. 1ª**. Ad hoc ut evidentia causaret certitudinem, intellectus humanus deberet esse infallibilis. Atqui intellectus humanus non est infallibilis. Ergo etc.

Resp. *Dist. mai.* deberet esse infallibilis quoad proprium obiectum directe apprehensum et prima principia, *Conc.*, quoad alia, *Subdist.:* quatenus resoluta in prima principia, *Conc.*, non resoluta in prima principia, *Nego Contrad. min. Nego cons.* (cfr. n. 250. I. II.).

Obiect. 2ª. Nos habemus evidentiam non solum de proprio obiecto intellectus, sed de multis complexis. Ergo saltem quoad haec evidentia nequit esse causa certitudinis.

Resp. *Dist. antec.* Per resolutionem in prima principia, *Conc.*, immediate, *Nego. Nego conseq.* Quomodo autem evidentia primorum principiorum non exigat aliam infallibilitatem, quam eam, quae est de obiecto proprio intellectus, dicemus agentes *de Primis Principiis* (3).

Obiect. 3ª. Nos asserimus intellectum non falli circa obiectum proprium, et consequenter circa prima principia, quia potentia immaterialis nequit falli circa suum obiectum neque per se neque per ac-

(1) S. Th. in 3. Sent. Dist. 23. q. 3. i fine *Expositio textus*.
(2) Ibid.
(3) Cfr. S. Th. 1. p. q. 17. a. 3. ad 2.

cidens. Atqui hoc ipsum demonstramus virtute primorum principiorum. Ergo committimus fallaciam petitionis principii, quae vocatur *circulus vitiosus*.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Demonstratione proprie dicta, *Nego*, declaratione rei evidentis, ad quam admittendam sufficit cognoscere significationem terminorum, *Conc.* Nam, ut plenius videbimus in 3. parte Logicae, non omnia demonstrari possunt, neque debent, sed ea tantum quae non sunt immediate evidentia.

Obiect. 4ª. Si quaelibet potentia immaterialis infallibiliter proprium obiectum attingeret, voluntas semper bene ageret, quia eius obiectum proprium est bonum. Atqui voluntas saepe male agit, ex. gr. quum peccat. Ergo falsum est potentiam immaterialem infallibiliter attingere proprium obiectum.

Resp. *Dist. mai.* Voluntas semper bene ageret, hoc sensu quod semper appeteret aliquid sub ratione boni, *Conc.*, hoc sensu, quod semper appeteret bonum recte ordinatum ad ultimum finem, *Nego. Contrad. min.* Quatenus appetit malum, *Nego,* quatenus appetit bonum aliquod particulare absque debito ordine ad finem ultimum, *Conc.* Voluntas nequit moveri nisi a bono, et ideo etiam quando homo vult sibi inferre aliquod malum, puta mortem, id vult sub ratione boni, quia appetit in morte cessationem aerumnarum et similia (1).

Obiect. 5ª. Si intellectus noster esset infallibilis circa evidentia, nullus erravisset circa veritates immediate evidentes. Atqui multi erraverunt circa prima principia, quia negaverunt ea esse vera. Ergo.

Resp. *Conc. mai. Nego min. Dist. rat. additam :* negaverunt ore, *Conc.*, intellectu, *Nego.* Impossibile enim est hominem ratione utentem serio haec principia negare, si intelligat verba quae profert. De talibus ait S. Thomas (2): « Nihil est adeo verum, quin voce negari possit. « Nam et hoc principium notissimum, quod non contingit idem esse « et non esse, quidam ore negaverunt. Quaedam autem adeo vera sunt, « quod eorum opposita intellectu capi non possunt: ed ideo in interiori « ratione eis obviari non potest, sed solum in exteriori, quae est per « vocem ».

Obiect. 6ª. Si ratiocinium, quo fit resolutio in prima principia, causaret infallibiliter veritatem, nullus error daretur in scientiis. Atqui multi errores dantur in scientiis, ut apparet ex discordia philosophorum. Ergo saltem evidentia mediata non causat infallibiliter veritatem.

Resp. *Dist. mai.* Nullus error daretur in perfectis scientiis, in quibus

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 19. a. 9; q. 82. a. 2. ad 1; 1. 2. q. 8. a. 1. etc.
(2) In I. Poster. lect. 19.

revera fit resolutio in prima principia, *Conc.*, in scientiis imperfectis, in quibus haec resolutio non semper fieri potest, *Nego. Contrad. min.* et *nego conseq.* Discordia eorum, qui philosophorum nomine digni sunt, quique minime obstinantur in praeiudiciis educationis vel sectae, non est circa evidentia, sed circa opinabilia tantum.

Obiect. 7[a]. In ratiocinando memoria utimur. Sed memoria est fallax. Ergo impossibile est ut per demonstrationem assequamur infallibiliter veritatem.

Resp. *Dist. mai.* Semper utimur memoria, *Nego,* aliquando, *Subdist.* Ita ut per intellectus reflexionem examinare valeamus ea, quae memoria refert, *Conc.,* ita ut destituamur hac potestate, *Nego. Dist. min.* Memoria est fallax, quatenus non semper neque facile reminiscitur eorum, quae alias arripuit, *Conc.,* quatenus, sufficienti reflexione adhibita, posset referre falsum, *Nego* et *nego cons.*

Obiect. 8[a]. Intellectus moveri potest non solum indirecte, sed etiam *directe* a voluntate. Sed voluntas est libera. Ergo voluntas etiam in rebus evidentibus potest efficere ut intellectus non determinetur ad assensum.

Resp. *Dist. mai.* Quoad enuntiationes inevidentes, *Conc.*, quoad evidentes, *Nego. Conc. min.* et *nego conseq.*

Obiect. 9[a]. Ut conclusio inferatur a principiis, debet eius notitia praecontineri in principiis. Atqui ad id requiritur, ut conclusio iam cognoscatur ab eo, qui cognòscit principia. Ergo omnis evidentia est immediata.

Resp. *Dist. mai.* Debet praecontineri *virtute, Conc.*, *actu*, *Nego. Contradist. min.* et *nego cons.* (1).

Obiect. 10[a]. Cognitio intellectus nostri praesupponit cognitionem sensuum. Sed sensus falli possunt. Ergo et intellectus.

Resp. *Dist. mai.* Tamquam praebentem materiam obiecti, *Conc.*, tamquam causam principalem, *Nego. Dist. min.* Sensus falli possunt si non sint rite dispositi, *Conc.* Si sint rite dispositi, *Subd.* Circa proprium sensibile, *Nego,* circa sensibilia communia, *Subd.* Sunt fallibiles per accidens, et ita ut error unius sensus corrigi possit per applicationem alterius sensus, *Conc.*, sunt fallibiles per se, *Nego* (cfr. nn. 234. ad 237.).

Obiect. 11[a]. Cognitio est aliquid subiectivum, quum sit operatio immanens. Sed id, quod est subiectivum, est distinctum a rebus exterioribus. Ergo non potest nos ducere ad certam cognitionem de rebus.

Resp. *Dist. mai.* Est aliquid subiectivum independens a reali influxu

(1) Cfr. S. Th. Poster. Analyt. lib. 1. lect. 3.

rerum exteriorum, *Nego, dependens* ab earum reali influxu, *Conc. Contr. min.* Quod est subiectivum est distinctum a rebus exterioribus ita ut, si eas cognoscat, connectatur cum illis ut effectus cum causa et determinatum cum determinante, *Conc.,* ut nullo modo connectatur cum illis, *Nego. Nego conseq.* Haec plene intelligentur ex dicendis in Psychologia de origine humanae cognitionis, deque habitudine inter sensibile in actu et sensum in actu.

OBIECTIONES SCEPTICORUM.

256. **Obiect. 1**[a]. Prudens est cohibere assensum ad cavendum errorem. Ergo scepticismus est approbandus.

Resp. *Dist. antec.* In rebus dubiis, *Conc.*, in rebus evidentibus, vel ab infallibili auctoritate propositis, *Nego.*

Obiect. 2[a]. Qui de omnibus dubitat, ab omni errandi periculo est securus. Ergo scepticismus est amplectendus.

Resp. *Nego antecedens.* Nam ipsum universale dubium est pessimus error, atque repugnat ipsi naturae intellectivae, quae est ad veritatem assequendam ordinata.

Obiect. 3[a]. Philosophus nihil debet admittere absque demonstratione. Sed in qualibet demonstratione aliqua supponuntur indemonstrata, Ergo Philosophus de omnibus dubitare debet.

Resp. *Nego maiorem. Conc. min.* et *nego cons.* Demonstratio absque principiis non egentibus demonstratione est impossibilis, quum careret proprio fundamento, atque esset simul demonstratio et non esset.

Obiect. 4[a]. Scepticus refutari non potest absque petitione principii. Ergo eius positio manet immobilis.

Resp. 1. Neque fatui refutari possunt, quia amiserunt usum rationis; neque bruta, neque arbores, neque lapides, quia ratione carent. Si ergo sceptici rationis lumine sponte orbantur, concedimus eos esse irrefutabiles, ut caetera ratione carentia.

Resp. 2. Scepticus nequit refutari directe, *Conc.*, indirecte et argumentis ad hominem, *Nego.* Cfr. S. Thomam in XI. Metaph. lect. 6. post medium: « Ostendit a quibus praedicta opinio removetur etc. ».

THESIS XXII.

Testimonium historicum iis adiunctis communiri potest ut causet certitudinem de rei testificatae existentia.

PRAENOTIONES.

257. I. *Testes* vocantur qui alicuius facti notitiam alteri communicant. Dicuntur testes *immediati* sive *oculati*, si propiis sensibus factum perceperint; *mediati* sive *auriti*, si ex aliorum testimonio; hi autem vocantur coaevi, si eo tempore vixerint, quo factum accidit; *suppares*, si proximo; *remoti*, si tardiori. Relatio eventus facta verbis testis immediati vocatur *narratio*. Notitia autem alicuius eventus vulgata tantum per plures testes mediatos, vocatur *fama* vel *rumor*.

II. Ad posteros tum narratio tum fama alicuius eventus transmitti potest vel *orali traditione*, quae fit per testium mediatorum continuatam seriem; vel *documentis*, quae fit consignando scriptis memoriam facti; vel *monumentis*, quae fit eam consignando alicui artis operi ex materia longius duratura, puta ex aere vel marmore.

PROBATUR THESIS.

258. Quum homo ex ipsa natura ducatur ad veritatis inquisitionem, atque ad mendacii fugam, ita ut nunquam inducatur ad mentiendum nisi vel timore alicuius mali vel cupiditate alicuius boni; possumus in aliquibus adiunctis, etiam unici testis veracitati ita fidere, ut omnis prudens formido deceptionis cesset. Attamen, quum agitur de multis testibus, aetate, natione, ingenio, moribus diversis, qui in variis omnino adiunctis affirmant existentiam alicuius rei perspicuae et illustris; impossibile est dubium de rei testificatae veritate. Etenim impossibile est ut id, quod fundatur in ipsa natura, *per se* seu *in pluribus* deficiat; sed potest deficere tantum *per accidens*, seu in aliquo individuo et posita proportionata causa. Iamvero, si plures testes, qui in adiunctis omnino diversis de eadem re perspicua et illustri testanda conveniunt, nos decipere possent; lex universalis, *proxime* fundata in ipsa natura, *remote* vero in ipso Deo Creatore et Provisore Naturae, non solum deficeret *per se*, sed etiam absque ea proportionata causa, sine qua ne quidem *per accidens* deficere posset. Est enim natura humana essentialiter ordinata ad bonum. Haec est ratio, cur certi sumus de existentia urbium, quas numquam vidimus, puta Pekini vel Ierusalem, quasi eas oculis nostris intuiti fuerimus. Similiter nullus, nisi insanus, dubitare

potest, an Iulius Caesar, M. T. Cicero at alii innumeri de quibus historiae loquuntur, reapse extiterint.

Dices. Unusquisque testis mentiri potest, quum fruatur libero arbitrio. Ergo omnes simul possunt mentiri. *Resp. Dist. antec.* Posita proportionata causa, et agendo contra conscientiam et naturalem tendentiam ad verum, *Conc.* Secus, *Nego. Nego cons.* propter rationes in Thesi allatas.

THESIS XXIII.

Sententiae humano generi communes, quae ad sensum naturae communem pertinere dicuntur, sunt infallibiles; eaeque minime procedunt a caeco instinctu, sed a recto usu rationis humanae.

PRAENOTIONES.

259. Conditiones requisitae ad hoc ut aliqua sententia dici possit pertinere ad sensum communem (vel melius *ad consensum communem*) sunt sequentes: 1. universalitas loci et temporis, ita ut apud omnes gentes, sive cultas sive barbaras, et in omni aetate viguerint, atque, crescente cultura et tempore, semper firmiores evaserint. 2. Ut quo magis ad rationis examen revocentur, eo magis eorum veritas elucescat. 3. Ut nulla assignari possit erroris occasio, ex qua ortum habuerint, puta illusio vel illecebrae sensuum, ignorantia et similia.

PROBATUR THESIS.

260. Quum natura humana sit per se ordinata ad veritatem, necesse est, ut cum facilitate assequi possit eas veritates, quae proxime derivantur ex naturalibus principiis et necessariae sunt ad vitam intellectualem, moralem aut socialem instituendam, cuiusmodi sunt ea iudicia, quae sententias sensus communis vocamus. Iamvero si communitas humani generis decipi posset quoad huiusmodi iudicia; dicendum foret naturam humanam per se ordinari ad falsitatem, seu humanum intellectum esse fallibilem per se; quia in pluralitate hominum et quoad faciliora ratio humana non posset recte solvere conclusiones in prima principia. Ergo 1° iudicia sensus (seu *consensus*) communis sunt infallibilia; 2° unice procedunt a recto usu rationis, quum ad ea requiratur et sufficiat recta operatio rationis humanae per se ordinatae ad veritatis assequutionem.

Nota. Reidius male confudit sensum naturae communem cum caeca quadam vi ab intellectu et ratione distincta, qua impelleremur ad supradicta iudicia efformanda. Nam praeterquamquod ad haec iudicia

sufficit ratio humana per se ordinata ad veritatem; absurdum est novam obtrudere facultatem, ubi non adsunt nova obiecta formalia attingenda, ex quorum varietate iure inferimus varias facultates, quum hae distinguantur ab invicem ratione diversi obiecti formalis.


THESIS XXIV.

Traditionalismi puri expositio et refutatio.

261. *Expositio.* Traditionalismus purus in eo est, ut adserat humanam mentem non posse certitudinem assequi, nisi mediante auctoritate extrinseca alicuius testificantis, cui praestetur fides. Hic autem testificans, si homo sit, puta Adam humanae familiae protoparens, harum veritatum revelationem habere debuit a Deo. Hoc expresse docuit Huetius, asserendo nos nihil posse habere ut certum, nisi per divinam revelationem.

Refutatio. Assensus qui nequit praestari ab intellectu, neque imperari a voluntate, nisi praesupponantur iam certo cognitae quaedam aliae veritates, nequit esse primus vel solus assensus certus nostrae mentis. Atqui talis est assensus traditionalistarum, qui (ut supra diximus de assensu fidei Thesi XVI. n. 243.) praestatur ab intellectu, et imperatur a voluntate propter auctoritatem extrinsecam alicuius testificantis. Etenim, sive hic assensus sit fidei humanae, sive sit fidei divinae, nequit prudenter imperari a voluntate, ut cum firmitate propria certitudinis eliciatur ab intellectu, nisi praevio iudicio certo credibilitatis (l. c. n. 244.), quo certo iudicamus testificantem esse dignum, cui absque formidine prudenti de oppositi veritate credamus. Atqui ad hoc iudicium efformandum plura praerequiruntur habita tanquam certa a nostro intellectu. Nam non solum praesupponi debet certitudo circa nostras intellectiones, volitiones, sensationes, et existentiam ipsam cogitantis; sed etiam impossibile esset nobis fidem aliis adhibere absque certitudine de veritate primorum principiorum, deque testificantis credibilitate. Ergo traditionalismus purus, asserens humanam mentem non posse certitudinem adsequi, nisi mediante auctoritate extrinseca alicuius testificantis, omnino repugnat.

Obiicientibus mentem creatam, utpote fallibilem, non posse iudicare de veritate; **respondebis:** nequit iudicare de omni veritate, *Conc.*, de veritatibus eius captui accomodatis, *Subd.:* infallibilitate *imparticipata. Conc.*, infallibilitate *participata. Nego.*



LOGICA MAIOR

PARS TERTIA.

INTRODUCTIO

262. Intentiones, quae tertiam mentis operationem dirigunt, pertractandae sunt in tertia Logicae parte. Nobis, qui de syllogismo aliisque argumentationis speciebus egimus in Logica Minori; tantum superest tractatio de *Demonstratione,* de *Principiis* in quibus fundatur, ac de eius effectu, qui est *Scientia.* De his itaque maiori, qua poterimus, brevitate et perspicuitate agemus.

QUAESTIO IX.

DE DEMONSTRATIONE.

CAPUT I.

DEFINITIO ET DIVISIO DEMONSTRATIONIS.

263. *a) Demonstratio definitur* « syllogismus constans ex propositionibus necessariis, certis et evidentibus ». *Describitur* etiam « syllogismus faciens scire »; quia eius proprius effectus est scientia.

b) Dividitur in demonstrationem a priori et demonstrationem a posteriori.

Prima est ea, *quae probat effectum per suas causas;* videlicet est ea in qua veritas materialis affirmata per conclusionem pendet in suo esse reali a veritate materiali affirmata per praemissas. Quum autem detur quadruplex ratio causae, nempe *finalis, efficiens, formalis* et *materialis* (quas in Ontologia explicabimus); per qualemcumque ex eis demonstretur effectus, habebimus demonstrationem a priori. Ex. gr. *per causam finalem* demonstrationem ago, si infero hominem esse rationalem ex eo quod ordinatur ad beatitudinem: *per causam efficientem,* si infero hominem esse rationalem, ex eo quod eius anima potest unice per creationem produci; *per causam formalem,* si infero hominem esse rationalem, eo quod habet animam intellectivam; *per causam materialem,*

si infero hominem esse rationalem, eo quod est ens intelligens corporeum, cuius proinde intellectus est necessario discursivus (1).

Secunda, seu *a posteriori* est ea, *quae probat causam per effectum;* videlicet est ea, in qua veritas materialis affirmata per praemissam pendet in suo esse reali a veritate materiali affirmata per conclusionem; ex. gr. quum demonstro existentiam entis necessarii ex eo quod exsistunt entia contingentia; aut rationalitatem hominis ex eius risibilitate.

c) Demonstratio *circularis* seu *regressiva* habetur quando ex confusa cognitione alicuius effectus ascendimus ad cognoscendam eius causam; qua cognita et per discursum rationis intimius perspecta, regredimur ad penitiorem cognitionem effectus. Quum enim causa contineat aut formaliter aut eminenter perfectiones sui effectus, necesse est, ut, quo plenius cognoscitur causa, eo melius cognosci possint perfectiones effectuum. Quae demonstratio longe abest a fallacia circuli vitiosi, quia sub una ratione ascendimus ab effectibus ad causam; sub alia vero ratione regredimur a causa ad effectus. Quin imo hoc genere demonstrationis scentiae humanae perficiuntur. Sic a Deo, cognito per creaturas, descendimus ad penitiorem cognitionem totius ordinis universi.

d) Dividitur etiam demonstratio in demonstrationem *propter quid* et *quia.* Quae divisio non valde differt a prima divisione, quamvis non sit omnino eadem. Nam *demonstratio propter quid* est ea, quae probat effectum pur causam propriam et immediatam, videlicet per principia essentialia rei. Unde haec demonstratio dicitur potissima, atque in ea *medius terminus* est rei definitio. Quapropter in hac demonstratione non quodcumque praedicatum de subiecto conclusionis demonstrari potest, sed quod ei inest *per se primo* seu convertibiliter (cf. n. 95). Sic ex eo quod homo sit animal rationale demonstro eius compositionem ex corpore et anima intellectiva, eius risibilitatem etc. Hoc genere demonstrationis nequeunt de aliquo subiecto demonstrari accidentia contingentia seu communia, sed tantum propria, ea nempe, quae necessario et *per se* ei insunt, quaeque vocantur *propriae passiones subiecti.* Quae quum ei insint ordine quodam, ita procedendum est ut, demonstrata per definitionem subiecti prima eius passione, demonstretur secunda passio per primam passionem tamquam per medium terminum; per secundam tertia, et ita usque ad ultimam. Sic ex. gr. ex spiritualitate angelorum demonstrare possumus eorum intellectivitatem, ex intellectivitate eorum voluntatem etc. (2).

---

(1) Cfr. S. Th. Log. sum. Tract. 9. c. 8.
(2) Cfr. S. Th. in 1. Poster. lect. 35.

Demonstratio quia est ea, quae aut probat effectum per causam remotam, ut quum demonstramus floritionem plantae per virtutem Solis; aut probat causam per effectum, ut quum demonstramus existentiam entis necessarii ex existentia entis contingentis (haec est demonstratio *a posteriori*).

Ex dictis patet 1° omnem demonstrationem *propter quid* esse demonstrationem *a priori;* non autem omnem demonstrationem *a priori* esse *propter quid;* 2° omnem demonstrationem sive *a priori* sive *a posteriori* procedere ex iis, quae sunt *priora* ac *notiora quoad nos* idest in nostra cognitione; attamen solam demonstrationem *a priori* procedere ex iis, quae sunt *priora ac notiora simpliciter,* videlicet quae sunt priora a parte rei.

CAPUT II.

DE PRAECOGNOSCENDIS IN DEMONSTRATIONE.

264. Quum cognitio discursiva fiat ex praeexistenti cognitione, eo quod discursus rationis a notis ad ignota procedat; tria necessario praecognosci debent ab eo, qui aliquam conclusionem inferre intendit demonstratione causante scientiam, seu necessitante intellectum ad assensum ex intrinseca evidentia connexionis praedicati cum subiecto conclusionis; videlicet *praemissae*, *subiectum* et *praedicatum* conclusionis (quod Aristoteles vocat *passionem* subiecti, quia in demonstratione *propter quid* ostenditur aliqua proprietas convenire subiecto conclusionis).

I. Et quidem in demonstratione *propter quid* praescire debemus *a)* de subiecto, *quid sit* et *an sit* (seu, ut veteres loquebantur, *quid est* et *quia est*). Debemus praescire *quid sit*, quia subiecti definitio assumitur ut medius terminus demonstrationis. Debemus etiam praescire *an sit*, quia nullum praedicatum competere potest ei, quod nullo modo est, videlicet neque *in se* neque *in virtute suae causae*, et ideo S. Thomas demonstrat (1) omne obiectum scientiae Dei necessario habere *aliquod esse*, quia vel est in actu, vel in potentia ipsius Dei tantum vel etiam creaturae: licet nec sit, nec fuerit, nec futurum sit. *b) De praedicato* conclusionis debemus praescire tantum *quid sit* (saltem quoad nominis significationem, quodque vocari solet *quid nominis*), quia impossibile esset nobis devenire in cognitionem, utrum alicui subiecto conveniat aliquod praedicatum, cuius ipsam nominis significationem ignoramus.

---

(1) 1. p. q. 14. a. 9.

II. In ea demonstratione *quia,* qua causa demonstratur per effectum (seu *a posteriori*), *a) de subiecto* conclusionis (quod est ipsa causa) praescire non debemus *an sit*, quia hoc plerumque quaeritur; sed *quid sit*, non *quid rei* sed *quid nominis,* vel *significatione propria* si agatur de causa univoca, vel *significatione analogica* si agatur de causa aequivoca, quae videlicet excedit perfectionem suorum effectuum, ut quum demonstratur existentia Dei (1). *b) De praedicato* conclusionis similiter praescire tantum debemus *quid nominis* vel *propria* vel *analogica* significatione. *c)* Quum in hoc demonstrationis genere assumatur *effectus* tamquam *medius terminus*, de eo praescire debemus *quid sit* et *an sit.*

III. In omni demonstratione sive *propter quid* sive *quia* debemus de *praemissis* seu de *principiis* praescire ea esse vera, quia a veritate praemissarum pendet veritas conclusionis, tamquam proprius effectus a propria causa. Insuper esse debent notiores conclusione. Quomodo autem veritas praemissarum nobis innotescere possit dicemus in sequentibus. Quae modo diximus, a S. Thoma praeclare exposita legant et addiscant (ex 1. Poster. Lect. 2). « Sciendum est, quod id cuius « scientia per demonstrationem quaeritur, est conclusio etc. »

CAPUT III.

DEFINITIO ARISTOTELICA DEMONSTRATIONIS « PROPTER QUID » PROPONITUR ET DECLARATUR.

265. « Demonstratio propter quid est syllogismus procedens ex (praemissis) veris, necessariis, per se primis, propriis, immediatis et causis conclusionis » (2).

Declaratur. a) Est syllogismus procedens *ex veris* praemissis, quia conclusio qua talis est proprius effectus praemissarum, in quibus virtualiter continetur.

b) necessariis, quia certitudo, quae est proprius effectus scientiae non potest causari a praemissis, quarum obiectiva veritas non habeat connexionem necessariam cum obiectiva veritate conclusionis.

c) per se primis, quia impossibile est ut syllogismus, qui procedit *ex necessariis*, habeat praemissas in quibus praedicatum dicatur de subiecto tantum *per accidens;* sed omnino requiritur ut in praemissis praedicatum conveniat subiecto *per se primo* seu convertibiliter (n. 95) atque dicatur de subiecto aliquo ex modis *dicendi per se* (n. 93.).

---

(1) Cfr. 1. p. q. 2. a. 2.
(2) Cfr. S. Th. Log. Sum. Tract. IX. et in 1. Posterior. Lect. 5. et 17.

d) propriis, idest neque *extraneis,* cuiusmodi essent principia propria alterius scientiae; neque *communibus*, cuiusmodi sunt principia communia omnium scientiarum, nempe prima principia seu axiomata. Haec enim tantum *virtute* seu *implicite* debent contineri in principiis propriis uniuscuiusque scientificae demonstrationis. Debent quidem contineri *virtute* seu *implicite*, quia ex primis principiis omnis virtus demonstrativa procedit in principia propria uniuscuiusque scientiae, et ideo dicuntur semina omnium scientiarum. Non autem *actualiter* seu *explicite*, quia sine principiis propriis uniuscuiusque scientiae impossibile esset devenire ad conclusiones proprias eiusdem. Sic, ideo certum est angulum esse minorem triangulo, quia certum est principium omni enti corporeo commune: *totum est maius sua parte.* Et ideo certum est Petrum currere dum currit, quia certum est principium omni prorsus enti commune: *idem non potest simul esse et non esse,* quod vocatur principium contradictionis.

Nota. Principia propria uniuscuiusque scientiae vocantur *positiones*, et differunt a primis principiis non solum ob suam limitationem et ob dependentiam a primis principiis quoad certitudinem; sed etiam quia, secus ac prima principia possunt a discente accipi tamquam vera fidendo magistro, quin discens introspiciat nexum praedicati cum subiecto; axiomata vero necessario praesupponuntur naturaliter cognita per visionem nexus inter praedicatum et subiectum ad omnem doctrinam addiscendam.

Positio dividitur in *suppositionem* et *definitionem.* Suppositio est « positio affirmans aut negans praedicatum de subiecto » ex. gr. *omnes anguli recti sunt aequales.* Definitio est « positio non continens affirmationem vel negationem praedicati de subiecto » ex. gr. *unitas, cuius pars nulla est.*

e) per se notis, videlicet praemissae esse debent huiusmodi, ut praedicatum sit de ratione subiecti; ratio autem subiecti, in qua concluditur praedicatum, esse debet nota nobis. « Ad hoc quod aliquid « sit per se notum, nihil aliud requiritur, nisi ut praedicatum sit de « ratione subiecti: tunc enim subiectum cogitari non potest sine hoc, « quod praedicatum ei inesse appareat. Ad hoc autem quod sit per se « notum nobis, oportet quod nobis sit cognita ratio subiecti, in qua « concluditur praedicatum » (1).

Ratio est, quia *in demonstratione potissima* seu *propter quid* debemus per cognitam *quidditatem* subiecti demonstrare praedicatum conclusionis esse propriam passionem subiecti. Iamvero si praemissae non

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Verit. q. 10. a. 12. Cfr. etiam 1. p. q. 2. a. 1.

essent propositiones per se notae *in se,* praedicatum non esset de ratione subiecti: si non essent *per se notae nobis*, quidditas subiecti esset nobis ignota. Ergo necesse est ut in demonstratione potissima praemissae sint per se notae nobis. Ubi animadverte prima principia seu dignitates esse propositiones per se notas omnibus hominibus, principia vero propria uniuscuiusque scientiae esse per se nota tantum aliquibus.

f) immediatis, quia si principia non sunt immediate nota, demonstratione indigent. Ibi igitur demonstratio scientifica proprie inchoatur, ubi habetur principium aliquod indemonstrabile seu immediatum. Quod autem attinet scientias subalternas dicemus suo loco.

g) et causis conclusionis, videlicet in demonstratione potissima praemissae esse debent causae conclusionis non solum *in ordine logico*, quatenus nempe vi illationis ex veris praemissis causetur conclusio vera (id enim commune est omni demonstrationi); sed etiam *in ordine reali* quatenus nempe veritas materialis significata per praemissas sit causa propria et proxima veritatis materialis significatae per conclusionem in uno ex quatuor generibus causarum, de quibus supra egimus (n. 263. *b.*). Etenim in hac demonstratione assumitur ut *medius terminus* definitio subiecti et passionis. Omnis autem bona definitio datur per causam propriam et proximam, sive materialem, sive formalem, sive efficientem, sive finalem.

QUAESTIO X.

DE PRINCIPIIS DEMONSTRATIONIS.

THESIS XXV.

Habitus primorum principiorum sunt in genere habituum naturalium, qui non pendent totaliter a natura, sed partim seu inchoative a natura, partim ab extrinseco (1).

PRAENOTIONES.

266. *a) Habitus* definitur *dispositio stabilis, qua bene vel male disponitur dispositum vel in se, vel ad aliud.* Est videlicet quaedam qualitas subiecti, vi cuius hoc dicitur aliquo modo se habere vel in seipso vel in ordine ad aliud sive bene sive male. Quando bene, dicuntur habitus boni, et, si eorum subiectum sit potentia operativa rationalis, dicuntur virtutes; quando male, dicuntur habitus mali, et si eorum subiectum sit potentia operativa rationalis, dicuntur vitia. Sic sanitas est habitus bonus, licet non sit virtus; prudentia, temperantia, sapientia sunt habitus boni, qui dicuntur virtutes. Aegritudo est habitus malus, sed non est vitium; imprudentia, intemperantia, error habitualis sunt habitus mali, qui dicuntur vitia (2).

b) Aliquid dici potest *naturale* alicui, vel quia competit ei ex parte essentiae, vel quia competit ei ex parte individualium conditionum. Primo modo dicitur aliquid naturale alicui *secundum naturam speciei*, sicut naturale est homini esse animal risibile. Secundo modo dicitur aliquid naturale alicui *secundum naturam individui,* sicut naturale est Titio esse robustum. Non omne id quod dicitur naturale secundum naturam, sive speciei, sive individui, est totaliter a natura; sed quandoque partim a natura partim a principio extrinseco; ut quum homo sanatur ope medicinae.

PROBATUR THESIS.

Illi habitus operativi sunt naturales secundum inchoationem tantum, qui nequeunt disponere potentiam ad operationem absque concursu extrinseco. Atqui sola dispositio naturalis intellectus nostri ad

---

(1) 1. 2. q. 51. a. 1.
(2) Cfr. S. Th. 1. 2. q. 49.

prima principia necessario et infallibiliter cognoscenda non sufficit ad disponendum intellectum ad hanc cognitionem eliciendam, nisi accedant species intelligibiles a phantasmatibus abstractae. Ergo habitus primorum principiorum sunt partim seu inchoative a natura, partim ab extrinseco. *Maior* constat ex notione habitus operativi. *Minor probatur.* Ad hoc ut ego cognoscam ex. gr. totum esse maius sua parte, cognoscere debeo quid est totum et quid est pars. Atqui absque speciebus a phantasmatibus abstractis nequeo id cognoscere, ut ex ipsa experientia manifestum est. Ergo.

Corollarium. Cognitio experimentalis sensitiva requiritur ad perficiendam cognitionem et habitum primorum principiorum in nostro intellectu, non ut causa principalis et adaequata, sed ut *causa instrumentalis* et *inadaequata*, quae praebet intellectui materiam obiecti, ad hoc ut intellectus cognoscere possit terminos principiorum.

THESIS XXVI.

Iudicia quae mens naturaliter profert in affirmatione primorum principiorum *a)* sunt immediata, *b)* sunt infallibilia.

PROBATUR PRIMA PARS.

267. Immediata sunt ea iudicia in quibus praedicatum est de ratione subiecti; ratio autem subiecti, in qua concluditur praedicatum, est nobis immediate cognita. Atqui huiusmodi sunt iudicia, quae mens naturaliter profert in affirmatione primorum principiorum. Ergo haec iudicia sunt immediata.

Prob. mai. Medius terminus tunc requiritur, quum mens nostra ignorando utrum praedicatum conveniat subiecto, comparat ideam praedicati et ideam subiecti cum tertia quadam idea, cum qua si ambo conveniant, necessario convenient etiam inter se sub ea ratione, sub qua conveniunt cum tertia idea. Iamvero quum praedicatum est de ratione subiecti, eo ipso quod cognosco subiectum, cognosco ipsi convenire rationem, quae mihi exhibetur a conceptu praedicati. Unde statim ac mihi innotescunt termini propositionum, in quibus praedicatum est de ratione subiecti, immediate affirmo praedicatum convenire subiecto, negationem praedicati subiecto disconvenire. Hae sunt propositiones, quae vocantur *per se notae quoad nos,* ut (sub n. 263. *e.*) declaravimus.

Prob. min. In iudiciis primorum principiorum, ex. gr. *Idem non potest simul esse et non esse; Non datur effectus sine causa: Omne*

totum est maius sua parte etc., praedicatum est de ratione subiecti. Nam nequeo concipere ens, nisi ipsum concipiam tamquam id quod habet esse; nequeo concipere causam ut causam, nisi concipiam aliquid ab ea produci; nequeo concipere totum ut totum, nisi concipiam illud ut aliquid divisibile in partes. Ergo ad hoc ut affirmem idem non posse simul esse et non esse, non dari effectum sine causa, omne totum esse maius sua parte, duo requiruntur et sufficiunt: 1. ut ego sciam quid veniat nomine *habentis esse;* quid veniat nomine *effectus;* quid veniat nomine *maioris sua parte;* 2. ut rationes *entis*, *causae, totius* etc. possint ab intellectu meo *immediate* apprehendi: quod fieri poterit si sint rationes pertinentes *obiecto proprio et primo* (i. e. obiecto intensive proprio) mei intellectus. Iamvero res ita se habet; nam huiusmodi rationes pertinent ad quidditates materiales, quae sunt obiectum proprium intensivum intellectus humani. Immo ratio entis est *primissima*, quam intellectus humanus in perceptione quidditatis materialis, *de ea apprehendit;* quia « *primum obiectum* intellectus nostri secundum praesentem statum non est quodlibet ens et verum, sed ens *et verum considératum in rebus materialibus* (1) ».

PROBATUR SECUNDA PARS.

268. Iudicia haec sunt prorsus infallibilia, si intellectus noster in eis neque *per se,* neque *per accidens* falli potest. Atqui ita est. Ergo.

Etenim, quum in huiusmodi iudiciis praedicatum sit de ratione subiecti; eatenus falli posset intellectus in eis, quatenus falleretur circa subiectum. Atqui circa horum iudiciorum subiectum neque per se neque per accidens falli potest. Ergo sunt prorsus infallibilia.

Maior huius argumenti constat ex ipsa notione propositionis, in qua praedicatum est de ratione subiecti.

Minor probatur per partes. a) Circa horum iudiciorum subiectum intellectum nostrum esse infallibilem *per se* ostenditur ex eo, quod huiusmodi subiecta pertinent ad obiectum proprium nostri intellectus. Sed intellectus falli nequit *per se* circa proprium obiectum, secus esset simul et non esset potentia ordinata ad tale obiectum. Ergo in huiusmodi iudiciis intellectus noster est infallibilis *per se.*

b) Sed neque *per accidens* falli potest in eis. Nam quum intellectus noster sit facultas prorsus immaterialis, tunc tantum falli poterit *per accidens* circa rem pertinentem proprio eius obiecto, quum huius rei

(1) S. Th. 1. p. q. 87. a. 3. ad 1.

conceptum efformare debuerit componendo vel dividendo, ope videlicet iudicii antecedentis. Qua in hypothesi contingere potest ut propter aliquam deceptionem provenientem vel a iudicio praevio, vel a falso doctore, vel a perverso influxu voluntatis, notam propriam unius rei tribuat ei, cui non convenit, et vicissim; puta rationalitatem asino vel sensibilitatem plantis. Iamvero huiusmodi error est prorsus impossibilis circa conceptus immediatos, quales sunt conceptus *entis*, *totius*, et similes, qui locum tenent subiecti in primis principiis. Ergo iudicia primorum principiorum non solum sunt immediata sed etiam infallibilia (1).

THESIS XXVII.

Principium omnium supremum *et* dignitas dignitatum *est principium contradictionis;* quod idem non potest simul esse et non esse. Hoc enim principium *continet fundamentaliter* alias veritates intellectui nostro proportionatas.

PROBATUR.

269. Aliquod principium continere fundamentaliter seu implicite et indeterminate alias veritates intellectui nostro proportionatas significat esse aliquod mentis nostrae iudicium, quod utpote efflorescens ex consideratione obiecti extensive proprii intellectus nostri, seu *entis*, primo proferatur immobili firmitate assensus et extendatur ad omne ens ac proinde semper implicite contineatur in omni vera affirmatione vel negatione, et *in* illud omnes aliae veritates resolvantur, sive per analysim, sive per demonstrationem, ita ut hoc principio stante omnes aliae veritates consistant, hoc corruente omnes aliae veritates corruant. Atqui tale est principium contradictionis: *idem non potest simul esse et non esse;* quod aequivalet huic: *id quod est, dum est, non potest non esse.* Etenim efflorescit ex consideratione obiecti extensive proprii nostri intellectus, quod est ens speculatum in re materiali, atque ex eius analysi resultat. Ens enim est id quod habet esse; si autem habet esse, non potest simul hoc esse non habere, secus esset simul et non esset ens. Ac proinde est primum et certissimum nostrae mentis iudicium, quod extenditur ad omnem affirmationem vel negationem, in qua implicite continetur; quia omnis affirmatio vel negatio est de aliquo

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 85. a. 6.

esse alicuius entis. Et ideo potest vi analysis, redargutionis vel demonstrationis per hoc principium caeterorum principiorum veritas demonstrari et in ipsum resolvi, ita ut, ipso stante, omnis firmetur veritas, ipso autem corruente, omnes aliae veritates corruant. Ex. gr. non possum negare omne totum esse maius sua parte, quin hoc ipso negem totum esse simul totum et non esse; quia totum est quod ex partibus coalescit, quarum singulas excedit. Unde si non esset maius sua parte, esset simul totum et non esset. Est igitur principium contradictionis fundamentum caeterarum veritatum, quas implicite et indeterminate continet.

« Sciendum est (ait S. Thomas) (1), quod, cum duplex sit operatio « intellectus: una qua cognoscit quodquidest, quae vocatur indivisibi« lium intelligentia; alia qua componit et dividit; in utraque est aliquod « primum quod cadit in conceptione intellectus, scilicet hoc quod dico « *ens:* nec aliquid hac operatione potest mente concipi nisi intelligatur « ens. Et quia hoc principium, *impossibile est esse et non esse simul*, « dependet ex intellectu entis, sicut hoc principium, *omne totum est* « *maius sua parte*, ex intellectu *totius* et *partis;* ideo hoc etiam prin« cipium est naturaliter primum in secunda operatione intellectus, sci« licet componentis et dividentis. Nec aliquis potest secundum hanc « operationem intellectus aliquid intelligere, nisi hoc principio intel« lecto. Sicut enim totum et partes non intelliguntur, nisi intellecto « ente, ita nec hoc principium, *omne totum est maius sua parte*, nisi « intellecto praedicto principio firmissimo ».

THESIS XXVIII.

Nulla datur in nostro intellectu prima veritas, quae alias veritates actu formaliter contineat.

PROBATUR.

270. Aliquam veritatem primam alias veritates actu formaliter continere importat eam esse formalem repraesentationem caeterarum veritatum, ita ut in eius contemplatione intellectus omnes alias veritates inspiciat. Quae veritas non potest esse iudicium; hoc enim cum consistat in affirmatione vel negatione alicuius praedicati de aliquo subiecto, praesupponit in intellectu formalem repraesentationem seu ideam subiecti et praedicati. Nec talis veritas prima potest esse aliqua intentio-

---

(1) In IV. Metaph. lect. 6.

nalis et finita repraesentatio alicuius realitatis; nulla enim realitas finita potest esse formalis repraesentatio omnium veritatum. Porro veritas prima, quae sit formalis et eminens repraesentatio omnis veritatis, nequit esse nisi ipsa realitas infinita subsistens, seu ipsum esse subsistens, nempe essentia divina, ut ex dicendis in Theologia naturali manifestum erit. Iamvero non solum ex consideratione naturae intellectus humani et cuiuscumque intellectus creati, sed etiam ex ipsa experientia constat intellectum nostrum non intueri hanc veritatem supremam, quae est ipse Deus. Ergo non datur in intellectu nostro ulla veritas prima, quae caeteras veritates actu formaliter contineat.

Nota. Haec Thesis militat contra Transcendentales omnes, Idealistas, Ontologos caeterosque, quorum doctrinae falsitas ulterius apparebit, quum de origine idearum deque existentiae Dei demonstratione sermo erit.

THESIS XXIX.

Ad prima principia scientiarum et artium certitudinali evidentia cognoscenda requiritur *inductio* singularium.

PRAENOTIONES.

Quid sit inductio et quomodo ea sit principium in quo fundatur syllogismus scientificus, diximus sub n. 149., ubi etiam attulimus verba S. Thomae ex VI. Ethic. lect. 3.

PROBATUR THESIS.

271. Ad principium aliquod universale cum veritate efformandum requiritur ut in eo subiectum accipiatur cum intentione universalitatis, ita ut praedicatum cum veritate affirmari possit de omnibus individuis sub subiecto contentis. Iamvero ad id non sufficit conceptus universalis directus, quem intellectus ab unico individuo singulari abstraxerit, sed requiritur reflexio intellectualis fundata in experimento et collatione plurium singularium ad invicem, quae collatio perficitur a ratione particulari seu a potentia cogitativa (de qua in Psychologia), atque praesupponit memoriam plurium singularium successive per sensum cognitorum. Ex. gr. ut assumatur in arte medica tamquam principium quod aliqua species herbae sanat a febri, necesse est ut diu medicus consideraverit hanc herbam sanasse Socratem febrientem, et Platonem et multos alios homines, tunc enim eius consideratio ad hoc ascendet, quod talis species herbae sanet febrientem *simpliciter* seu *per se* et

non per accidens. Ergo ad prima principia scientiarum et artium certitudinali evidentia cognoscenda requiritur inductio singularium (1).

Principium cui inductio innititur est sequens: *Quod constanter verificatur de particularibus competit etiam universali sub quo continentur.*

Inductio dividitur in *completam* et *incompletam*. *Completa* est, quae ad universale adsurgit post experientiam de omnibus particularibus sub ipso contentis. *Incompleta* est quae ad universale adsurgit post experientiam de sufficiente numero particularium in variis adiunctis. Ratio cur etiam per inductionem incompletam possimus adsurgere ad principium universale cum certitudine statuendum, est quia quod de pluribus individuis in variis adiunctis constanter verificatur nequit esse individuale sed naturale; postulat enim causam proportionatam, quae nequit esse particularis sed est universalis, cuiusmodi est natura. Quapropter verificari debet ubique eadem natura invenitur, quum sequatur principia naturalia, non individualia. Ex. gr. experimentis factis de pluribus variae densitatis corporibus gravibus in vacuo eadem celeritate cadentibus, principium universale physicum inductum est omnium gravium proprietatem hanc esse, ut in vacuo eadem celeritate cadant. Hac ratione principia propria physicae experimentalis constituta sunt.

Stuart Mill, quum negare non posset vim principiorum ex inductione resultantium; persuadere sibi et aliis voluit inductionem non fieri a particularibus ad universale, sed a particularibus ad particulare, videlicet principium resultans ex inductione particularium non habere vim principii universalis sed cuiusdam aggregati ex factis particularibus similibus, ita ut in tantum possimus de particulari per inductionem affirmare aliquid vel negare, in quantum hoc particulare experientia novimus includi in ea collectione. At quisque videt hanc Stuartii sententiam non solum destruere omnino vim principiorum ex inductione incompleta resultantium, cuiusmodi sunt omnia principia physicae experimentalis; sed etiam contradicere rectae rationi iudicanti effectum in variis adiunctis constantem non procedere a principiis individui, sed naturae, quae est semper eadem in omnibus eam participantibus, ex. gr., mortalitas in homine, calor in igne etc. Unde verificata per inductionem constantia alicuius legis physicae, adsurgere iure possumus ad principium universale respondente universalitati naturae genericae vel specificae.

---

(1) Conferant praeclarum locum S. Th. in II, Poster. lect. 20.

SCHOLION.

De divisione principiorum in analytica et synthetica deque eorum habitudine ad invicem.

272. Divisio modernorum in principia *analytica et synthetica*, si recte intelligatur, coincidit cum divisione quam superius statuimus in principia *per se nobis immediate nota* et in principia *ex inductione singularium* resultantia. Etenim

a) principia analytica vocantur ea quae resultant *ex analysi* seu *explicatione subiecti;* quae analysis tunc fieri potest ab intellectu, quum praedicatum est de ratione subiecti et subiectum est immediate notum intellectui. Etenim in hac hypothesi intellectus evolvendo notionem subiecti, intuetur praedicatum in subiecto inclusum. Talia sunt pro omni intellectu prima principia seu *axiomata* quia sunt per se nota omnibus hominibus; quaedam vero sunt per se nota tantum sapientibus ex gr. incorporalia in loco non esse;

b) principia synthetica dicuntur ea quae acquiruntur a nobis per *synthesim* seu *additionem* plurium experimentorum circa singularia. Quum enim in huiusmodi principiis praedicatum non sit de ratione subiecti; nequimus *ex analysi* seu *explicatione* subiecti deprehendere, utrum praedicatum conveniat subiecto universaliter accepto necne; sed debemus id experimentali singularium inductione colligere. Sic stabilita sunt principia: corpora se mutuo attrahunt; chininum sanat a febri, et sexcenta alia.

c) Ad hoc ut ex inductione experimentali singularium adsurgere valeamus ad constituendum aliquod principium syntheticum, uti debemus aliquo principio analytico immediate evidenti; puta principio contradictionis, vel causalitatis; ex. gr. eadem causa, si agit per principium intrinsecum naturale, eundem semper effectum producit. Sic fiet ut experimentaliter videndo aliquem effectum procedere constanter ab aliqua causa, constituamus principium syntheticum universale de talis causae proprietate. Hoc modo scientiae naturales sua principia deprehenderunt.

THESIS XXX. *

Principia synthetica a priori, quae Kantius excogitavit, reiiciuntur simul cum eiusdem principiis syntheticis a posteriori.

EXPOSITIO PRINCIPIORUM KANTII.

273. Emmanuel Kantius, cuius pseudocategorias superius refutavimus (n. 210.), divisit principia seu iudicia fundamentalia scientiarum *in synthetica a priori*, *synthetica a posteriori*, *et analytica seu explicativa.*

a) Iudicia synthetica a priori vocavit iudicia, quae ipse existimavit prolata a nostra mente per intuitionem puram, idest caeco quodam instinctu, antecedenter et independenter ab omni obiectivae realitatis experimentali cognitione, atque hisce iudiciis suas categorias constituit.

b) Iudicia synthetica a posteriori vel empirica vocabit, ea, quae resultare dixit ex additione *experientiae* ad praevia iudicia *intuitionis purae;* ita ut experientia se haberet ut elementum materiale, conceptus autem intuitionis purae se haberent ut elementum formale. Manifestationem subiectivam habitam per experientiam vocavit *phoenomenon*, realitatem vero obiectivam respondentem tali manifestationi vocavit *noumenon*. Tales essent omnes nostri conceptus rerum et formarum sensibilium.

c) Iudicia analytica vocavit ea, quae mens efformat per analysim seu explicationem subiecti iudicii *synthetici a priori.*

REFUTATIO.

274. Kantiana divisio principiorum repudianda est tamquam falsa et contradictoria.

I. **Est falsa.** Nam *a)* intellectus noster nihil cognoscit antecedenter ad obiectivae realitatis experimentalem cognitionem. Impossibile igitur est ut iudicium eliciat de obiecto minime cognito, cuiusmodi essent iudicia synthetica a priori.

b) Intellectus iudicando affirmat vel negat convenientiam praedicati cum subiecto. Atqui id praestare nequit, nisi cognoscat obiectivam significationem terminorum, quam unice experientia apprehendit. Ergo iudicia synthetica a priori non dantur.

c) Etiamsi non repugnarent iudicia antecedentia ad experimentalem cognitionem, haec iudicia non possent vocari synthetica. Nam non

quaecumque affirmatio convenientiae praedicati cum subiecto constituit iudicium syntheticum, sed ea quae procedit vel ex synthesi seu additione notarum seu formalitatum, addendo notas minus universales notis universalioribus, vel ex inductione singularium. Porro iudicia synthetica a priori secundum Kantium essent principia suprema et universalissima. Ergo male dicerentur iudicia synthetica.

II. **Est contradictoria.** Nam iudicia synthetica a posteriori seu empirica essent simul experimentalia et non essent. Etenim in Kantii sententia nos possumus quidem *phoenomena* seu subiectivam quamdam perceptionem sensilem habere, sed nequimus certificari, utrum *noumenon*, idest ipsa realitas obiectiva, detur extra sentientem: quamvis caeco quodam instinctu feramur ad tribuendam exteriorem existentiam rebus, quarum phoenomena percipimus. Porro iudicium experimentale absque realitate exterius respondente et causante sensationem, non est experimentale, sed mere subiectivum. Ergo iudicia synthetica a posteriori in sententia Kantiana sunt contradictoria.

Ex dictis patet doctrinam Kantianam esse totam ad scepticismum mentibus inserendum.

QUAESTIO XI.

DE SCIENTIA

CAPUT I.

SCIENTIAE DEFINITIO.

275. **Scientia**, quatenus contradistinguitur ab intellectu principiorum, et est effectus demonstrationis causantis certitudinem, definiri potest *cognitio certa et evidens alicuius veritatis per demonstrationem acquisita.*

Scientia dividitur in *perfectam* et *imperfectam.*

a) Scientia perfecta est *cognitio rei acquisita per causam propriam* et *immediatam,* et est proprius effectus demonstrationis *propter quid.*

b) Scientia imperfecta est *cognitio rei acquisita* vel *per causam remotam* vel *per effectum;* atque est proprius effectus demonstrationis *quia* (cfr. n. 261. d.).

Sapientia est *cognitio rerum per altissimam causam.* « Quia ergo « nomen scientiae importat quamdam certitudinem iudicii, ut dictum « est (art. praec.); siquidem certitudo iudicii fit per altissimam causam, « habet speciale nomen, *quod est sapientia:* dicitur enim sapiens in « unoquoque genere, qui novit altissimam causam illius generis, per « quam potest de omnibus iudicare (quae sunt illius generis); *simpli-« citer autem sapiens* dicitur, qui novit altissimam causam simpliciter, « scilicet Deum. Et ideo cognitio divinarum rerum vocatur *sapientia;* « cognitio vero humanarum vocatur *scientia,* quasi communi nomine « importante certitudinem iudicii appropriato ad iudicium, quod fit « per causas secundas » (1).

---

(1) 2. 2. q. 9. a. 2.

THESIS XXXI.

Scientiae specificantur ab obiecto formali, quod complectitur non solum rationem, secundum quam obiectum materiale attingitur a determinata scientia, sed etiam principia demonstrativa propria eiusdem scientiae.

PRAENOTIONES.

276. *a) Obiectum materiale* alicuius scientiae sunt res, quae sub eius consideratione cadunt, ex. gr. corpora.

b) Obiectum formale, vi cuius scientiae specificantur, dividitur a modernis *in obiectum formale quod* et *obiectum formale quo* vel *sub quo.*

c) Obiectum formale quod dicitur ipsa formalitas seu ratio obiectiva, secundum quam res seu obiectum materiale attingitur ab aliqua scientia. Sic *obiectum formale quod* metaphysicae est ipsa ratio entis; *obiectum formale quod* matheseos est ipsa ratio quanti.

d) Obiectum formale quo vel *sub quo* dicuntur ipsa principia demonstrativa propria alicuius scientiae; ita ut sub horum specialium principiorum lumine eorumque virtute suas conclusiones scientia demonstret. Hinc fit ut quaedam scientiae, licet aliquando conveniant *in eodem obiecto formali quod*, differant ratione principiorum, per quae demonstrant easdem conclusiones. Sic tum physica tum astronomia demonstrant rotunditatem terrae, sed per diversa media demonstrativa et ideo etiam in hac et similibus conclusionibus, remanent specifice diversae. De hac re ita S. Thomas loquitur (1): « Dicendum quod terram esse rotundam, per aliud medium demonstrat naturalis (physicus), et per aliud astrologus (astronomus). Astrologus enim hoc demonstrat per media mathematica, sicut per figuras eclypsium, vel per aliud huiusmodi. Naturalis autem hoc demonstrat per medium naturale, sicut per motum gravium ad medium, vel per aliud huiusmodi. Tota autem virtus demonstrationis, quae est syllogismus faciens scire (ut dicitur Poster. 1. text. 5.) dependet ex medio, et ideo diversa media sunt sicut diversa principia activa, secundum quae habitus scientiarum diversificantur ». Quaprŏpter

e) Obiectum formale adaequatum uniuscuiusque scientiae integratur ex *obiecto formali quod* et *ex obiecto formali quo* vel *sub quo,* idest ex termino obiectivo proprio alicuius scientiae et ex principiis demonstrativis eiusdem.

---

(1) 1. 2. q. 54. a. 2. ad 2.

f) Obiectum attributionis alicuius scientiae dicitur a recentioribus illud, in ordine ad quod haec scientia etiam caetera obiecta considerat. Sic « obiectum (attributionis) medicinae est sanitas, quia nihil medi-« cina considerat nisi in ordine ad sanitatem » (1).

PROBATUR THESIS.

277. I. Unaquaeque scientia specificatur per id, per quod ab omni alia scientia distinguitur. Atqui tale specificativum est obiectum formale adaequate acceptum, quod integratur ex *obiecto formali quod* et *quo*. Etenim quaedam scientiae in pluribus conclusionibus conveniunt non solum in obiecto materiali, sed etiam in ratione formali obiectiva; sic physica et astronomia conveniunt in demonstranda rotunditate terrae; et theologia naturalis cum theologia dogmatica convenit in demonstranda existentia et perfectionibus Dei. Ergo nisi addantur principia propria demonstrativa uniuscuiusque scientiae, adhuc remanerent indistinctae. Recte igitur assignatum est in thesi obiectum formale adaequatum uniuscuiusque scientiae.

II. Actus sciendi est quidam rationis motus, quo ex principiis propriis uniuscuiusque scientiae procedimus in conclusionem, in qua aliquam passionem idest proprietatem de subiecto proprio illius scientiae affirmamus. Iamvero motus quilibet adaequate specificatur a termino prouti respondet initio; sic motus Romam Neapoli est specie diversus a motu Romam Florentia. Ergo actus, et, eo mediante, habitus scientiae, specificantur ab obiecto (seu subiecto proprio scientiae) prout respondet principiis propriis eiusdem scientiae (2).

III. Scientia est *habitus intellectivus*. Sed habitus distinguuntur ab invicem non solum secundum principia activa (causantia dispositiones stabiles, quas habitus vocamus); sed etiam secundum obiecta specie differentia, et secundum naturam, in qua habitus subiectantur; ita ut si in uno ex his differant, sint habitus specie diversi. Ergo scientiae humanae, quae sunt habitus intellectivi, quum conveniant ex parte naturae in qua subiectantur (quia intellectus humanus est earum subiectum); differunt ab invicem ex parte principiorum et ex parte termini; quatenus ex his *obiectum formale diversum* resultat (3).

---

(1) 2. 2. q. 1. a. 1.
(2) Cfr. S. Thom. in I. Poster. Lect. 41.
(3) Cfr. S. Th. 1. 2. q. 54. a.

CAPUT II.

DIVISIO SCIENTIARUM.

278. I. *Scientia dividitur tamquam in duo suprema genera in speculativam et practicam.* Quum enim intellectus noster possit vel sistere *in mera speculatione* obiectivae rerum veritatis, vel ex speculatione extendi ad *praxim*, ita ut ex rerum relationibus et proprietatibus speculatis procedat ad ordinandum opus aliquod exequendum; recte dividitur scientia ex duplici hoc fine, formaliter diverso et sub se adunante caeteras divisiones scientiarum, in *speculativam* et *practicam*, tamquam in duo suprema genera scientiarum.

II. *Scientia speculativa*, subdividitur in *physicam*, *mathematicam* et *metaphysicam*. Etenim scientia speculativa recte dividitur per differentias speculabilium in quantum sunt speculabilia, idest quatenus respiciunt scientiam speculativam. Iamvero sub vario respectu speculabilitatis cadunt diversi gradus necessitatis et immaterialitatis obiectorum, quae considerantur a scientia. Ergo pro diversa ratione abstractionis a materialitate et a contingentia, idest a materia et a motu, resultabunt diversae rationes formales speculabilium in quantum speculabilium.

Porro triplex est gradus abstractionis huiusmodi. Quaedam enim speculabilia abstrahunt solum a materia individuali, sed non a meteria sensibili, sine qua intelligi nequeunt, eo quod materia sensibilis in eorum definitione ponatur; et id contingit in definitione cuiuscumque corporis naturalis ex. gr. lapidis, arboris, equi, hominis; de his est *physica* seu *scientia naturalis.*

Quaedam autem speculabilia abstrahunt etiam a materia sensibili, non autem a materia intelligibili, quia in eorum definitionibus non ponitur materia sensibilis: talis sunt linea, superficies, numerus et omnia quae pertinent ad corpus mathematicum, in cuius definitione non ponitur materia sensibilis, puta aurum vel argentum; licet ponatur materia intelligibilis, idest aliquid longum, latum, profundum, ut contingit in definitione circuli, sphaerae, pyramidis etc. De his est *mathematica.*

Quaedam tandem speculabilia abstrahunt ab omni materia, vel quia, eam *positive excludunt*, ut Deus et angeli; vel quia ab ea *praescindunt*, ut substantia, qualitas, potentia et actus, unum et multa, ens bonum et omnia transcendentalia. De his est *Metaphysica* (1).

---

(1) Conf. S. Th. in Boetium de Trinit. q. 5. art. 1. 3. et seqq.

III. Tres supradictae scientiae speculativae propter diversitatem obiecti formalis adaequati sunt ab invicem primo diversae, quia et principiis propriis utuntur et obiectum *formale quod* specifice diversum habent. Ab unaquaque autem earum aliae scientiae derivantur ab eaque dependent vel ut *species* a *genere*, sicuti zoologia pendet a naturali scientia; vel ut *materiale* a *formali*, sicuti perspectiva pendet a geometria, qui secundus modus dependentiae unius scientiae ab alia vocatur subalternatio stricte dicta. Id autem quomodo contingat, apparebit ex sequenti capite.

CAPUT III.

SUBALTERNATIO SCIENTIARUM.

279. Non quaecumque dependentia unius scientiae ab alia ad aliquem influxum vel iuvamen ab ea recipiendum constituit illius subalternationem ad istam, quia sic omnes scientiae subalternarentur *logicae* et *metaphysicae;* neque sufficit sola dependentia quoad principia, ita ut scientia subalternata habeat pro principiis immediatis non veritates per se immediate notas, sed conclusiones aliquas scientiae superioris: sed requiritur insuper ut obiectum scientiae subalternae non se habeat ad obiectum scientiae subalternantis ut *species* ad *genus*, sicuti contingit quando obiectum formale scientiae inferioris est aliqua species relate ad obiectum formale scientiae superioris puta *animal* relate ad *corpus naturale,* quomodo zoologia dependet a physica; sed habere se debet ut *materiale* ad *formale*, videlicet scientia subalternata considerat in determinata materia applicatum id quod scientia subalternans considerat absolute; atque eius principia evidentiam accipiunt a principiis propriis scientiae subalternantis, ad quae se habent ut conclusiones ad principia. Hoc modo ex. gr. perspectiva subditur geometriae. « *Geo-* « *metria* enim (ut ait S. Thomas) (1) est de linea et aliis magnitudi- « nibus. *Perspectiva* autem est circa lineam determinatam ad mate- « riam, idest circa linaem visualem. Linea autem visualis non est species « lineae simpliciter, sicut nec triangulus ligneus est species trianguli. « Non enim ligneum est differentia trianguli. Et similiter *machinativa,* « idest scientia de faciendis machinis, se habet ad *stereometriam*, idest « ad scientiam quae est de mensurationibus corporum. Et haec scientia « dicitur esse sub scientia per applicationem formalis ad materiale. « Nam mensurae corporum simpliciter (sumptae) comparantur ad men- « suras lignorum et aliarum materiarum, quae requiruntur ad machi-

(1) In I. Poster. lect. 25.

« nas, per applicationem formalis ad materiale. Et similiter se habet « *harmonica*, idest *musica*, ad *arithmeticam*. Nam musica applicat nu- « merum formalem, quem considerat arithmeticus, ad materiam, idest « ad sonos. Et similiter se habet *apparentia*, idest *scientia navalis* « (quam nos potius *meteorologiam* vocaremus), quae considerat signa « apparentia serenitatis vel tempestatis, ad *astrologiam*, quae consi- « derat motus et situs astrorum ». Cfr. etiam in Boet. de Trin. q. 5. a. 1. ad 5. Haec est subulternatio proprie dicta.

280. **Subalternatio proprie dicta,** describi potest: talis dependentia unius scientiae ab alia, ut scientiae subalternatae principia sint conclusiones scientiae subalternantis, atque obiectum proprium subalternatae se habeat ad obiectum proprium subalternantis ut *materiale* ad *formale*. Confer exempla superius allata ex S. Thoma.

Subalternatio minus proprie dicta est talis dependentia unius scientiae ab alia; ut scientiae inferioris principia sint conclusiones scientiae superioris; obiectum autem proprium scientiae inferioris se habeat ad obiectum proprium scientiae superioris, non ut materiale ad formale, sed *ut species ad genus*. Sic se habent ad *Physicam*, quae est scientia de corpore naturali, atque vocari solet Philosophia naturalis, *zoologia, botanica*, *mineralogia*, etc. Quae ratio dependentiae unius scientiae ab alia, quamvis non sit proprie dicta *subalternatio*, tamen est proprie et stricte dicta *subordinatio*.

CAPUT IV.

VARIAE HABITUDINES SCIENTIARUM AD INVICEM.

281. *a)* **Scientiae quae nulli subalternantur,** nequae subordinantur subordinatione stricte dicta, sunt e *practicis* Logica et Moralis; e *speculativis* autem sunt Metaphysica, Mathematica et Philosophia Naturalis seu Physica; quia et principiis propriis a nulla alia scientia deductis utuntur, et obiectum formaliter diversum habent, ut ex singularum tractationibus apparet.

b) **Scientiae subordinatae.** Sub quinque Supremis Scientiis, reliquae omnes scientiae subordinatione stricte dicta subordinantur, vel subalternatione proprie dicta subalternantur sive immediate, sive mediate.

Nota. Si de latiori quadam subordinatione sermo sit, videlicet de aliquo adiumento quod una scientia ab alia recipit, ipsae quinque Supremae Scientiae *sub variis respectibus* consideratae subordinantur ad invicem. Etenim Metaphysica, Mathematica, Physica, et Moralis indigent Logica ut rite procedant ad acquisitionem suarum veritatum.

Logica similiter in pluribus indiget auxilio Metaphysicae, quae habet obiectum transcendens, nempe ens in quantum ens. Mathematica, Physica et Moralis ut recte procedant, indigent non solum Logica sed etiam Metaphysica. Insuper Philosophia Moralis, quum habeat pro obiecto ultimum hominis finem, omnes scientias ad hunc finem dirigere debet.

c) **Simpliciter et absolute loquendo, Metaphysica est suprema** omnium scientiarum, quae puro rationis lumine acquiri possunt. Etenim caeteris praestat tum ratione principiorum suorum, quae sunt universalissima et absolute prima, tum ratione sui obiecti, quod complectitur ens et principia entis, ac praesertim ipsum supremum principium effectivum entis in quantum entis, nempe Deum; quapropter et *divina* vocatur et sub hoc respectu *sapientiae* nomen sibvindicat (1).

CAPUT V.

DE METHODO.

282. **Methodus** a μετά *cum*, et ὁδός *via*, definiri potest: *Ordo a mente in suis operationibus servandus ad scientiam sibi comparandam.*

Dividitur in analyticam et syntheticam.

Methodus analytica seu *resolutiva* est ea, qua a singularibus procedimus ad universale, quasi resolvendo universale a coarctatione singularitatis. Ad hanc methodum pertinet *inductio.*

Methodus synthetica seu *compositiva* est ea, qua ab universalioribus et simplicioribus, per additionem notarum determinantium, descendimus ad minus universalia et magis composita. Ad hanc methodum pertinet demonstratio effectuum ex eorum causis.

THESIS XXXII.

Methodus Cartesiana exponitur et refutatur.

283. **Exponitur**. Cartesius initium philosophandi sumit a dubitatione universali (non exclusa dubitatione de veracitate nostrarum facultatum). Vi huius actus dubitandi, homo incipit esse certus de sua existentia, ita ratiocinando: ego dubito; ergo cogito; si cogito, ergo existo. Quum autem ex idea clara et distincta propriae cogitationis effloruerit certitudo de propria existentia: unusquisque fit certus huius veritatis: *quidquid continetur in idea clara et distincta alicuius rei verum est obiective seu a parte rei.* Hoc est axioma ex quo Cartesius

(1) Cfr. S. Th. in Boet. de Trin. q. 6. a. 1. ad 3. q. in corp. et ad 2. q. ad 3.

infert certitudinem de existentia et veracitate Dei, sequenti argumento: entis perfectissimi ideam claram et distinctam habemus: atqui repugnat ens perfectissimum carere existentia et veracitate; ergo existit Deus infinite verax. Hoc autem posito, necesse est, ut iudicemus etiam facultates nostras cognoscitivas esse veraces, quia secus Deus nos in errorem impelleret; hoc autem repugnat enti infinite veraci. Sic fit ut restituatur nobis certitudo de facultatum nostrarum veracitate, et ita possimus tuto scientiarum acquisitioni vacare.

Refutatur. Cartesiana methodus *circulo vitioso* laborat. Etenim ex veracitate conscientiae, cuius pronuntiato Cartesius assentitur, infert existentiam Dei veracis. Ex veracitate autem De infert veracitatem facultatum nostrarum. Atqui conscientia est una ex facultatibus nostris, de quarum veracitate nequimus esse certi ante cognitam veracitatem Dei. Ergo haec demonstratio est manifesta petitio principii, seu laborat circulo vitioso. Insuper falsitas methodus cartesianae ex his, quae superius docuimus de Demonstratione et Scientia, manifesta est. Ineptum autem fuisse argumentum, quo intulit existentiam Dei veracis ex eius idea clara et distincta, concessa etiam certitudine de veracitate conscientiae, apparet ex hoc quod habetur in eo indebitus transitus ab ordine logico ad ordinem realem. De ineptitudine huius et similium argumentorum, quibus quidam conantur demonstrare existentiam Dei, relictis veris et efficacibus argumentis, agemus in Theologia naturali, quaestione *de Demonstrabilitate existentiae Dei.*

EXPLICIT LOGICA MAIOR.

PHILOSOPHIA PRIMA

SEU

ONTOLOGIA

PROLEGOMENA

1. **Metaphysicae definitio et obiectum.** Metaphysica est scientia de ente in quantum est ens, et de his quae consequuntur ipsum. Eius *obiectum formale* complectitur *ens* et *principia entis*, videlicet principia communia omnium entium. Etenim (ut in Logica mai. n. 276. demonstravimus) obiectum formale specificans scientiam, eamque distinguens a qualibet alia, resultat ex subiecto seu termino, quem respicit (quod moderni vocant *obiectum formale quod*) et ex principiis et causis eius propriis sive intrinsecis sive extrinsecis. Tunc enim perficitur cognitio scientifica alicuius subiecti, quum eius causas cognoscimus et per eius causas eius passiones seu proprietates demonstramus.

2. **Principia communia omnium entium.** Quaedam sunt communia *per praedicationem* (analogicam), ut *esse* et *essentia*, *actus* et *potentia* et similia, quaedam sunt communia *per causalitatem*, inter quae potissimum est Deus, qui est causa entis quatenus entis, quum sit principium effectivum essendi omnibus, quae habent esse. Principia per causalitatem entibus communia, nempe Deus et substantiae spirituales separatae pertractantur a Metaphysica non quasi essent termini seu obiecta scientificae demonstrationis *a priori* seu *propter quid*, sed unice quia sunt principia causalia entium. Etenim substantiae separatae transcendunt obiectum intensive proprium nostri intellectus quod est quidditas rei materialis, Deus autem non solum hoc transcendit, sed ne quidem habet causam sui esse. Haec S. Thomas docet (1). Postquam enim declaraverit, quomodo in scientiis particularibus naturae quaedam completae considerari possint ab una scientia ut *principia sui subiecti* (i. e. obiecti); ab alia autem scientia ut suum *proprium subiectum* (seu obiectum); accedit ad principia communia entis, quod

---

(1) In Boet. de Trin. q. 5. a. 4.

est terminus seu obiectum Metaphysicae et distinguit principia omni enti communia *per praedicationem* a principiis omni enti communibus *per causalitatem*.

3. **Metaphysicae dotes et extensio.** Metaphysica *a)* est *suprema inter scientias speculativas*, quia in contemplatione obiectivae rerum veritatis in supremo abstractionis gradu versatur, quum eius obiectum sit ab omni materia et motu separatum *vel secundum ipsum esse*, ut *substantiae spirituales separatae* et maxime Deus, qui est in summo gradu immaterialitatis; *vel secundum rationem*, ut *ens* et *substantia*, *actus* et *potentia* et similia, de quorum ratione non est ut sint in materia et in motu, quamvis quandoque inveniantur in materia et in motu. Metaphysica enim versatur circa ea speculabilia, de quibus S. Thoma (1) haec habet: « Quaedam sunt speculabilia, quae non « dependent a materia secundum esse, quia sine materia esse pos- « sunt sive numquan sint in materia, sicut *Deus* et *angelus*, sive in « quibusdam sint in materia, et in quibusdam non, ut *substantia*, « *qualitas*, *potentia* et *actus*, *unum* et *multa* et huiusmodi; de quibus « omnibus est theologia, idest divina scientia etc. ».

b) Metaphysica est caeterarum scientiarum et artium regulatrix. Nam scientia, quae est maxime intellectiva et quae primas rerum causas, sive intrinsecas, sive extrinsecas considerat, est caeterarum regulatrix, quia certitudo scientiae ab intellectu acquiritur ex causis. Porro huiusmodi est Metaphysica, quae, in supremo abstractionis gradu a materia consistens, cognoscit ens in quantum ens per supremas et proprias causas entis, quod in sua transcendentali universalitate ad omnia extenditur (2).

Ex hoc sequitur *Metaphysicam* esse *sapientiam*, tum quia *sapientis* est alios ordinare; tum quia *sapientia* est cognitio rerum par altissimas causas.

c) Metaphysica ratione sui obiecti formalis, extenditur ad omnes et singulas res et ad earum partes et elementa, non exclusa ipsa materia et motu; quia quidquid quocumque modo habet rationem entis cadit sub extensione obiecti Metaphysicae. « Dicendum quod Metaphy- « sica considerat etiam de singulis entibus, non secundum proprias « rationes, per quas sunt tale vel tale ens, sed secundum quod par- « ticipant communem entis rationem; et sic pertinet etiam ad eius « considerationem materia et motus » (3).

---

(1) In Boet. de Trin. q. 5. a. 1.
(2) Cfr. S. Th. in Proemio in libros Metaph. Aristotelis.
(3) S. Th. in Boet. de Trin. q. 5. a. 4. ad 6.

Nota. Caeteras dotes huius scientiae, nempe quod sit libera, non humana possessio, sed divina, demonstrat S. Thomas (1).

4. **Metaphysica est una scientia** sive consideret ens in commune quod est eius subiectum, sive consideret eius principia per praedicationem, sive eius principia per causalitatem, inter quae potissimum est Deus. Etenim « eiusdem scientiae est considerare causas proprias ali- « cuius generis (lato sensu accepti) et genus ipsum : sicut naturalis « (philosophus) considerat principia corporis naturalis. Unde oportet « quod ad eamdem scientiam pertineat considerare substantias sepa- « ratas, et ens commune, quod est genus, cuius sunt praedictae sub- « stantiae communes et universales causae. Ex quo apparet, quod « quamvis ista scientia praedicta tria consideret (nempe Deum, in- « telligentias separatas creatas, et ens commune), non tamen consi- « derat quodlibet eorum ut subiectum, sed ipsum solum ens commune. « *Hoc enim est subiectum in scientia*, cuius causas et passiones quae- « rimus, non autem ipsae causae alicuius generis quaesiti. Nam cognitio « causarum alicuius generis est finis ad quem consideratio scientiae « pertingit (quia per ipsas pervenit ad suas conclusiones de proprio « subiecto seu termino demonstrandas) » etc. (2).

5. **Metaphysicae partitio materialis non formalis.** Quamvis (ut ex supradictis patet) ratione sui obiecti formalis, a quo unaquaeque scientia suam desumit unitatem, Metaphysica in plures scientias dividi nequeat, tamen ratione partium, quae *integrant* eius formale obiectum, quaeque quatenus partes se habent ad totum ut materia ad formam, apte dividi poterit in duas partes, non exclusa adhuc ulteriori subdivisione. Etenim in prima parte sermo esse poterit de ente in communi deque passionibus eius; in altera vero parte de substantiis immaterialibus ac potissimum de Deo, qui est prima causa omnium entium. Prima itaque Metaphysicae pars, quatenus agit de ente in communi deque eius proprietatibus, vocatur *Ontologia;* quatenus autem ex ea caeterae scientiae principia suprema mutuantur, vocatur *Philosophia Prima.* Altera autem Metaphysicae pars ratione sui obiecti primarii *Theologia naturalis* nuncupatur. Quam si subdividere malumus ita ut separatim de substantiis immaterialibus creatis agamus; poterimus tertiam addere partem, quin imo et quartam, ratione animae humanae, quae est in confinio rerum physicarum et metaphysicarum, seu sensibilium et suprasensibilium; quia anima humana ita est forma corporis, ut sit substantia spiritualis per se subsistens, licet incompleta

(1) In I. Met. lect. 3.
(2) S. Th. in Proem. in Lib. Met.

in linea essentiae. Pars itaque Metaphysicae quae de creatis substantiis spiritualibus completis sermonem haberet, vocari posset *Angelologia*, quae vero de anima humana *Psychologia.*

Nota. Moderni, qui *Ontologiae* nomine *Philosophiam Primam* designare solent, eam etiam *Metaphysicam Generalem* appellant, reliquas autem Philosophiae speculativae partes nomine *Metaphysicae specialis* cohonestant.

6. **Nomen genericum Philosophia,** quod idem est atque *amor sapientiae*, coepit applicari scientiis speculativis tantum, quia hae diliguntur tantum propter seipsas, idest unice ad repellendam ignorantiam per veritatis contemplationem. A Pythagora invectum est: « cum enim « (ut S. Thomas in I. Met. lect. 3. refert) antiqui studio sapientiae « insistentes, *sophistae* (non malo sed bono sensu), idest *sapientes* vo- « carentur, Pythagoras interrogatus quid se esse profiteretur, noluit « se sapientem nominare, sicut sui antecessores, quia hoc praesum- « ptuosum videbatur esse; sed vocavit se *philosophum*, idest amatorem « sapientiae. Et exinde nomen sapientis mutatum est in nomen philo- « sophi, et nomen *sapientiae* in nomen *philosophiae* ». (Cfr. integram lectionem). Attamen latiori sensu nomen *Philosophiae* extenditur etiam ad Logicam et ad Moralem propter earum excellentiam et quia ex primis rationis principiis suas conclusiones et praecepta immediate derivant. De divisione scientiarum, quibus tota Philosophia integratur satis loquuti sumus in Logica nn. 278. et seqq.

7. **Tria nomina, quibus metaphysica a veteribus appellatur,** non designant diversas scientias, sed unius eiusdemque scientiae diversos respectus. Dicitur enim *scientia divina* sive *Theologia*, inquantum substantias immateriales, quarum potissima est Deus, considerat. Dicitur *Metaphysica*, inquantum considerat ea, quae abstrahunt ab omni materia et motu, nempe ens inquantum ens et ea quae consequuntur ipsum. Dicitur autem *Philosophia Prima*, inquantum primas rerum causas, sive intrinsecas, sive extrinsecas considerando, praecedit caeteras scientias, quae ab ea recipere debent principia ipsis communia. Cfr. S. Th. in Proem. ad Met. et in Boet. de Trin. Q. 5. a 1.

PHILOSOPHIA PRIMA

SEU

ONTOLOGIA

PARS PRIMA
DE IPSO ENTE IN COMMUNI CONSIDERATO

QUAESTIO I.
DE ENTIS SIGNIFICATIONE ET CONCEPTU.

PRAENOTIONES.

§. 1.

DE FORMA A QUA DENOMINATUR NOMEN CONCRETUM ENS.

8. Nomen concretum ens denominatur ab esse, et latissime acceptum significat id quod aliquod esse habet sive intentionale sive reale.

Vocabulum *esse,* a quo denominatur ens, tripliciter accipi potest: vel *a)* pro ipso *actu essendi*, quo extra intellectum aliquid realiter existit; qui actus vocatur *esse existentiae;* vel *b)* pro *veritate* compositionis vel divisionis in iudiciis, quibus intellectus affirmat vel negat aliquod praedicatum convenire alicui subiecto, quaeque exprimitur per *copulam verbalem est,* vel *c)* pro ipsa *essentia*, secundum quam aliquid realiter existit, quaeque vocatur *esse essentiae.* « Dicendum (ait. S. Th. 3. « Sent. Dist. 6. q. 2. a. 2.) quod *esse* duobus modis dicitur. Uno modo, « secundum quod significat veritatem propositionis, secundum quod est « *copula;* et sic *ens* (quod a tali esse denominatur) est praedicatum « accidentale; et hoc *esse* non est in re, sed in mente quae coniungit « praedicatum cum subiecto... Alio modo dicitur *esse* quod pertinet ad « naturam rei, secundum quod dividitur secundum decem genera; et « hoc quidem *esse* est in re et est *actus entis* resultans ex principiis « rei, sicut lucere est actus lucentis. Aliquando tamen sumitur esse « pro *essentia, secundum quam* res est, quia per actus consueverunt « significari eorum principia, ut potentiae vel habitus ».

9. **Ens reale — Ens intentionale — Ens rationis. —** Nomen concretum *ens* quando denominatur ab *esse* accepto pro ipso *actu essendi*, significat *ens reale*, quod extra intellectum existit atque resultat ex essentia et existentia, vel identificatis, ut in Deo, qui est ipsum esse subsistens, vel realiter distinctis ut in creaturis. Quando autem denominatur ab *esse* accepto pro *copula verbali* significante convenientiam praedicati cum subiecto, significat illud *ens intentionale*, quod est terminus intrinsecus intellectus iudicantis, atque oraliter *enuntiatione* profertur. Porro huiusmodi *ens intentionale* aliquando habet terminum realem extra intellectum, ut quum dico *solem esse;* aliquando non habet, ut quum dico *caecitatem esse*, quia huiusmodi iudiciorum subiecta non habent ullam essentiam secundum quam sint actuata vel actuabilia extra intellectum. Huiusmodi sunt non solum negationes et privationes, sed etiam genera, species et similia quae *sub ea ratione* sub qua concipiuntur non sunt actuabilia extra intellectum et vocantur *entia rationis.* Ratio autem, cur intellectus ipsas negationes et privationes concipiat ad modum entium, est quia obiectum extensive proprium nostri intellectus est *ens* (1).

10. **Variae acceptiones nominis entis.**

a) Vocabulum *ens,* utpote *concretum,* debet quemadmodum omnia nomina concreta aliquid significare *formaliter* et aliquid *materialiter* seu *connotative;* sicut nomen concretum *album*, formaliter significat formam albedinis, materialiter vero connotat subiectum in quo haec forma invenitur, puta hominem.

b) Vocabulum *ens* sumi potest vel *participialiter* vel *nominaliter.* Participialiter sumptum significat *actu existens* seu dicit esse in *actu exercito:* et cum sit vocabulum concretum significat formaliter esse actuale seu exercitum, connotative autem essentiam in qua esse exercitum verificatur.

Nominaliter sumptum dicit esse in *actu signato*, id est in consideratione intellectus, praescindendo ab actuali exercitio in ordine rerum.

c) Attamen etiam in hac acceptione vocabulum ens non semper eodem modo actum essendi signatum significat. Aliquando enim significat *formaliter* existentiam et connotative essentiam, ut cum dico: *existens est ens;* aliquando significat formaliter essentiam et connotative existentiam ut cum dico: *essentia est ens.* Etenim ens nominaliter sumptum potest ab esse dupliciter denominari: vel 1° quatenus consideratur ut concretum huius formae quae est *esse* vel *existentia* signante sumpta, et tunc idem valet ac existens signate; vel 2° quatenus consideratur ut aliquid actuabile ab esse ac proinde dicens *quemdam*

---

(1) Cfr. S. Th. in 2. Sent. Dist. 34. q. 1. a. 1. et Summ. 1. p. q. 48. a. 2. ad 2.

ordinem ad esse, et tunc idem valet ac essentia seu quidditas, quae ideo dici potest ens, quia dicit ordinem ad actum essendi, tamquam id in quo esse exercet vel exercere potest suum formalem effectum; esse autem tantummodo connotatur, quia vocabulum ens semper adsignificat esse tamquam terminum ad quem essentia ordinem dicit, et ratione cuius concipitur ut actuabilis.

d) Quando vocabulum ens sumitur formaliter pro essentia, prout haec dicit aliquem ordinem ad esse, habet duplicem connotationem materialem, unam qua connotat *esse* ad quod essentia ordinem dicit, alteram qua connotat subiectum vel suppositum in quo intelligitur essentia tamquam forma secundum quam subiectum potest esse vel simpliciter vel secundum quid. Ratio est iam indicata superius, quia ens nempe est nomen concretum, et nomina concreta significant semper formam in aliquo subiecto. Et sane nomina abstracta v. g. humanitas, albedo, virtus non significant nisi formam; ac proinde non habent duplicem suppositionem, unam formalem, aliam materialem, sed suppositionem formalem tantum. Nomina autem concreta v. g. homo, album, virtuosum significant formam in aliquo subiecto indeterminato, et proinde habent duplicem suppositionem, formalem qua significant formam, et materialem, qua connotant indeterminate subiectum in quo intelliguntur illae formae: nam secundum istas formas (metaphysicas) subiectum aliquod esse potest vel simpliciter, ut homo individuus existit simpliciter secundum humanitatem, vel secundum quid, ut homo individuus, iam simpliciter existens secundum humanitatem, potest secundum quid seu accidentaliter esse secundum albedinem vel virtutem, et per haec dici albus vel virtuosus.

§ II.

DE SIGNIFICATIONE NOMINIS ESSENTIA.

11. *Essentia* dicitur id *quo* vel *secundum quod* aliquid habet esse. Sic essentia humana est id quo homo est homo; essentia albedinis id quo album est album. Quapropter nomen *essentia* significat aliquid *analogice* commune omnibus naturis, quum per diversas essentias sive naturas diversa entia in diversis generibus et diversis speciebus collocentur. Essentia vocatur etiam *quidditas,* quia *illud,* per quod res constituitur in proprio genere et specie, est quod significamus per definitionem indicantem *quid est res*. Vocatur etiam *natura*, quae vox significat essentiam rei sub eo respectu, sub quo est *principium quo remotum* operationis propriae illius entis cuius est essentia (1).

---

(1) Confer S. Th. Opusc. De Ente et Ess. c. 1.

§ III.

DE ENTIS REALIS PRIMARIA ET SECUNDARIA SIGNIFICATIONE.

12. *Ens reale*, quod resultat ex essentia et existentia, *primario* dicitur de supposito formali, idest de subiecto singulari existente, quia suppositum est id quod est. Secundario et *ut quo* dicitur tum de essentia substantiali, secundum quam suppositum simpliciter existit, quia essentia concipitur ad modum partis; tum de partibus essentiae, ut de materia et forma, tum de accidentibus, secundum quae suppositum existit secundum quid per varia esse accidentalia. Sic Petrus humanitate est homo, albedine est albus, fortitudine est fortis etc. Ad rem S. Thomas (in 3. Sent. Dist. 6. q. 2. a. 2.) ait: « Ens subsistens (vi« delicet suppositum), est quod habet esse tamquam eius *quod est,* « quamvis sit naturae vel formae tamquam eius *quo est:* unde nec « natura rei nec partes eius proprie dicuntur esse, si esse praedicto « modo accipitur (nempe secundum quod est actus entis), similiter « autem nec accidentia, sed suppositum completum, quod est secun« dum omnia illa. Unde etiam Philosophus dicit in 2. Metaph. (cap. 3.) « quod accidens magis proprie est entis, quam ens ». Et in Summa 3. p. q. 17. a. 2. « Esse pertinet ad naturam (seu essentiam) et ad hy« postasim (seu suppositum); ad hypostasim quidem, sicut *ad id* « *quod habet esse:* ad naturam autem sicut *ad id quo aliquid habet* « *esse.* Natura enim significatur ad modum formae, quae dicitur *ens* « ex eo quod eâ aliquid est: sicut albedine est aliquid album; et « humanitate est aliquid homo ».

THESIS I.

Nomen ens universalissime acceptum recte describitur *id cui suo modo competit esse.*

PROBATUR.

13. Descriptio, qua ens vocatur id cui suo modo competit esse, recta est, si convenit omnibus, quae qualicumque modo possunt vocari entia. Atqui ita est. Ergo etc.

Prob. min. Quidquid aliquo modo concipitur aut existit, vel habet esse tantum intentionale, vel habet etiam esse reale. Quod si habeat tantum esse intentionale, vel est actuabile sub ea ratione sub qua concipitur, vel sub hac ratione non est actuabile; si primum, est *ens possibile,* seu *ens in potentia obiectiva;* si secundum, est *ens rationis.* Si autem habeat *esse reale,* vel habet esse prorsus identificatum cum es-

sentia, et est ens increatum sive Deus, qui est ipsum esse subsistens; vel habet esse realiter distinctum ab essentia, tamquam actus a potentia subiectiva; et huiusmodi est ens creatum; hoc autem vel habet esse ut id quod existit, et est suppositum, vel habet esse ut id quo suppositum simpliciter existit; et id quidem vel ad modum partis metaphysicae, cuiusmodi est essentia substantialis; vel ad modum partis physicae substantialis, cuiusmodi sunt materia prima et forma substantialis, vel ad modum partis integralis, cuiusmodi est ex. gr. manus vel pes; vel ad modum partis accidentalis, cuiusmodi sunt omnia accidentia realia. Iamvero hucusque enumerata complectuntur omnia quae quocumque modo concipiuntur aut existunt. Ergo ens universalissime acceptum pro eo *quod suo modo habet esse*, praedicari potest de omnibus quae quocumque modo concipiuntur aut existunt.

14. **Corollarium.** Ex dictis apparet vocabulum ens, quod universalissime accipitur, sumi nominaliter in formali significatione essentiae cum connotatione actus essendi et subiecti.

Etenim alii modi sumendi nomen ens non possunt habere nisi acceptionem limitatam. Siquidem ens participialiter sumptum limitatur ad entia, quae habent existentiam exercitam, ens nominaliter sumptum in formali significatione *existentiae signatae* et in connotatione essentiae limitatur ad entia, quae considerantur ut existentia signate. Ens autem nominaliter sumptum in formali significatione essentiae cum connotatione essendi et subiecti non limitatur ad entia vel exercite vel signate existentia, sed recte extenditur ad omnia, quae quovis modo sunt vel esse possunt. Quidquid enim quocumque modo est vel esse potest, necesse est ut habeat aliquam essentiam secundum quam ei competat esse vel simpliciter vel secundum quid (1).

OBIECTIONES.

15. **Obiect. 1ª.** Suppositum est maxime ens, quia est *id quod est*. Atqui si ens sumitur nominaliter in formali significatione essentiae etc., limitatur ad essentias ut sic. Ergo descriptio data non exhibet ens generalissime sumptum.

Resp. *Conc. mai.*

Dist. min. Si vocabulo ens significaretur tantummodo essentia, *Conc.*, si significatur formaliter essentia cum duplici connotatione actus essendi et subiecti seu suppositi, ut dictum est in praenotandis, *Nego.*

Obiect. 2ª. Omne concretum proprie et principaliter significat formam et solum per connotationem importat subiectum. Sed ens est

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 18. a. 2. ad 2. et qq. dd. de Pot. q. 7. a. 2. ad 1.

quoddam concretum, quod exhibet *esse* ut exercens formalem effectum in aliquo subiecto. Ergo ens proprie dici non debet id cui competit esse. sed significat hoc ipsum quod est *esse;* licet illud exhibeat concrete et non abstracte.

Resp. *Dist. mai.* Si sit nomen suppositi, sive proprium ut *Petrus*, sive commune ut hypostasis vel persona, *Nego*, si non sit nomen suppositi, *Subdist.* In formis specialibus seu non transcendentibus, *Conc.*, in formis generalibus seu transcendentibus, *Nego* (1). *Contrad. min.* Ens est quoddam concretum transcendentale, *Conc.*, non transcendentale, *Nego.* Concreta non transcendentalia habent tantum unam significationem formalem, quae est significatio formae expressae per nomen. V. g. album, cum sit concretum non transcendentale, significat formaliter tantum albedinem. Concreta autem transcendentalia, quae propter suam transcendentem universalitatem de quolibet apprehenso dicuntur, possunt habere multiplicem suppositionem formalem, modo secundum unam rationem formalem, modo secundum aliam, quia istae mutuo non excluduntur.

Nota. Hanc universalitatem praedicationis esse analogicam apparet consideranti hos modos essendi esse *simpliciter diversos* et *secundum quid* eosdem tum ratione proportionalitatis, quia unumquodque se habet ad sibi respondens esse, sicut aliud ad suum; tum ratione dependentiae unius entis ab alio, quae dependentia et ordo unius ad aliud fundant analogiam attributionis; sed de his agemus inferius.

THESIS II.

Ens est transcendens relate ad sua inferiora.

PRAENOTIONES.

16. Transcendens relate ad aliquam rem dicitur « id cuius intellectus includitur in omnibus quaecunque quis de re apprehendit » (2). Unde si res habeat differentias, sive specificas sive individuales, quibus ab aliis rebus secernitur, in his quoque includi debet conceptus obiectivus illius quod est transcendens respectu talis rei. Tale autem poterit esse tantum id quod denominatur *ab ea formalitate*, quae est *formalis respectu omnium quae in re sunt;* cuiusmodi est tantum *ultima rei actualitas*, nempe *esse* a quo aliquis denominatur *ens.* Idcirco S. Thomas (3) ait « Ipsum esse est perfectissimum omnium ; comparatur enim

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Verit. q. 21. a. 4. ad 4.
(2) 1. q. q. 94. a. 2.
(3) in 1. p. q. 4. ad 3. um.

ad omnia ut actus, nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum est; unde ipsum esse est actualitas omnium rerum atque etiam ipsarum formarum. Unde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum (i. e. ut potentia ad actum), sed magis sicut receptum ad recipiens (i. e. ut actus ad potentiam). Cum enim dico esse hominis, vel equi, vel cuiusque alterius, ipsum esse consideratur ut formale et receptum, non autem ut illud cui competit esse » (1). Quum igitur esse sit formalissimum respectu omnium quae in re sunt, quum sit ultima actualitas rei et omnium partium eius, sequitur rationem ab esse denominatam, videlicet rationem entis, esse rationem *transcendentem*. Quidquid enim quis apprehendit de re includit intellectum *entis*, nempe quod sit *aliquid cui competit esse*. Ex. gr. quidquid de aliquo homine apprehendat, in hac apprehensione includitur intellectus entis. Nam et supposito, id est personae humanae competit esse *ut ei quod est* homo, et essentiae humanae competit esse *ut ei qua* homo est homo tamquam per formam metaphysicam, et animae humanae competit esse *ut ei qua* homo est homo tanquam per formam physicam, etc.

17. Inferiora entis sunt quae se habent ad rationem entis ut partes subiectivae ad totum universale improprie dictum. Sicut enim in Log. min. n. 78. diximus, totum *universale* dividitur in *proprie* et *improprie* dictum; ita ut totum universale *improprie* dictum habeatur quando *forma* seu *ratio* totius invenitur *per se* sed non *univoce* in partibus subiectivis. Iam vero huiusmodi est ratio entis quae de suis inferioribus praedicatur quidem *per se* et *essentialiter ;* sed secundum rationem proportionalem, ut in seq. Quaest. demonstrabimus. Quare divisio entis in sua inferiora est *essentialis* et *analogica*, id est *analogi secundum proportionalitatem in sua analogata;* ad quae ens se habet *ad modum totius potentialis universalis* (Log. n. 77.).

PROBATUR.

18. Illud est transcendens relate ad aliquam rem, cuius intellectus includitur in omnibus quaecunque quis de re apprehendit. Atqui intellectus entis includitur in unoquoque ex inferioribus eius et in qualibet eorum parte. Ergo ens est transcendens relate ad sua inferiora.

Prob. min. Ratio significata per nomen *ens* generalissime acceptum est *id cui suo modo competit esse*. Atqui omnia inferiora divisim accepta, eorumque constitutiva sunt id cui suo modo competit esse vel in intellectu tantum, vel etiam a parte rei; vel per identitatem, vel per

---

(1) Cfr. 1. p. q. 8. a. 1. « Esse autem est illud quod est magis intimum etc... ».

receptionem; vel tanquam id quod est, vel tanquam id quo aliquid est, atque id quidem vel substantialiter, vel secundum aliquem essendi modum accidentalem etc... Ergo ens est transcendens relate ad sua inferiora.

19. **Corollarium 1.** *Notio entis est extensione maxima, comprehensione minima, ac proinde imperfectissima in repraesentando.*

Est quidem extensione maxima, quia eius praedicatio extenditur ad omnia, quae quocumque modo aliquod esse habent sive intentionale, sive reale. Est comprehensione minima, quia nulla notio pauciores notas de re exhibet, quam notio entis, quae importat *id quod est.* Est igitur imperfectissima in repraesentando et confusissima, quia qui tantum cognoscit de aliqua re eam esse ens, minimum de re novit, nec valet eam a qualicumque alia re discernere.

Corollarium 2. *Simplicitas notionis entis non est simplicitas perfectionis, totius, et actus, sed est simplicitas imperfectionis, partis, et potentialitatis.*

Etenim, quum notio entis sit maxime abstracta *abstractione secundum quid dicta* a suis inferioribus, exhibet minimum quod de re aliqua concipi potest, et est in potentia ut *per additiones improprie dictas* descendat ad sua inferiora. De quo descensu loquemur in quaestione sequenti. Interim apparet infinitum discrimen, quod intercedit inter ens simplicissimum simplicitate perfectionis, totius et actus subsistentis, quod est actus purissimus subsistens, nempe Deus, et inter ens simplicissimum simplicitate imperfectionis et potentialitatis, quod est *ens transcendens*, quod importat notionem analogicam universalissimam et confusissimam, quae propter paucitatem notarum, quibus constat, extenditur praedicabilitate sua ad omnia, quae quocumque modo aliquod esse habent sive reale sive intentionale.

THESIS III.

Conceptus obiectivus entis, quatenus importat ***id cui suo modo competit esse,*** licet aliquam compositionem praeseferat, tamen est simplicissimus omnium conceptuum nostrae mentis, ea simplicitate quam superius in Corollario 3. diximus importare imperfectionem potentialitatis.

PROBATUR.

20. Quum intellectus noster suum obiectum a re sensibili desumat in qua subsistens est ens compositum, partes autem subsistentis se habent ad invicem et ad totum ut potentia ad actum; nequimus quidquam concipere nisi vel ad modum subsistentis compositi ex

potentia subiectiva et actu, vel ad modum partis sive materialis, sive formalis; ita quidem ut ipsam potentiam subiectivam nequeamus concipere nisi per ordinem ad actum, neque actum, nisi per ordinem ad potentiam. Hinc fit ut nequeamus concipere rationem essentiae nisi per ordinem ad existentiam, neque rationem existentiae nisi in ordinem ad essentiam. Ergo quoties concipimus ipsam rationem essentiae, eius conceptus non est simplicior conceptu entis, quum includat ordinem ad existentiam; neque conceptus existentiae est simplicior conceptu entis, quum includat ordinem ad essentiam, et ideo recte dicimus essentia est *ens ut quo* aliquid existit tamquam per potentiam receptivam actus essendi; *existentia* est *ens ut quo* aliquid existit tamquam per actum ab essentia receptum.

Atque id valet non solum pro conceptibus abstractis abstractione praecisiva totali; sed etiam pro abstractis abstractione praecisiva formali seu partiali, quas abstractiones esse secundum considerationem diximus in Logica Mai. (167. et seqq.). Etenim quidquid intellectus noster concipit ad modum formae abstractae, concipit ut id *quo aliquid est.* Quod autem ita concipitur, semper concipitur cum aliqua connotatione subiecti, quod per ipsum est. Sic nequimus concipere *humanitatem,* nisi tamquam formam metaphysicam qua homo est homo; neque *entitatem,* nisi ad modum formae metaphysicae qua ens est ens; neque ipsam rationem abstractam *existentiae,* nisi sicut id *quo* aliquid existit etc. Quum igitur hi simplicissimi conceptus nequeant quidquam repraesentare, *nisi habita ratione subiecti;* pronum est inferre eos non esse simpliciores conceptu entis, quinimmo universalissimam rationem entis etiam de eis praedicari, ut ex Praenotionibus et ex Thesi 1. manifestum est.

THESIS IV.

Facta distinctione inter modum significandi et perfectionem significatam; nomen concretum *ens,* non quoad modum significandi, sed quoad perfectionem significatam potest *proprie* (idest *non metaphorice*) dici de Deo.

PRAENOTIONES.

21. *a)* Ea quae sunt simplicissima, quando concipiuntur a nobis ut subsistentia, semper concipiuntur in aliqua concretione seu compositione. Eo autem modo, quo concipiuntur, etiam vocabulis significantur; quamvis per reflexionem iudicii hunc defectum corrigamus. Cuius ratio est, quia obiectum intensive proprium nostri intellectus est quidditas

rei materialis a rebus sensibilibus abstracta, quae est essentialiter composita. « Quantum ad modum significandi (ait S. Thomas) (1) omne « nomen cum defectu est. Nam nomine rem exprimimus eo modo, quo « intellectu concipimus. Intellectus autem noster a sensibilibus cogno-« scendi initium sumens, illum modum non transcendit, qui in rebus « sensibilibus invenitur, in quibus aliud est *forma* et *habens formam* « propter formae et materiae compositionem. *Forma* vero in his rebus « invenitur quidem simplex, sed non perfecta, utpote non subsistens. « *Habens* autem *formam* invenitur quidem subsistens, sed non simplex, « imo concretionem habens. Unde intellectus noster quidquid significat « ut subsistens, in concretione significat; quod autem ut simplex, non « ut *quod est*, sed ut *quo est* ».

b) Nos accipimus adverbium *proprie* non quatenus opponitur *communi*, sed quatenus opponitur *metaphorico*. Etenim nomen ens habet communitatem analogiae proportionalitatis propriae, non metaphoricae.

PROBATUR PRIMA PARS.

22. Nomen ens, quum importet id quod denominatur ab *esse* utpote *habens esse*, exhibet quoad modum significandi aliquod concretum, in quo *esse* apparet distinctum realiter ab essentia sicut actus a potentia subiectiva. Atqui in Deo actu purissimo, esse non est realiter distinctum ab essentia, sed re sunt prorsus unum et idem. Ergo quoad modum significandi nomen *ens* proprie non competit Deo; sed Deus deberet potius dici *supra omne ens*, vel *ipsum esse subsistens.*

PROBATUR SECUNDA PARS.

23. Nomen ens quoad perfectionem significatam designat aliquid, quod habet perfectionem essendi, praescindendo a modo quo eam habet, nempe sive per participationem sive per identitatem. Atqui Deus est actus purissimus, qui identificatur cum ipsa perfectione essendi per se subsistente. Ergo nomen ens quoad perfectionem significatam potest cum veritate et proprie dici de Deo.

Obiicies. Omnis intellectus intelligens rem aliter ac est, est falsus. Sed intellectus intelligens Deum concrete ut ens ad modum alicuius compositi, intelligit eum aliter ac est. Ergo Deus neque concipi neque vocari potest ens.

Resp. Si illud *aliter* referatur ad rem intellectam, *Conc.*, si ad mo-

(1) C. G. L. 1. c. 30.

dum intelligendi, *Nego. Contrad. min.* Si intellectus iudicaret Deum in se esse compositum, *Conc.*, si per iudicium corrigit imperfectionem sui conceptus, *Nego* (1).

THESIS V.

Nomen concretum *ens*, quatenus primaria significatione accipitur pro *existente*, non est praedicatum stricto sensu essentiale rerum contingentium ; sed lato sensu tantum. Quatenus autem secundaria significatione accipitur pro sola *essentia* in praecisione ab existentia, est praedicatum stricto sensu essentiale omnium.

PRAENOTIONES.

24. *a)* Praedicatum *stricto sensu essentiale* dicitur illud nomen, quod denominatur a tali forma, quae negari de aliqua re, salvo conceptu essentiae rei, nequit. Sic *rationalis* praedicatur de *homine.*

b) Praedicatum *lato sensu essentiale* dicitur illud nomen, quod denominatur a tali forma, quae licet negari de aliqua re, salvo conceptu essentiae rei, possit, quum contingenter tali essentiae adveniat; eam tamen non trahit ad aliud praedicamentum. Talis forma est in ente contingente *esse existentiae* relate ad essentiam cuius est ultima actualitas.

PROBATUR PRIMA PARS.

25. Praedicatum stricto sensu essentiale dicitur illud nomen, quod denominatur a tali forma, quae negari de aliqua re, salvo conceptu essentiae rei, nequit. Atqui, salvo conceptu essentiae rei contingentis, negari potest de ea quod sit existens; quia res contingentes, de quarum essentia non est existere, non necessario existunt. Ergo nomen concretum ens, quatenus primaria significatione accipitur pro *existente,* non est praedicatum stricto sensu essentiale rerum contingentium.

PROBATUR SECUNDA PARS.

Praedicatum lato sensu essentiale dicitur illud nomen, quod denominatur a tali forma, quae licet negari de aliqua re, salvo conceptu essentiae rei, possit, quum contingenter tali rei adveniat, eam tamen non trahit ad aliud praedicamentum. Atqui ita se habet nomen *ens*

(1) Cfr. 1. p. q. 13. a. 12. ad 3.

primaria significatione acceptum pro *existente* relate ad rem contingenter existentem. Etenim denominatur ab actu essendi, qui licet contingenter rei creatae adveniat et ideo, salvo conceptu essentiae rei, negari de ea possit; tamen rem creatam actuando, eam non trahit ad aliud praedicamentum. Unde *esse* quo existit substantia dicitur substantiale; *esse* autem quo existit accidens dicitur accidentale. Ergo nomen *ens* quatenus importat existens, seu ipsum compositum ex essentia et existentia, est praedicatum lato sensu essentiale uniuscuiusque rei.

PROBATUR TERTIA PARS.

Praedicatum stricto sensu essentiale dicitur illud nomen, quod denominatur a tali forma, quae negari de aliqua re, salvo conceptu essentiae rei, nequit. Atqui nomen *ens*, quatenus secundaria significatione accipitur pro sola *essentia*, in praecisione ab existentia, est huiusmodi ut negari nequeat de re creata, salvo conceptu eius essentiae; quia quod nullam habet essentiam, neque esse neque concipi potest. Ergo nomen ens, quatenus importat solam essentiam, in praecisione ab existentia, est praedicatum stricto sensu essentiale omnium.

Corollarium. Non quoad modum significandi, sed quoad perfectionem significatam, nomen *ens*, primaria significatione acceptum pro *existente*, est praedicatum stricto sensu essentiale solius entis necessarii, de cuius essentia est existere, nempe Dei, qui est ipsum esse subsistens.

OBIECTIONES CONTRA THESES PRAECEDENTES.

26. *a)* **Obiicientibus** *contra simplicitatem entis transcendentis:* Ens simplicissimum est actus purus. Sed ens transcendens non est actus purus. Ergo ens transcendens non est simplicissimum.

Respondebis: *Dist. mai.* Ens simplicissimum simplicitate importante perfectionem actus et completionis, est actus purus, *Conc.*, ens simplicissimum simplicitate importante imperfectionem potentialitatis et indeterminationis. *Nego. Contrad. min. et nego conseq.* Solutio patet ex dictis sub. n. 11.

b) **Obiicientibus** *contra entis transcendentis universalitatem:* Notio universalis est univoca. Atqui notio entis non est univoca. Ergo ens transcendens non est universale.

Respondebis: *Dist. mai.* Notio universalis stricte dicta est notio univoca, *Conc.*, notio universalis late dicta, *Nego. Dist. min.* Notio entis ita est non univoca, ut sit aequivoca a casu, *Nego*, ut sit aequivoca a consilio seu analogica analogia proportionalitatis propriae,

Conc. Dist. conseq. Ens transcendens non est universale stricte dictum, *Conc.*, late dictum, *Nego.* Haec fient clariora ex dicendis de analogia entis. Interim cfr. Logic. nn. 39 et 78.

Instantibus: Ens importat talem notionem, cui nulla fit additio. Atqui ens, cui nulla fit additio, est ipsum ens perfectissimum, nempe Deus. Ergo notio entis nullo pacto est universalis, sed competit soli Deo.

Resp. Ens importat talem notionem, cui nulla fiat additio, quatenus *positive* excludat omnem additionem, *Nego*, quatenus eas neque includat neque excludat, quum ad modum totius potentialis analogici praecisione improprie dicta ab omnibus additionibus praescindat, *Conc. Contrad. min.* Ens, quod *positive* excludit a se omnem additionem, est ipsum ens perfectissimum, nempe Deus, *Conc.*, ens quod *negative* se habet ad omnes additiones, quatenus ab eis praescindit, *Nego. Nego conseq.* Solutio plene patebit ex dicendis in quaestione sequenti (1).

c) **Obiicientibus** *contra essentialem praedicationem entis de omni re:* Nomen quod denominatur a forma extrinseca essentiae non est praedicatum essentiale. Atqui nomen concretum *ens* denominatur ab actu essendi, qui est extrinsecus essentiae rei creatae. Ergo nomen *ens* non est praedicatum essentiale omnium.

Respondebis: *Dist. mai.* Nomen quod denominatur a forma extrinseca essentiae non est praedicatum essentiale *stricto sensu* dictum, *Conc.*, *lato sensu*, *Subdist.* Si forma denominans trahat rem ad aliud praedicamentum, ut quantitas, qualitas et similia, *Conc.*, secus, *Nego. Contrad. min.* Actus essendi, a quo denominatur ens, ita est extrinsecus essentiae, ut eam non trahat ad aliud praedicamentum, quum se habeat ad essentiam ut proprius actus ad propriam potentiam in ordine existentiae, *Conc.,* ita est extrinsecus essentiae, ut eam trahat ad aliud praedicamentum, *Nego.* Solutio patet ex dictis in Thesi 4.

---

(1) Cfr. S. Th. in 1. sent. Dist. 8. q. 4. a. 1. ad 1.

QUAESTIO II.

DE DESCENSU NOTIONIS ENTIS AD SUA INFERIORA.

PRAENOTIONES.

27. **Quid sit descensus ad inferiora.** Notio aliqua communis dicitur descendere ad sua inferiora, quum per intellectuales additiones ulteriorum notarum determinatur ad aliquod ex suis inferioribus adaequate et distincte repraesentandum, ita ut ei soli conveniat. Et ideo conceptus novus, ex additionibus priori conceptui factis resultans, differt a primo in comprehensione et extensione.

Quum autem notio aliqua communis possit esse universalis vel universalitate proprie dicta, vel universalitate improprie dicta, prouti est vel univoca vel analoga, etiam *additiones*, quas suscipit, et *inferiora*, ad quae descendit, erunt vel *proprie* vel *improprie* dicta.

Additiones proprie dictae habentur, quum ulteriores notae sunt extra rationem formalem conceptus, cui adduntur. Sic differentiae specificae sunt additiones proprie dictae, per quas notio generica descendit ad sua inferiora, quum earum ratio formalis sit extra rationem formalem generis, cui adduntur ad constituendas notiones specificas. Similiter notae seu differentiae individuales sunt extra rationem formalem naturae specificae, cui adduntur, ad constituendum conceptum repraesentativum alicuius individui singularis.

Additiones improprie dictae habentur, quum ulteriores notae non sunt extra rationem formalem conceptus cui adduntur, sed important *distincte totum id*, quod *confuse* importabat *in sua formali ratione* notio, cui adduntur; videlicet sunt modi magis expliciti significandi totum id, quod formaliter, sed confuse significabat conceptus, quibus additae fuerunt.

Sic quum nomen *ens* denominetur ab actu essendi, qui est maxime determinatus, (ens enim significat id *quod habet suum esse*); impossibile est invenire aliquod determinans extra formalem rationem entis; et ideo notio entis non contrahitur ad inferiora per *additionem proprie dictam*, sed per additionem *improprie* dictam; videlicet non contrahitur per aliquam differentiam sive specificam, sive individualem, quae sit extranea formali rationi entis; sed contrahitur seu descendit ad inferiora *per determinatiorem expressionem* eiusdem conceptus entis, qui se habet ad eam ut conceptus confusus ad conceptum distinctum.

Et sane, *ens* importat id quod *suo modo* habet esse. Donec igitur remanet indeterminatum, quinam sit *ille modus essendi;* conceptus entis remanet in sua analogica universalitate; et potest unicuique convenire eorum, quibus *aliquo modo* competit esse, atque exprimitur tantum nomine *entis*, cuius obiectiva unitas *non est unitas simpliciter* dicta, sed est *unitas proportionalitatis* (ut ex Quaest. seq. patebit). Quando autem determinatur cuinam referendus sit modus essendi; conceptus cessat esse analogice universalis, et potest tantum convenire ei, cui *determinato modo* competit esse; atque non amplius exprimitur nomine *entis*, sed determinato nomine respondente determinato modo essendi, puta *nomine substantiae*, vel cuiuscumque ex inferioribus entis.

Attamen quum haec determinatio non sit facta per additionem proprie dictam alicuius differentiae, quae sit extranea rationi entis; sed solum distincte exprimendo totum id, quod iam in confuso per nomen *ens* designabatur; hinc fit ut idem nomen *ens* tum de *substantia*, tum de *quantitate*, tum de aliis possit praedicari in suppositione *secundum quid eadem, sed simpliciter diversa.* Nam quum dico: substantia est ens, dico substantiam esse id cui *suo modo* competit esse, videlicet *in se et non in alio;* quum dico: quantitas est ens, dico quantitatem esse id cui *suo modo* competit esse, videlicet *in substantia* tamquam eius *mensurativum* seu extensivum etc.

Hinc recte ait Caietanus (1) rationi entis respondere conceptum imperfectum et perfectum; *conceptum imperfectum* esse *unum* non quidem unitate simpliciter dicta, sed unitate proportionalitatis; conceptus autem *perfectos esse totidem* quot sunt ea, quibus *suo modo* competere potest esse, nempe posse absque limite multiplicari, atque designari nominibus alicui ex inferioribus entis propriis, puta nomine substantiae, quanti, qualis etc.

Abstractio proprie et improprie dicta. Descensui seu contractioni notionis communis ad sua inferiora opponitur eius abstractio ab inferioribus. Itaque *abstractio proprie dicta* habetur, quum formalitas notionis abstractae est diversa a formalitate eius, a quo fuit abstracta. Id contingit quum genus abstrahitur a specie, vel species ab individuo; ex. gr. quum abstraho animal ab homine, vel hominem a Petro. Differentia enim *rationale* est formaliter diversa a genere *animal;* et principia individualia Petri sunt formaliter diversa a natura specifica hominis.

---

(1) Opusc. De Nominum Analogia cap. 1.

Abstractio improprie dicta habetur, quum formalitas notionis abstractae non est diversa a formalitate eius a quo fuit abstracta, sed se habet ad hoc, ut conceptus confusus ad conceptum distinctum eiusdem omnino rei et perfectionis. Id contingit quum notio entis abstrahitur ab aliquo ex inferioribus eius, puta a substantia. Etenim *ens* seu *id quod habet suum esse,* importat in confuso totum id quod distincte importat ex. gr. substantia, cuius esse est *esse in se* et *non in alio.* Recole dicta sub num. praeced.

Descensus mediatus et immediatus. Ex hucusque dictis apparet quid sit descensus mediatus vel immediatus alicuius notionis ad sua inferiora. Etenim *descensus mediatus* habetur quum notio aliqua communis applicatur alicui ex suis inferioribus mediante differentia, quae est extra rationem formalem eius. Sic animal descendit ad hominem mediante differentia *rationalis.* Quo in casu passiones propriae superioris non sunt eadem atque passiones propriae notionis inferioris. Sic passiones propriae animalis, puta esse dormitivum et vigilativum, non sunt passiones propriae rationalis in quantum huiusmodi, quia pertinent ad vitam sensitivam in quantum sensitivam.

Descensus immediatus habetur quum notio aliqua applicatur alicui rei, nulla mediante differentia, quae sit extra formalem rationem eius; et hoc ideo, quia formaliter sed confuse importat totum id quod distincte importat res cui applicatur. Quo in casu passiones propriae notionis descendentis sunt propriae passiones rei cui applicatur. Sic descendit notio entis ad sua inferiora, ut ex superius dictis iam satis est manifestum atque ex dicendis ulterius patebit. Et ideo passiones propriae entis, quae sunt *unum*, *verum*, *bonum*, inveniuntur in omnibus inferioribus eius, ut eorum propriae.

Nota. Nomen importans notionem, quae mediate descendit ad inferiora, dicitur *significare mediate inferiora.* Sic nomen *animal* significat mediate hominem et aequum, nempe mediantibus differentiis *rationalis* et *irrationalis hinnibilis.*

Nomen autem importans notionem, quae immediate descendit ad inferiora, dicitur significare haec immediate. Sic nomen *ens* significat immediate substantiam et accidens. Nam tum substantia tum accidens sunt *id quod habet suum esse.*

THESIS VI.

Notio transcendens entis per additiones improprie dictas descendit ad praedicamenta.

PROBATUR.

28. Ut aliqua notio communis descendat ad inferiora per additiones proprie dictas, necesse est ut in sui formali ratione non includat formalitatem differentiae additae. Atqui ens, quum importet id quod habet suum esse, includit in sua formali ratione omnem modum essendi. Ergo impossibile est ut ens descendat ad inferiora per additiones proprie dictas.

Insuper, ut ex Corollario 1. Thesis I. constat, ens est transcendens, quia quidquid, quocumque modo habet esse, est ens. Iamvero extra formalem rationem habentis esse, nihil inveniri potest. Ergo notio entis nequit contrahi ad inferiora per additiones, quae sint extra formalem rationem entis.

Attamen descendit ens ad decem praedicamenta per additiones improprie dictas. Nam ea notio descendit ad inferiora per additiones improprie dictas, quae in sua formalitate importat confuse totum id quod inferiora important in eorum formalitate distincte. Atqui notio entis, quae importat id quod habet suum esse, importat confuse et formaliter totum id quod important formaliter inferiora eius. Nam substantia est res, quae habet suum esse, idest *in se;* quantitas est res, quae habet suum esse, idest *in alio* ut eius mensurativum; qualitas est res, quae habet suum esse, idest *in alio* ut eius dispositivum, etc. Ergo ens descendit ad decem praedicamenta per additiones improprie dictas.

Id autem ideo contingere potest notioni entis, quia est notio analogica secundum proportionalitatem propriam, ut ex dicendis in Quaestione sequenti apparebit et iam satis constat ex dictis sub n. 25. Unde conceptus entis est unus non unitate simpliciter dicta seu definitionis *sed unitate proportionalitatis.*

29. **Corollarium 1.** Ex modo dictis apparet nomen ens significare immediate sua inferiora, qui non descendit ad ea mediante aliqua differentia, quae sit extra suam formalem rationem, sed per explicitam designationem formae a qua denominatur, nempe τοῦ actus essendi. Hanc ob causam passiones propriae entis, nempe quod sit unum, verum, bonum, sunt passiones propriaè inferiorum eius. Nam quidquid quocumque modo existit est suo modo unum, verum et bonum, nempe

vel *ut quod*, vet ut *quo*, vel ut *actus*, vel ut *potentia*, vel ut *totum*, vel ut *pars*.

30. **Corollarium 2**. Ens quod descendit ad praedicamenta importare ens reale creatum patet ex eo, quod nihil potest esse in praedicamento, nisi sit compositum ex potentia et actu vel in utroque ordine tum essentiae tum existentiae, vel saltem in ordine existentiae, ut demonstravimus in Logica Maiori Thesi 5ª et Corollariis. Iamvero ens increatum, seu Deus, est ipsum esse subsistens seu actus purissimus subsistens absque ulla compositione sive in ordine essentiae sive in ordine existentiae. Ergo ens quod descendit ad praedicamenta est ens reale creatum. Hinc fit ut ens simplicissimum subsistens, nempe Deus (cuius simplicitas est perfectionis et actus) distinguatur ab omni alio *per puritatem sui esse*, nempe quia est ipsum esse subsistens quod importat plenitudinem omnis purae perfectionis subsistentis, ut patebit ex dicendis in Theologia.

OBIECTIONES.

31. Scotus eiusque schola, quum profiteantur univocitatem entis, multa obiiciunt contra doctrinam S. Thomae, quae sola salvat discrimen inter creaturam et creatorem. Scoti argumenta Cardinalis Caietanus (Opusc. De Ente et Essentia cap. I. et II.) fideliter retulit atque disiecit. Nos praecipuas scholae scotisticae obiectiones, quas post Caietanum auctores recentiores afferunt atque solvunt, suis locis afferemus et paucis in forma dissolvemus. Earum enim solutio facile patebit, si prae oculis habeantur ea quae in praenotionibus atque demonstrationibus gradatim declaravimus.

32. **Obiect. 1ª**. Notio universalis descendit ad inferiora per additiones proprie dictas. Atqui notio entis est universalis, quia de pluribus praedicatur. Ergo descendit ad inferiora per additiones proprie dictas.

Resp. *Dist. mai.* Notio stricte dicta universalis seu univoca, *Conc.*, notio late dicta universalis, seu analogica, *Nego*, *Contrad. min.* Notio entis est *analogica Conc.*, est *univoca, Nego. Dist. rat. addit.* Notio entis praedicatur de pluribus, tamquam convenientibus in unitate aliqua simpliciter dicta seu *definitionis. Nego*, tamquam convenientibus in unitate aliqua secundum quid dicta seu *proportionalitatis*, *Conc.* Cfr. n. 25.

Obiect. 2ª. Ens descendit ad substantiam, quae est *ens per se*, addendo *per se* seu *in se*; descendit ad accidens, quod est *ens in alio*, addendo *in alio*. Atqui *per se* et *in alio* sunt extra conceptum formalem entis communis. Ergo ens descendit ad inferiora per additiones proprie dictas.

Resp. *Dist. mai.* Ita ut τὸ *in se* et *in alio* sint modi essendi implicite contenti in ipsa formali ratione entis ut confusum in distincto, *Conc.*, ita ut sint extra ipsam formalem rationem entis, *Nego. Nego min.* et *conseq.* Conceptus entis, quum sit unus unitate proportionalitatis, quae importat aptam commensurationem essentiae ad suum esse, potest in sua formali ratione confuse repraesentare quidquid quocumque modo habet esse. Quapropter ideo in sua formali ratione applicari potest immediate omnibus quae habent aliquod esse, quia non habet unitatem simpliciter dictam seu definitionis, sed unitatem secundum quid dictam seu proportionalitatis. Quare sapienter dixit Caietanus conceptum confusum entis esse unicum, conceptus autem distinctos esse totidem quot sunt entia realia per proprium esse ab invicem diversa.

Obiect. 3[a]. In omni composito determinans et determinabile reducuntur ad diversa principia. Atqui in conceptu substantiae notio entis se habet ut determinabile, notio autem *per se* seu *in se* se habet ut determinans. Ergo additio, qua contrahitur ens ad substantiam, est extra formalem rationem entis, et ideo est additio proprie dicta.

Resp. *Dist. mai.* In composito reali, *Conc.*, in composito logico, *Subd.* Si determinans in sua formali ratione importat distincte totum id quod determinabile in sua formali ratione importat confuse, *Nego*, si determinans in sua formali ratione importat id quod determinabile in sua formali ratione nullo modo importat, *Conc. Contrad. min.* In conceptu subastantiae τὸ *habens esse per se* importat distincte totum id quod confuse et formaliter importat conceptus *entis*, nempe *habens suum esse*, *Conc.,* importat aliquid formaliter diversum, *Nego. Nego conseq.*

Solutio facile patet habenti prae oculis discrimen inter modum, quo intentio generis se habet ad intentionem differentiae, et modum quo intentio entis se habet ad intentionem substantiae vel alterius ex inferioribus eius (cfr. Logicam n. 182.). Forma, a qua denominatur nomen genericum, et forma, a qua denominatur nomen differentiale, important rationes seu definitiones omnino diversas, et ideo non possunt praedicari ad invicem nisi ratione subiecti seu in suppositione materiali, secus animal inquantum sensitivum esset rationale, quod est falsum. Forma autem, a qua denominatur ens, quum sit actus essendi qui est maxime determinatus, importat formaliter, licet confuse, totum id quod importat aliquod ex inferioribus entis. Et ideo, ut saepe diximus, nomen et conceptus entis non habent aliam unitatem nisi proportionalitatis, quae consistit in *apta commensuratione essentiae ad suum esse.* Hoc autem esse cuinam pertineat non dicit nomen et conceptus entis, sed

nomen et conceptus alicuius ex inferioribus entis, cui in enuntiatione copulatur praedicatum *ens.* Sic, quum dico *substantia est ens*, significo: substantia est id quod habet suum esse, nempe *in se* et non *in alio;* quum dico *accidens est ens,* significo: accidens est id quod habet suum esse, nempe *in alio;* etc.

Obiect. 4ª. Notio entis est potentialis. Sed notio potentialis suscipit additiones proprie dictas. Ergo notio entis suscipit additiones proprie dictas.

Resp. *Dist. mai.* Est potentialis univoca, quae inferiora continet in potentia, *Nego*, est potentialis analogica, quae inferiora continet actu, sed confuse, eo modo quem superius explicavimus, *Conc. Contrad. min.* Notio potentialis univoca, quae inferiora continet in potentia, recipit additiones proprie dictas, *Conc.,* notio potentialis analogica, quae inferiora continet actu, sed confuse, *Nego. Nego conseq.*

Obiect. 5ª. Praedicatum quidditativum excedens subiectum suscipit additiones proprie dictas, per quas coarctatur. Atqui ens est praedicatum quidditativum excedens subiectum. Ergo etc.

Resp. *Dist. mai.* Praedicatum quidditativum, quod importat formaliter gradum perfectionis diversum a gradu perfectionis subiecti, *Conc.,* praedicatum quidditativum, quod non importat gradum perfectionis diversum a gradu perfectionis subiecti. *Nego. Contrad. min.* Ens est praedicatum quidditativum importans gradum perfectionis diversum a gradu perfectionis subiecti, *Nego,* quod importat eumdem gradum, licet in confuso, quum importet *id quod habet suum esse*, *Conc. Nego conseq.*

Obiect. 6ª. Quando aliqua notio est diversa ab alia, nequit immediate significare idem. Atqui notio entis est diversa a notione substantiae, quantitatis, qualitatis etc. Ergo nequit immediate significare sua inferiora.

Resp. *Dist. mai.* Nequit immediate significare idem eodem modo, idest cum eadem distinctione, *Conc.*, nequit immediate significare idem diverso modo distinctionis, *Subdist.* Si importaret formalitatem diversam, *Conc.,* si importat eamdem formalitatem, licet sub quadam confusione, *Nego. Contrad. min.* Notio entis importat formalitatem diversam a formalitate denominante substantiam vel quantitatem vel qualitatem etc., *Nego*, importat eamdem formalitatem sub quadam confusione, vi cuius notio entis non apparet determinata sive uni sive alteri, *Conc. Nego conseq.*

Obiect. 7ª. Notio, quae importat rationem simpliciter eamdem, abstrahitur abstractione proprie dicta. Atqui notio entis importat rationem simpliciter eamdem, quia omnia entia, in quantum entia, dicunt

meram oppositionem nihilo. Ergo notio entis abstrahit ab inferioribus abstractione proprie dicta.

Resp. *Conc. mai. Nego min. Dist. rat. addit.* Omnia entia dicunt nihilo absoluto oppositionem *proportionaliter eamdem, Conc., simpliciter eamdem, Nego.* Etenim unumquodque ens opponitur nihilo per positivam suam realitatem, quae est diversa a positiva realitate alterius entis.

THESIS VII.

Notio entis non est generica, seu ens non est genus.

PRAENOTIONES.

33. In hac Thesi, quae est corollarium praecedentium, accipimus vocem genus et genericum stricto sensu, nempe pro ratione univoca quae descendit ad inferiora per differentias positas extra formalem rationem eius. Thesis multiplici argumento probatur a S. Thoma variis in locis, quae colligit Alamannus (1). Eorum summam in nostra demonstratione ponemus.

PROBATUR THESIS.

34. I. Genus descendit ad inferiora per differentias, quae sunt extra formalem rationem eius. Atqui nulla differentia inveniri potest extra formalem rationem entis, quod denominatur ab esse, quod est ultima actualitas omnis rei et omnis perfectionis. Ergo ens non est genus.

II. Si ens esset genus, deberet inveniri aliqua differentia, quae non esset id cui suo modo competit esse. Atqui hoc est impossibile, quia talis differentia esset merum nihilum. Ergo ens non est genus.

III. Cum genus ingrediatur definitionem rei, si ens esset genus deberet poni in omnium rerum definitione. Atqui id nequit fieri; quum enim ipsa differentia sit ens, bis poneretur ens in definitione, quod naturae definitionis repugnat. Ergo ens non est genus.

IV. Notio generica importat rationem simpliciter eamdem, in qua formaliter conveniunt omnia inferiora eius. Atqui notio entis importat rationem simpliciter diversam et tantum *secundum quid* seu *proportionaliter* eamdem. Nam ea, quae conveniunt in ratione entis, conveniunt in hoc quod unumquodque existat per suum esse, quod est simpliciter diversum ab esse alterius, quae convenientia non est in unitate formali

(1) Sum. Phil. 1. p. q. 9. art. 2.

sed in unitate tantum proportionali. Ergo notio entis non est generica, neque alio quocumque modo univoca, sed analogica.

V. Genus aequaliter dicitur de suis speciebus. Sed ens dicitur per prius de substantia, quam de accidente. Nam de accidente praedicatur per ordinem ad substantiam, a qua dependet in esse, et cuius a Philosopho (1) dicitur passio. Ergo ens non est genus.

OBIECTIONES.

35. Sequentes obiectiones desumptae sunt partim ex Alamanno, partim ex Caietano (in locis supra citatis).

Obiect. 1ª. Illud est genus, quod est naturaliter primum, quo scilicet interempto (idest destructo eius conceptu), caetera interimuntur. Sed interempto ente interimuntur omnes naturae rerum. Ergo ens est genus.

Resp. *Dist. mai.* Est genus lato sensu, *Conc.*, est genus stricto sensu, *Subdist.* Si caetera ab eo resultent per differentias seu additiones proprie dictas, *Conc.*, si per additiones improprie dictas, idest per expressiorem significationem eiusdem rei, *Nego. Conc. min. Dist. conseq.* Ens est genus late dictum, nempe est aliqua ratio *secundum quid* seu *proportionaliter* communis, *Conc.*, est genus stricte dictum, nempe est aliqua ratio *simpliciter* communis, *Nego.*

Obiect. 2ª. Philosophus (IV. Metaph. text. 3.) dicit omnia entia esse unius generis. Ergo ens est genus.

Resp. *Dist. ant.* Dicit ea esse unius generis late dicti, quatenus conveniunt in ratione analogice communi habentis esse, *Conc.*, unius generis stricte dicti, *Nego. Nego conseq.* Solutio patet legenti integrum contextum Philosophi.

Obiect. 3ª. Scientia est circa res unius generis, sed metaphysica est scientia de ente. Ergo ens est genus.

Resp. Scientia est circa res unius *generis scibilis,* quod est genus *late* dictum, *Conc.,* est circa res unius generis *praedicabilis,* quod est genus stricte dictum, *Ergo. Conc. min. Nego conseq.*

Obiect. 4ª. Quod praedicatur de pluribus differentibus specie, *in quid*, est genus. Atqui ens praedicatur de pluribus differentibus specie, *in quid.* Ergo ens est genus.

Resp. *Dist. mai.* Si praedicatur tantum de illis, *Conc.*, si praedicetur etiam de rebus aliorum praedicamentorum, *Nego. Contrad. min.* Ens praedicatur transcendentaliter de rebus etiam aliorum praedica-

---

(1) IV. Metaph. text. 2.

mentorum, *Conc.*, praedicatur tantum de pluribus differentibus specie, *in quid, Nego. Nego conseq.*

Obiect. 5ª. Omnes conceptus entium resolvuntur in ens in communi, et ab eo per additiones descendendo resultant. Atqui notio, in qua caeterae conceptiones resolvuntur, et a qua per additiones descendendo resultant, est notio generica vel univoca. Ergo ens est notio generica vel univoca.

Resp. *Dist. mai.* Si resolvantur per abstractionem proprie dictam, et resultent per additiones proprie dictas, *Conc.*, si per abstractionem et additiones improprie dictas, *Nego. Contrad. min.* Notio entis abstrahitur et contrahitur per abstractionem et additiones improprie dictas *Conc.*, proprie dictas, *Nego conseq.* Solutio patet ex Thesi V.

QUAESTIO III.

DE ANALOGIA ENTIS.

PRAENOTIONES.

36. Ne bis idem agamus, notiones supponimus, quas de variis analogiis in Logica tradidimus. Huc itaque sunt referenda quae ibi diximus a num. 29. ad 40. Addimus tantum ea, quae discrimen spectant inter univoca et analoga logica et univoca atque analoga physica.

37. **Discrimen inter univoca atque analoga logica et univoca atque analoga physica.**

a) Logice univoca dicuntur ea, quorum nomen commune est, ratio autem per nomen significata est *simpliciter* eadem *secundum intentionem*, etiamsi *secundum esse reale* sit in diverso gradu perfectionis. Sic ratio animalis abstracta ab *homine* et a *formica* est *simpliciter* eadem secundum intentionem, quia importat substantiam corpoream, viventem, sensitivam, sed a parte rei, idest secundum esse reale, perfectius participatur ab *homine* quam a *formica.*

b) Physice univoca dicuntur ea, quorum nomen commune est, ratio autem per nomen significata, est simpliciter *eadem* tum *secundum intentionem*, tum *secundum esse reale.* Ideo animal dictum de homine et formica, quamvis sit logice univocum, est physice analogum.

Ratio huius discriminis est, quia Logica considerat res tantum quatenus sunt in intellectu; quum versetur circa secundas intentiones, Physica autem considerat res quatenus sunt in suo esse reali existentes.

c) Logice analoga sunt ea, quorum nomen commune est, ratio autem per nomen significata est *simpliciter diversa* non solum secundum esse, sed etiam secundum intentionem; attamen est *eadem secundum quid* vel tantum secundum intentionem (ut contingit in analogia attributionis); vel tum *secundum esse* tum *secundum intentionem* (ut contingit in analogia proportionalitatis propriae).

38. **Corollarium 1.** Physice analoga sunt non solum ea omnia quae sunt logice analoga, sed etiam ea, quae licet sint simpliciter eadem secundum intentionem, sunt tamen diversa secundum esse.

Corollarium 2. Analogia physica latius patet, quam analogia logica; et ideo omnia ea, quae sunt logice analoga sunt etiam analoga

physice, sed non viceversa. Quare *ens*, quod est logice analogum est etiam physice analogum.

39. Haec ita S. Thomas proponit (1): « Dicendum quod aliquid di-« citur secundum analogiam tripliciter: vel *secundum intentionem tan-« tum et non secundum esse;* et hoc est quando una intentio refertur « ad plura per prius et posterius, quae tamen non habet esse nisi in « uno, sicut intentio sanitatis refertur ad animal, colorem et diaetam « diversimode, secundum prius et posterius; non tamen secundum di-« versum esse, quia esse sanitatis non est nisi in animali. Vel *secun-« dum esse et non secundum intentionem;* et hoc contingit quando plura « parificantur in intentione alicuius communis, sed illud commune non « habet esse unius rationis in omnibus, sicut omnia corpora parificantur « in intentione corporeitatis. Unde *Logicus*, qui considerat intentiones « tantum, dicit hoc nomen *corpus* de omnibus corporibus univoce prae-« dicari: sed esse huius naturae non est eiusdem rationis in corporibus « corruptibilibus et incorruptibilibus. Unde quantum ad *Metaphysicum* « et *Naturalem*, qui considerant res secundum suum esse, nec hoc « nomen *corpus* nec aliquid aliud dicitur univoce de corruptibilibus « et incorruptibilibus, ut patet 10. Metaph. (text. 5.) ex Philosopho « et Commentatore. Vel *secundum intentionem et secundum esse;* et « hoc est quando neque parificantur in intentione communi neque in « esse, sicut ens dicitur de substantia et accidente etc. »

THESIS VIII.

Ens non est pure aequivocum, neque univocum; sed quatenus *sensu communissimo* absolute accipitur pro *habente suum esse,* est analogum secundum proportionalitatem proprie dictam.

PROBATUR PRIMA PARS.

(Ens non est pure aequivocum).

40. I. Nam pure aequivoca sunt ea, quorum nomen commune est, ratio autem per nomen significata est omnino diversa. Atqui ratio significata per nomen ens, quamvis sit simpliciter diversa in entibus, tamen est secundum quid eadem, nempe proportionaliter (ut ex inferius dicendis patebit). Ergo ens non est pure aequivocum.

II. Ex pure aequivoco assumpto ut medio termino syllogismi, nequit illatio recte inferri. Atqui ex nomine et notione entis assumptis

---

(1) In. I. Sent. Dist. 15. q. 5. a. 2. ad 1.

tamquam medio termino, recte conclusio infertur: Ex. gr. quum arguo: Omne ens est bonum. Sed substantia est ens. Ergo substantia est bona, recte argumentor. Ergo ens non est pure aequivocum.

III. Ubi est pura aequivocatio, nomen aequivocum non imponitur ad significandam ullam habitudinem vel similitudinem inter aequivocata. Sic nomen canis dictum de constellatione caelesti ed de animali latrabili non imponitur ad significandam ullam habitudinem vel similitudinem inter stellas et canem terrestrem. Atqui nomen ens imponitur ad significandam habitudinem et similitudinem quamdam, quae intercedit inter entia. Ergo nomen ens non est pure aequivocum.

PROBATUR SECUNDA PARS.

(Ens non est univocum).

41. I. Univoca sunt ea quorum nomen commune est; ratio autem per nomen significata est *simpliciter eadem*. Atqui ratio significata per nomen ens, nempe habens esse, est simpliciter diversa in entibus, quum esse sit ultima actualitas uniuscuiusque, per quam unum differt ab alio. Ergo ens non est univocum.

II. Univoca sunt ea, quae habent eamdem habitudinem ad esse. Sic ea, quae conveniunt in eodem genere vel specie, quatenus ita conveniunt, univocam praedicationem suscipiunt; ex. gr. Petrus in quantum homo, suscipit univocam praedicationem *hominis* cum caeteris hominibus; in quantum animal suscipit univocam praedicationem *animalis* cum caeteris animantibus etc., non autem in quantum est *hic homo* seu in quantum est *Petrus,* quia per sua principia individualia distinguitur ab omni alia re. Iamvero habitudo Dei ad suum esse, quae est habitudo identitatis, est diversa ab habitudine creaturae ad suum, quae est habitudo participationis; similiter habitudo substantiae ad esse, quae est *habentis* esse *per se* seu *in se*, est alia ab habitudine accidentis ad esse, quae est *habentis* esse *in alio;* tandem habitudo uniuscuiusque individui ad suum esse, quae est habentis esse correspondens principiis individualibus est diversa ab habitudine alterius individui ad suum esse individuale. Ergo impossibile est ut nomen *ens* quod significat has diversas habitudines sit nomen univocum.

III. Tandem argumenta allata in Thesi 6. ad demonstrandum *ens non esse genus,* facile aptari possunt ad demonstrandam hanc partem huius Thesis, nempe ens non esse univocum.

PROBATUR TERTIA PARS.

(Ens quatenus sensu communissimo absolute accipitur pro habente suum esse est analogum secundum proportionalitatem proprie dictam).

42. I. Notio, quae importat convenientiam plurium in *unitate similitudinis habitudinum* uniuscuiusque ad formam sibi intrinsecam, sed simpliciter diversam a forma alterius, non est notio univoca sed analogica secundum proportionalitatem proprie dictam (ut constat ex dictis de hac analogia in Log. min. n. 35.). Atqui talis est notio entis, quatenus importat id quod habet suo modo esse, idest vel *in se* vel *in alio*, vel *ut quod* vel *ut quo*, vel *per essentiam* vel *per participationem* etc. Esse enim unius rei, quum sit maxime determinatum differt ab esse alterius, et est maxime intrinsecum unicuique, utpote ultima actualitas omnis realitatis, quae est in re. Ergo notio entis est analoga secundum proportionalitatem propriam.

II. Nomen analogum secundum proportionalitatem propriam est huiusmodi, ut importet notionem simpliciter diversam sed proportionaliter eamdem. Tale est ex. gr. nomen *principium* dictum de corde et de fundamento. Quamvis enim alio modo sit cor principium vitae, quam fundamentum principium domus; tamen recipiunt hoc nomen, quatenus conveniunt in quadam proportionali aequalitate; videlicet quemadmodum fundamentum sustentat domum, quae mediante resistentia fundamenti stat, similiter cor sustentat vitam animalis, quod mediante motu cordis moveri potest organice vitaliter. Unde haec aequalitas non est simpliciter dicta duorum terminorum, sed est aequalitas secundum quid dicta seu duarum proportionum habentium terminos vel re vel ratione diversos. Atqui id contingit in significatione nominis *ens* quatenus importat *id quod habet suo modo esse*. Ideo enim Deus et creatura, substantia et accidens dicuntur entia, quia, quemadmodum Deus per esse identificatum cum sua essentia, suo modo existit; similiter creatura per esse receptum in sua essentia, suo modo existit; et quemadmodum substantia habendo *esse in se,* suo modo existit; similiter accidens habendo *esse in alio*, suo modo existit. Quae convenientia, ut patet, non est in eadem forma, sed in eadem habitudine proportionali, non quantitativa sed transcendentali. Ergo nomen ens est nomen analogum secundum proportionalitatem propriam, non metaphoricam, quia nomen, a quo denominatur ens, desumitur a forma intrinseca unicuique analogato, nempe ab actu essendi (cfr. Log. min. n. 37.).

OBIECTIONES CONTRA PRIMAM PARTEM.

43. **Obiect. 1ª.** Ubi nulla est similitudo, nihil potest praedicari, nisi pure aequivoce. Sed inter substantiam et accidens nulla est similitudo, cum similitudo sit rerum differentium eadem qualitas. Ergo ens dicitur pure aequivoce de substantia et de accidente.

Resp. *Dist. mai.* Ubi nulla est similitudo, neque secundum formam eiusdem rationis, neque proportionalitatis, neque ordinis, *Conc.,* ubi est aliqua ex hisce similitudinibus, *Nego. Contrad. min.* Inter substantiam et accidens nulla est similitudo secundum formam eiusdem rationis, *Conc.,* nulla est similitudo proportionalitatis et ordinis, *Nego. Dist. rat. addit.* Similitudo stricte dicta seu secundum formam eiusdem rationis, est eadem qualitas idest convenientia in eodem gradu perfectionis, *Conc.,* similitudo latius dicta, seu proportionalitatis vel ordinis, *Nego. Nego conseq.* (1).

Obiect. 2ª. Plus differunt substantia et accidens, quae in nullo genere conveniunt, quam canis latrabilis et marinus, qui conveniunt in eodem genere. Sed canis latrabilis et marinus pure aequivocantur, in nomine canis. Ergo a fortiori substantia et accidens pure aequivoce dicuntur entia.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Canis latrabilis et marinus aequivocantur in nomine canis, quia hoc nomen non est impositum ad significandam aliquam rationem, in qua conveniunt, *Conc.*, quia nulla ratio communis in eis dari possit, quae alio nomine significetur, *Nego. Nego conseq.* Etenim nomen ens imponitur ad significandam aliquam rationem secundum quid communem, in qua substantia et accidens conveniunt.

Obiect. 3ª. Dicit Porphyrius (Isagoge c. 3.): Si quis omnia *entia* vocet, aequivoce nuncupabit et non univoce. Ergo ens dicitur aequivoce de substantia et accidente.

Resp. *Dist. antec.* Si quis omnia vocet *entia,* nuncupabit *aequivoce a consilio*, idest analogice, *Conc.*, *aequivoce a casu,* idest pure aequivoce, *Nego.*

Obiect. 4ª. Proprium est nominis pure aequivoci nullam dicere unitatem conceptus. Atqui ens nequit importare unitatem conceptus; secus praedicamenta non essent primo diversa. Ergo ens est pure aequivocum.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Ens nequit importare *unitatem absolutam* conceptus, *Conc.*, *unitatem proportionalem, Nego. Dist. rat. addit.*

(1) Cfr. Alamann. Sum. Phil. 4. p. q. 3. a. 1. 2.

Praedicamenta non essent primo diversa si unitas conceptus entis esset *absoluta* seu *simpliciter dicta*, *Conc.*, si est *proportionalis*, seu *secundum quid dicta*, *Nego.*

OBIECTIONES CONTRA SECUNDAM PARTEM.

(Etiam quoad has obiectiones conferantur Alamannus et Caietanus locis citatis et S. Thomas) (1).

44. **Obiect. 1ª.** Mensura et mensuratum sunt eiusdem rationis. Sed Deus est mensura creaturarum, in quantum creaturae sunt entia. Ergo ens importat rationem eamdem, et ideo est univocum.

Resp. *Dist. mai.* Mensura proprie dicta, *Conc.*, mensura improprie dicta, *Subdist.* Debent esse rationis *proportionaliter* eiusdem, *Conc.*, *simpliciter* eiusdem, *Nego. Contrad. min.* Est mensura improprie dicta, *Conc.*, est mensura proprie dicta, quae invenitur in praedicamento *quantitatis*, *Nego. Nego conseq.* Quum id, quod est primum vel minimum in genere quantitatis, ut unitas vel palmus, assumpta sint ad mensurandos numeros vel extensiones, nomen mensura translatum est ad significandum id, quod est primum, vel perfectissimum vel causa in quolibet genere ut in qualibet perfectione. Qui secundus sensus est translatitius et improprius vocis *mensura*. Quum igitur Deus sit suprema causa omnium entium, continens eminenter perfectiones suorum effectuum, dicitur improprio sensu mensura entium (2).

Obiect. 2ª. Quae communicant in forma, sunt univoca. Sed Deus et creatura communicant in forma entis, nempe in entitate. Ergo sunt univoca.

Resp. *Dist. mai.* Quae communicant in forma eiusdem simpliciter rationis, *Conc.*, rationis non simpliciter eiusdem, *Nego. Contrad. min. Nego conseq.*

Obiect. 3ª. Similia dicuntur ea, quae conveniunt in forma eiusdem simpliciter rationis. Sed creaturae dicuntur assimilari Deo. Ergo communicant in forma eiusdem simpliciter rationis.

Resp. *Dist. mai.* Quae conveniunt in forma eiusdem simpliciter rationis dicuntur similia *stricto sensu*, *Conc.*, *lato* tantum *sensu*, *Nego. Contrad. min.* Creaturae dicuntur lato sensu assimilari Deo, *Conc.*, stricto sensu, *Nego.*

Obiect. 4ª. Nihil cognoscitur nisi per speciem unius rationis. Sed Deus per suum esse cognoscit omnia entia. Ergo Deus est ens eiusdem

---

(1) 1. p. q. 13. a. 5. et qq. dd. de Pot. q. 7. a. 7.
(2) Cfr. S. Th. in 1. Sent. Dist. 8. q. 4. a. 2. ad 3.

rationis cum caeteris entibus, et idcirco ens dicitur univoce de Deo et creaturis.

Resp. *Dist. mai.* Per speciem unius rationis *in essendo*, *Nego.* Per speciem unius rationis *in repraesentando*, *Subdist.* Quatenus debeat repraesentare rem sicuti est, *Conc.*, quatenus limitari debeat ad eam rem tantum repraesentandam, *Nego. Dist. min.* Deus cognoscit res per suum esse, tamquam per speciem superexcedentem perfectione et comprehensione sua omnes res cognitas, *Conc.*, tamquam per speciem limitatam ad aliquod genus rerum cognoscendum, *Nego.*

Obiect. 5ª. Intellectus potest esse certus de aliquo quod sit ens, et potest dubitare utrum sit substantia vel accidens. Atqui conceptus certus nequit esse idem ac conceptus dubius. Ergo conceptus entis est diversus a conceptibus substantiae et accidentis, ac proinde est univocus (1).

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* nequit esse idem, eo quod diverso modo repraesentat eandem rem, *Conc.*, eo quod conceptus dubius debeat semper se habere ad conceptum certum ut ratio simpliciter abstracta, et non aliquando, ut in casu nostro, tamquam conceptus confusus ad conceptum distinctum eiusdem realitatis et formae, videlicet ut ratio abstracta abstractione improprie dicta, *Nego.* Solutio patet ex dictis in Quaest. II. de descensu entis ad sua inferiora. Caeterum ad hanc et similes obiectiones solvendas, prae oculis habeant inferiora univocorum contineri in suis superioribus tantum *in potentia*, sic species continetur in suis generibus; inferiora autem entis contineri in ratione analogice communi entis *in actu* sed *confuse.* Id autem contingit, quia ratio entis non est *simpliciter* una sed tantum *proportionaliter.* Unde *conceptus distincti* entis sunt tot, quot sunt inferiora eius.

OBIECTIONES CONTRA TERTIAM PARTEM.

45. **Obiect. 1ª.** S. Thomas passim docet ens dici de accidente secundum ordinem dependentiae a substantia, et de creatura secundum ordinem dependentiae a Creatore. Atqui sub hoc respectu ens esset analogum secundum attributionem. Ergo ens non est analogum secundum proportionalitatem.

Resp. *Dist. mai.* S. Thomas haec docet quando accipit *ens* vel *in sensu primario pro eo, quod habet esse ut quod*, vel *in sensu formali eminenti pro habente ipsam plenitudinem essendi*, *Conc.*, quando accipit ens absolute *in sensu communissimo pro habente suo modo esse*, *Nego.*

---

(1) Scotus in I. Sent. Dist. 8. q. 2.

Contrad. min. Nego conseq. Solutio melius patebit ex dicendis in Thesi VIII. et IX. Ad. S. Thomam quod attinet, in diversis locis diversimode loquitur pro diversa acceptione nominis ens (1).

Obiect. 2ª. Si ens diceretur proportionaliter de Deo et creatura, deberet intercedere inter esse divinum et esse creatum determinata proportio. Atqui inter infinitum et finitum nulla intercedit determinata proportio. Ergo ens nequit dici proportionaliter de Deo et creatura.

Resp. *Dist. mai.* Si esse divinum et esse creatum essent termini eiusdem proportionis, *Conc.*, si sunt termini diversarum proportionum, *Nego. Conc. min. Dist. conseq.* Ens nequit dici proportionaliter de Deo et creatura per modum simplicis proportionis, quae nempe viget inter duos terminos eiusdem proportionis et importat determinatum excessum unius termini super alium, *Conc.*, nequit dici proportionaliter per modum proportionalitatis, quae viget inter duas proportiones diversas, habentes terminos omnino diversos, *Nego.*

Simili cuidam obiectioni ita occurrit S. Thomas (2). « Ad quartum « dicendum, quod aliquid dicitur proportionatum alicui dupliciter. Uno « modo quia inter ea attenditur *proportio;* sicut dicimus quatuor pro- « portionari duobus, quia se habet in dupla proportione ad duo. Alio « modo *per modum proportionalitatis;* ut si dicamus sex et octo esse « proportionata; quia sicut sex est duplex ad tria, ita et octo ad qua- « tuor; *est enim proportionalitas similitudo proportionum.* Et quia in « omni proportione attenditur habitudo ad invicem eorum, quae pro- « portionari dicuntur secundum aliquem determinatum excessum unius « super alterum; ideo impossibile est infinitum aliquod proportio- « nari finito *per modum proportionis.* Sed in his, quae proportionata « dicuntur *per modum proportionalitatis*, non attenditur habitudo eo- « rum ad invicem, sed similis habitudo aliquorum duorum ad alia « duo; et sic nihil prohibet proportionatum esse infinitum finito; quia « sicut quoddam finitum est aequale cuidam finito : ita infinitum est « aequale alteri infinito; et secundum hunc modum oportet esse pro- « portionatum medium ei, quod per ipsum cognoscitur; etc. » Revocentur in mentem quae diximus in Logica n. 35.

Obiect. 3ª. Si ens diceretur secundum proportionalitatem de Deo et creatura, ens esset superius Deo. Sed nihil potest esse superius Deo. Ergo ens non dicitur de Deo et creatura secundum proportionalitatem.

Resp. *Dist. sequel. maioris.* Esset aliqua natura superior Naturâ Divina, *Nego.* Esset notio universalis improprie dicta, quae extenderetur

---

(1) Cfr. qq. dd. de Verit. quaest. 2. art. 11.
(2) QQ. dd. de Verit. q. 2. art. 3. ad 4.

analogica praedicatione proportionalitatis propriae ad ipsum Deum, *Conc. Contrad. min.* Nihil potest esse naturâ superius Deo, *Conc.*, notione, *Subd. Simpliciter* idest tamquam notio universalis proprie dicta, *Conc.*, *secundum quid*, *Adhuc subdist.* Secundum analogiam attributionis, *Conc.*, secundum analogiam proportionalitatis, *Nego.* Hanc enim analogiam nullam importare *superioritatem* proprie dictam in conceptu analogico ex antedictis patet.

Obiect. 4ª. Analogia proportionalitatis importat aliquid metaphorae. Sed ens non dicitur metaphorice de suis inferioribus. Ergo ens non dicitur secundum analogiam proportionalitatis.

Resp. *Dist. mai.* Analogia proportionalitatis impropriae, *Conc.*, propriae, *Nego. Conc. min. Dist. conseq.* Ens dicitur secundum analogiam proportionalitatis propriae, *Conc.,* impropriae, *Nego.* Solutio patet ex dictis in Logica nn. 36. et 37.

THESIS IX.

Nomen ens dicitur etiam secundum analogiam attributionis de substantia et de accidentibus, quatenus haec in linea entis dicunt ordinem dependentiae ad substantiam.

PROBATUR.

46. Nomen analogum secundum attributionem est, quod convenit pluribus propter ordinem ad unum, cui principaliter competit. Atqui nomen ens competit accidentibus propter ordinem eorum ad substantiam, cui per se et absolute competit. Etenim substantia habet essentiam, cui competit esse per se et in se, tamquam proprium subiectum actus essendi; accidentia autem habent essentiam cui non competit esse per se et in se, sed in alio idest in substantia tamquam in subiecto, ita ut dicantur potius entis entia, quam entia. Ergo nomen ens dictum de substantia et de accidentibus est analogum secundum attributionem, ita ut substantia sit princeps analogatum, accidentia autem sint analogata secundaria. Hanc autem analogiam attributionis inter substantiam et accidentia esse unius ad alterum patet ex eo, quod accidentia dicuntur entia dependenter a substantia, haec autem dicitur ens absque tali dependentia (1).

---

(1) Cfr. S. Th. in IV. Metaph. Lect. 1.

OBIECTIONES.

47. **Obiect. 1ª.** Si nomen ens non solum esset analogum secundum proportionalitatem propriam, sed etiam secundum attributionem, haberet diversas significationes. Sed nomen habens diversas significationes est mere aequivocum. Ergo nomen ens nequit dici analogum secundum utramque analogiam.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Haberet significationes omnino diversas, *Nego*, haberet significationes partialiter diversas, quae fundare valeant diversas analogias, *Conc. Contrad. min. Nego conseq.* Nomen ens denominatur ab actu essendi. Quae autem habent actum essendi, non solum possident eum diversimode, sed etiam cum quadam subordinatione unius ad aliud. Quatenus igitur praescindimus ab hac subordinatione, nomen ens fundat analogiam proportionalitatis propriae. Quatenus non praescindimus ab hac subordinatione, nomen ens fundat analogiam attributionis tum inter substantiam et accidentia, tum inter Creatorem et creaturas, ut in sequenti Thesi videbimus.

Obiect. 2ª. Si ens dictum de substantia et accidentibus esset analogum secundum attributionem, forma a qua denominatur ens, nempe actus essendi, deberet esse extrinseca accidentibus et intrinseca tantum substantiae. Atqui actus essendi est intrinsecus omni enti reali. Ergo nequit dici de substantia et accidentibus secundum analogiam attributionis.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Deberet esse omnino extrinseca accidentibus, *Nego,* deberet esse extrinseca secundum eum gradum perfectionis, quem importat primaria significatio entis, *Conc. Contrad. min.* Esse est intrinsecum accidenti in eo gradu perfectionis, quem requirit secundaria significatio entis, *Conc.*, quem requirit eius primaria significatio, *Nego. Nego cons.* Ad habendam analogiam attributionis non requiritur ut forma denominans nomen analogum sit prorsus extrinseca omni analogato secundario; sed sufficit, ut non sit in eo gradu perfectionis, in quo est in principe analogato, et ut conveniat secundariis analogatis in ordine ad analogum princeps.

THESIS X.

Nomen ens dicitur etiam secundum analogiam attributionis Deo et creaturis, quatenus hae in linea entis dicunt ordinem dependentiae a Deo.

PRAENOTIONES.

48. *Ens*, *bonum, sapiens* et alia nomina importantia in *suppositione formali* perfectiones, quae dicuntur *purae* seu *simplices*, eo quod in sua formali ratione nullam imperfectionis admixtionem includunt, accipi possunt vel *in sensu formali eminenti*, quatenus nempe important absolute ipsam plenitudinem perfectionis subsistentis tali nomine designatae (sub quo respectu melius exhiberentur, si vocarentur ipsum esse subsistens, ipsa bonitas subsistens, ipsa sapientia subsistens etc.); vel *in sensu formali communi* communitate analogiae proportionalitatis propriae, quatenus *praecisione secundum quid dicta* praescindunt a modo, quo hisce nominibus designata perfectio a pluribus possidetur. Quum accipiuntur *in sensu formali eminenti*, nequeunt convenire nisi Deo, qui est ipsum esse subsistens, quod importat plenitudinem subsistentem omnis purae perfectionis. Creaturis autem in tantum convenire possunt in quantum considerantur in ordine dependentiae a Creatore, a quo secundum deficientem aliquem gradum maioris vel minoris participationis has perfectiones receperunt. Et ideo talia nomina sub hoc respectu dicta de Deo et de creaturis dicuntur secundum analogiam attributionis unius ad alterum, ita ut Deus sit princeps analogatum, creaturae autem sint analogata secundaria.

PROBATUR THESIS.

49. Nomen analogum secundum attributionem est quod convenit pluribus propter aliquem ordinem ad unum, cui principaliter competit. Atqui nomen *ens*, quum in sensu formali eminenti importet habentem ipsam plenitudinem perfectionis essendi a quo *omne esse* derivatur in entia per participationem seu in creaturas, dicitur primario et absolute de Deo, secundario autem secundum ordinem dependentiae et participationis dicitur de creaturis. Ergo ens sub hoc respectu consideratum dicitur analogice secundum attributionem unius ad alterum de Deo et creaturis, ita ut Deus sit princeps analogatum, creaturae autem sint analogata secundaria.

50. **Corollarium.** *In tantum* ENS *acceptum* PRO HABENTE IPSAM PLENITUDINEM ESSENDI *praedicari potest secundum analogiam attributionis*

unius ad alterum de Deo et creaturis; in quantum ENS *acceptum pro* EO QUOD SUO MODO HABET ESSE, *praedicari potest de Deo et creaturis secundum analogiam proportionalitatis propriae.* Etenim ideo ens potest proportionaliter praedicari de Deo et creaturis, quiae *esse existentiae* est perfectio intrinseca cuilibet enti actuali sive creato sive increato. In tantum autem *esse existentiae* esse potest perfectio intrinseca enti actuali creato, in quantum causari potuit ab ente increato. Tandem ideo *esse existentiae creaturae* causari potuit ab ente increato, quia hoc est *ipsa plenitudo essendi subsistens.*

OBIECTIONES.

51. **Obiect. 1ª.** Si ens diceretur secundum attributionem de Deo et creaturis, deberet dici per prius de Deo quam de creaturis. Sed nomen ens dicitur per prius de creaturis, quia ab his desumitur. Ergo nomen ens nequit dici per attributionem de Deo et creaturis.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Ens dici deberet per prius de Deo quoad rem significatam, *Conc.*, quoad modum significandi, idest quoad nominis impositionem, *Nego. Contrad. min.* (1).

Obiect 2ª. Nomina quae dicuntur de aliquo tamquam de causa alterius, dicuntur de eo per posterius; sicut sanum dicitur de medicina quatenus est causa sanitatis. Atqui ens dicitur de Deo, quatenus est creaturis causa essendi. Ergo ens nequit dici per attributionem de Deo et creaturis, ita ut Deus sit princeps analogatum.

Resp. *Dist. mai.* Nomina, quae denominantur a tali forma, quae neque in eodem gradu neque eminenter est intrinseca causae, *Conc.*, quae vel in eodem gradu vel eminenter est intrinseca causae, *Nego. Contrad. min.* Deus est talis causa essendi creaturae, quae contineat eminenter ipsam perfectionem essendi, *Conc.,* quae eam nullo modo contineat, *Nego.*

Obiect. 3ª. Quando forma est in diverso gradu intrinseca omnibus analogatis, nomen denominatum a tali forma est analogum secundum proportionalitatem propriam. Atqui ex concessis actus essendi est in diverso gradu intrinsecus Deo et creaturis. Ergo ens dici debet de Deo et de creaturis tantum secundum analogiam proportionalitatis propriae.

Resp. *Dist. mai.* Si analogata considerantur *absolute*, *Conc.*, si considerantur *relative* idest secundum varios gradus subordinationis ad

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 13. a. 6.

invicem, *Nego. Conc. min. Nego conseq.* Solutio patet ex dictis in Thesi et in Corollario. Distinctio data huic obiectioni habeatur prae oculis ad solvendas similes obiectiones, ex. gr. quod in nostra sententia creaturae potius quam entia dici deberent entis entia, nempe Dei; quod non possemus intelligere creaturas nisi prius intelligeremus Deum etc.

Etenim quum ens considerari possit vel *absolute*, sub qua consideratione praedicatur de inferioribus secundum analogiam proportionalitatis propriae, vel *relative*, sub qua consideratione praedicatur de inferioribus secundum analogiam attributionis; creaturae quatenus considerantur *absolute* tamquam *habentes suum esse*, dici debent simpliciter entia; et cognosci possunt in seipsis independenter a praevia cognitione Creatoris. Quatenus autem considerantur *relative* seu in ordine ad ipsum ens per essentiam, quod eminenter possidet perfectionem essendi, et a quo aliquam essendi participationem recipiunt; recte dicuntur potius entis entia, quam entia, et ideo nomen proprium Dei est ὁ ὤν, *qui est*, et sub hoc respectu nequeunt cognosci sub formali relatione creaturae nisi simul cognoscatur Creator. Sed de his uberior sermo erit in Theologia Naturali.

PHILOSOPHIA PRIMA

SEU

ONTOLOGIA

PARS SECUNDA

DE PASSIONIBUS SEU PROPRIETATIBUS ENTIS.

QUAESTIO IV.

DE TRANSCENDENTIBUS IN COMMUNI.

52. Quamvis enti non possint fieri *additiones proprie dictae* per modum, quo differentia additur generi, vel accidens subiecto, quia quaelibet natura vel perfectio est essentialiter ens: possunt tamen eidem fieri *additiones quaedam improprie dictae*, inquantum scilicet exprimunt aliquem ipsius modum, qui nomine entis non exprimitur. Iamvero id dupliciter contingere potest, vel 1. ita ut modus expressus sit aliquis *specialis modus entis*, *qui non generaliter consequatur omne ens,* et sic habemus decem suprema genera, nempe substantiam, relationem, quantitatem, qualitatem etc., vel 2. ita ut modus expressus sit *aliquis modus generaliter consequens omne ens,* videlicet qui tam late pateat sicut ens. Porro hi modi, qui generaliter consequuntur omne ens sunt quinque, nempe: *res*, *unum, aliquid*, *verum* et *bonum*, sicut ex Thesi sequenti patebit.

THESIS XI.

Modi, qui generaliter consequuntur omne ens, sunt quinque nempe *res, unum, aliquid, verum et bonum* (1).

PROBATUR.

53. Modus aliquis generaliter consequens omne ens, vel consequitur omne ens quatenus ens *in seipso* seu *absolute* consideratur, vel quatenus consideratur *in ordine ad aliud.* Si sit modus consequens omne ens

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Verit. q. 1. a. 1.

absolute consideratum; vel exprimit in ente aliquid *affirmative* idest *positive*, vel *negative* tantum. Si exprimit aliquid *positive* simul et *absolute,* id nequit esse aliud quam ipsa *essentia*, quia non invenitur aliquid affirmative dictum absolute de omni ente, nisi essentia eius, secundum quam esse dicitur; et sic imponitur nomen *res,* quae differt a nomine *ens* in eo, quod *ens* sumitur ab actu essendi, sed nomen *res* exprimit *quidditatem* sive *essentiam* entis. Si autem exprimit aliquid *negative* simul et *absolute*, talis negatio nequit esse nisi ipsa *indivisio* entis; omne enim ens, eo ipso quod est ens, est *indivisum in se*, atque ita imponitur nomen *unum;* nihil enim aliud est unum transcendentaliter acceptum nisi ens indivisum. Si autem sit modus consequens omne ens *consideratum relative* seu *in ordine ad aliud;* hic modus vel exprimit *divisionem* unius entis ab omni alio ente, et significatur nomine *aliquid,* quasi *aliud quid;* vel exprimit *ordinem ad id*, quod potest aut intentionaliter fieri omne ens, cuiusmodi est intellectus, aut ferri in omne ens, cuiusmodi est appetitus. Quatenus igitur ens per suum esse dicit *ordinem cognoscibilitatis* ad intellectum, vocatur *verum;* quatenus autem per suum esse dicit *ordinem appetibilitatis* ad appetitum, vocatur *bonum.* Ergo modi, qui consequuntur omne ens, sunt quinque, nempe: *res, unum, aliquid, verum* et *bonum.*

THESIS XII.

Ex modis consequentibus omne ens, tres, nempe *unum, verum* et *bonum,* se habent ad modum proprietatum et ideo recte vocantur passiones propriae entis.

PRAENOTIONES.

54. **Proprietates stricto sensu** alicuius essentiae sunt *accidentia* quae resultant ex principiis constitutivis essentiae. Hoc sensu *dimensiones* sunt proprietates corporis physici, *risibilitas* est proprietas hominis.

Proprietates lato sensu alicuius essentiae sunt rationes quaedam quae licet *identificentur a parte rei* cum ipsa essentia, tamen *in sua formalitate* important aliquid quod concipitur quasi praesupponens essentiam ab eaque resultans.

Nos in Thesi demonstramus rationes expressas nominibus *unius*, *veri* et *boni* se habere ad *ens* ad modum proprietatum eius, nempe esse *proprietates entis lato sensu acceptas.*

PROBATUR THESIS.

55. Proprietates lato sensu acceptae alicuius essentiae sunt eae rationes, quae licet identificentur a parte rei cum ipsa essentia, tamen in sua formalitate important aliquid quod concipitur quasi praesupponens essentiam, ab eaque resultans. Atqui hoc modo se habent tres modi generales entis, nempe *unum*, *verum* et *bonum*. Etenim ens nequit concipi ut indivisum, nisi concipiatur prius constitutum in suo esse; nequit concipi ut cognoscibile ab aliquo intellectu, neque ut appetibile ab aliquo appetitu, nisi concipiatur prius ut *habens esse*, nempe ut ens. Dum contra eo ipso quod concipitur ut *ens* nempe ut *habens esse*, concipiuntur ab eo dimanare rationes *indivisi*, *cognoscibilis* et *appetibilis*, quae sunt rationes *unius*, *veri* et *boni*. Ergo hae rationes se habent ad modum proprietatum seu passionum entis.

Hos autem modos esse solos, qui se habeant ut proprietates entis, patet ex eo quod primus modus, qui importat *rem* seu *essentiam*, identificatur tum *re* tum *ratione* cum *essentia* entis. Tertius autem modus, qui importat *aliquid*, reducitur ad *unum*, quia unitas entis completur per hoc quod sit indivisum in se et divisum a quolibet alio. Ergo tantum tres modi generales entis nempe *unum*, *verum* et *bonum* se habent tamquam proprietates seu passiones entis (1).

---

(1) Cfr. Alamann. Sum. Ph. 4. p. q. 11. a. 2.

QUAESTIO V.

DE UNITATE TRANSCENDENTALI

THESIS XIII.

Unum transcendentale, quod significat *ens indivisum,* 1. convertitur cum ente, et 2. importat rationem mere negativam simul cum ente, tamquam cum suo fundamento.

PROBATUR PRIMA PARS.

56. Illud convertitur cum ente, quod realiter importat idipsum quod importat ens, quamvis exprimat aliquid quod nomine entis non exprimitur. Iamvero unum transcendentale importat realiter idipsum, quod importat ens. Etenim *unum* nihil aliud significat quam *ens indivisum.* Ens autem est indivisum per hoc ipsum quod est ens. « Nam omne « ens aut est simplex aut compositum. Quod autem est simplex est « indivisum et actu et potentia. Quod autem est compositum, non habet « esse quandiu partes eius sunt divisae, sed postquam constituunt et « componunt ipsum compositum. Unde manifestum est quod esse « cuiuslibet rei consistit in indivisione. Et inde est, quod unumquodque « sicut custodit suum esse; ita custodit suam unitatem » (1).

PROBATUR SECUNDA PARS.

57. Nomen significans subiectum aliquod affectum negatione, non importat meram negationem. Atqui tale est unum transcendentale. Nam significando ens indivisum, significat subiectum aliquod affectum negatione seu ens cum negatione divisionis. Ergo unum transcendentale non importat meram negationem, sed ens quatenus indivisum (2).

58. **Corollarium.** *Indivisio, quae importatur per unum transcendentale, se habet ad modum privationis, idest ut privatio improprie dicta, cum sit quodammodo media inter strictam privationem et simplicem negationem.*

Etenim privatio determinat sibi subiectum, cuius est privatio, v. g. *caecitas* in *homine.* Simplex autem negatio nullum subiectum sibi de-

---

(1) S. Th. 1. p. q. 11. a. 1.
(2) 1. p. q. 30. a. 3.

terminat. Quare sub hoc respectu indivisio transcendentalis convenit cum privatione et differt a simplici negatione; quia indivisio *determinat sibi subiectum*, nempe *ens* in oppositione ad *non ens*. Etenim ens *ratione suae indivisionis* est unum et est ens; et eo modo est ens, quo est unum. Unde S. Thomas ait: « Esse uniuscuiusque rei consistit in indivisione ». Attamen non potest dici privatio stricte sumpta. Nam talis privatio supponit in subiecto, cuius est privatio, aptitudinem ad habendam formam contrariam privationi (salvo eodem subiecto), v. g. *caecitas* est privatio stricte sumpta *in homine*, non vero *in lapide*, quia homo caecus, remanens homo, habet aptitudinem ad formam contrariam caecitati, nempe ad visionem; lapis autem non item. Indivisio vero transcendentalis non supponit in suo subiecto aptitudinem ad habendam formam sibi contrariam nempe divisionem seu multiplicitatem sibi oppositam (salvo eodem subiecto). Etenim unumquodque ens, eo modo est ens, quo est unum et indivisum. Quare hoc ipso quod cessaret esse indivisum cessaret esse unum et ens (1).

THESIS XIV.

Unum et multa non eodem modo opponuntur. Nam 1. unum praedicamentale, quod est principium numeri, opponitur multis ut mensura mensurato. 2. Unum autem transcendentale, quod convertitur cum ente, opponitur multis ut indivisum diviso ad modum privationis (2).

PRAENOTIONES.

59. 1º **Unitas seu unum transcendens** est ipsum ens, quatenus indivisum, et est analogum sicut ens respectu suorum inferiorum. Significat enim: *Unum suo modo indivisum.*

2º **Unitas praedicamentalis** est unitas stricte numerica seu quantitativa. Haec potest dupliciter sumi: α) Quatenus est quaedam quantitas continua actualiter indivisa (ex. gr. aliqua linea determinata); sub quo respectu *unum* non differt a speciali ente suo modo indiviso, et est formaliter sub praedicamento quantitatis. β) Potest sumi unitas praedicamentalis quatenus est principium numeri et assumitur ad mensurandas quantitates, vel ex ipsa nutura sua, ut *simplex unitas* in numeris, vel ex conventione, sicut *palmus* vel *metrum* assumuntur ut unitas ad mensurandas extensiones. Tantum sub hoc

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Pot. q. 9. a. 7. ad 11.
(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 11. a. 2.

secundo respectu unitas praedicamentalis est principium numeri, et, quamvis *non directe*, tamen *reductive* pertinet ad praedicamentum quantitatis.

3° **Multitudo transcendentalis et multitudo praedicamentalis.** *a)* Unitati transcendentali correspondet multitudo transcendentalis, seu multitudo entium, quae sunt in seipsis indivisa et ab unoquoque alio divisa.

b) Unitati autem praedicamentali correspondet multitudo stricte numerica seu quantitativa. « Considerandum est (ait S. Th.) (1) quod « omnis pluralitas consequitur aliquam divisionem. Est autem duplex « divisio. Una *materialis* quae fit secundum divisionem continui et « hanc consequitur numerus qui est species quantitatis. Unde talis « numerus non est nisi in rebus materialibus habentibus quantitatem. « Alia est divisio *formalis* quae fit per oppositas vel diversas formas, « et hanc divisionem sequitur multitudo quae non est in aliquo genere « sed est de transcendentibus, secundum quod ens dividitur per unum « et multa. Et talem multitudinem solam contingit esse in rebus im- « materialibus ».

c) Unde diverso modo resultat multitudo transcendens et multitudo numerica seu quantitativa. Nam multitudo quantitativa habetur tantum per divisionem materialem ratione dimensionum. Multitudo autem transcendentalis requirit tantum divisionem formalem, quae fit per oppositas vel diversas formas seu essentias, secundum quas entia immaterialia existunt tamquam purae formae per se.

d) Quare multitudo transcendens supponit multa entia, quorum unumquodque sit indivisum in se et divisum a quolibet alio. Et quoniam haec indivisio entis in se non est aliud quam *unitas transcendentalis*, quae nihil addit proprie et realiter enti; divisio autem entis a quolibet alio est *aliquidditas transcendentalis,* quae similiter nihil addit proprie et realiter enti; sequitur *multitudinem transcendentalem* nullam realitatem superaddere illis de quibus praedicatur, sed tantum addere respectum rationis, videlicet *duas negationes, prout scilicet aliquid est in se divisum et prout est divisum ab alio, quod quidem dividi est unum eorum non esse alterum* (2).

Contra, multitudo praedicamentalis cum resultet ex divisione materiae, quae non potest fieri nisi secundum dimensiones, ponit aliquod accidens reale in illis de quibus praedicatur et ex quorum divisione resultat.

---

(1) 1. p. q. 30. a. 3.
(2) S. Th. qq. dd. d. Pot. q. 9. a. 7. in c.

e) Quoniam *ens*, *unum*, *bonum*, etc. sunt transcendentia, numquam poterit dari aliqua privatio entis, vel boni, vel unius, etc. quae non fundetur in aliqua entitate, unitate, bonitate etc. Quare ipsa multitudo, quamvis opponatur unitati *ad modum privationis*, tamen et ipsa, cum sit collectio quaedam entium, constituit aliquod ens et unum *secundum quid*, quod resultat vel vi alicuius realis accidentis, vel per meram relationem rationis, prouti unitas, cui haec multitudo opponitur, est praedicamentalis vel tantum transcendentalis. Quapropter nulla multitudo opponitur *omni omnino unitati*. Nam, cum ipsa multitudo sit aliqua unitas, non opponitur sibi ipsi; estque, reduplicative ut multitudo, vel ens reale, vel ens rationis, prouti unitas, cui opponitur est in praedicamento quantitatis vel non. Quare optime dicuntur *multa simpliciter* esse *unum secundum quid* (1).

PROBATUR PRIMA PARS.

60. Mensura opponitur mensurato, oppositione relativa. Sed unum praedicamentale, quod est principium numeri (stricte dicti), est mensura multitudinis praedicamentalis. Ergo unum, quod est principium numeri, opponitur multitudini praedicamentali ut mensura mensurato. *Maior* constat ex eo, quod mensura est correlativa mensurato. *Minor* probatur ex ipsa definitione numeri, qui definitur *multitudo mensurata per unum.*

PROBATUR SECUNDA PARS.

61. Unitas transcendentalis importat exclusionem intrinsecae divisionis ab ente; multitudo ei opposita importat ens quoddam, in quo accipi debeat divisio, nempe importat plura mutuo divisa. Ergo unitas, qua talis, et multitudo, qua tali, 1. opponuntur; 2. opponuntur ut indivisum diviso, quia in hisce rationibus fundantur; 3. opponuntur ad modum privationis, quia indivisio est privatio divisionis et divisio est privatio indivisionis in illo ordine in quo sumuntur.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 11. a. 2. ad 1.

THESIS XV.

a) Unum dividitur in ***unum substantiale,*** seu ***per se,*** et ***unum accidentale,*** seu ***per accidens.*** *b)* Haec autem multipliciter subdividuntur.

DECLARATUR PRIMA PARS.

62. Quemadmodum ens denominatur ab esse, similiter unum denominatur ab esse indiviso. Ergo quemadmodum se habet essentia ad esse, similiter se habet ad indivisionem. Quatenus igitur aliqua essentia creata, sive simplex, sive composita, actuatur ab esse primo et substantiali indiviso, habemus *unum per se* seu *substantiale;* quatenus ulterius actuatur ab aliquo esse secundario et accidentali indiviso, habemus *unum per accidens* seu *accidentale.*

DECLARATUR SECUNDA PARS.

63. **Unum per se seu substantiale** est substantia, quae habet unitatem τοῦ esse primi. Iamvero hoc esse primum vel est actus essentiae compositae ex materia prima et forma substantiali, vel est actus essentiae simplici. In primo casu unitas substantialis ita est indivisa, ut non sit indivisibilis; quia quod est compositum potest resolvi in partes componentes. In secundo casu unitas substantialis est indivisa et indivisibilis; quia quod est simplex nequit resolvi in partes. « Simplicium « essentiae sunt indivisae et actu et potentia. Compositorum vero es- « sentiae sunt indivisae secundum actum tantum » (1). Unde unitas substantiae compositae est minus perfecta, quam unitas substantiae simplicis. Perfectissime autem unum est quod ita subsistit, ut sit indivisum tum in ordine essentiae tum in ordine existentiae. Tale est ipsum esse subsistens, nempe Deus.

64. **Unum per accidens** seu **accidentale** est indivisio τοῦ esse secundi seu accidentalis, per quod actuatur aliquod subiectum, iam in suo esse primo constitutum, secundum aliquam formam accidentalem. Sic homo albus, dum actuatur per esse albedinis, facit unum per accidens cum forma albedinis. *Unum per accidens* esse potest triplicis rationis nempe: *naturale*, *artificiale*, *morale*, prouti plura conveniunt in aliquod esse accidentale vel *naturale*, quod fit per operationem naturae,

---

(1) Cfr. 1. p. q. 11. a. 4.

ut *homo albus;* vel *artificiale*, quod fit per operationem artis, ut *horologium;* vel *morale*, quod fit per conspirationem plurium voluntatum in eumdem finem omnibus communem, ut *aliqua societas*, ex. gr. exercitus vel civitas.

65. **Unum intentionale** importat convenientiam plurium in unitate conceptus fundata in aliqua eorum obiectiva similitudine. Quam unitatem vel esse *simpliciter dictam* seu *univocationis*, vel *secundum quid dictam* seu *analogiae* secundum varias analogias, declaravimus in Logica nn. 78. 79. Quum igitur harum unitatum fundamentum sit aliqua similitudo plurium in aliqua forma, explicare praestat varios sensus, secundum quos quaedam dicuntur similia.

66. **Similia lato sensu** dicuntur ea, quae quocumque modo conveniunt in aliqua ratione formali, sive haec forma sit ipsa eorum natura, sive sit aliquod accidens, sive sit alia perfectio tantum analogice communis. *Similitudo* enim definitur *convenientia* seu *communicatio* in *forma.* — Unde *a)* Si conveniant *in forma eiusdem rationis et secundum eumdem modum,* dicuntur, *aequalia in similitudine,* ut sunt duo subsistentes eiusdem speciei, ex. gr. duo homines in quantum homines; vel duo habentes formam accidentalem in eodem gradu, ut duo calida in eodem gradu caloris. — *b)* Si conveniant *in forma eiusdem rationis, sed non secundum eumdem modum,* seu gradum, dicuntur *inaequaliter similia,* ut duo calida in diverso gradu caloris. — *c)* Si conveniant *in aliqua forma rationis simpliciter diversae*, sed *tantum proportionaliter eiusdem,* dicuntur *analogice similia,* aut etiam *dissimilia* stricte loquendo, quia talis similitudo imperfectissima et remotissima est. Hoc sensu dicuntur similia Creator et creatura, atque caetera agentia aequivoca eorumque effectus.

67. **Idem strictissimo sensu** importat *unitatem secundum esse cum adsignificatione relationis rationis,* qua intellectus rem comparat cum seipsa eique ut sibi ipsi identificatam refert. Sic dicimus *idem eidem idem.*

Idem minus stricto sensu importat unitatem secundum intentionem plurium convenientium in eadem ratione substantiali. Sic duo homines dicuntur iidem secundum naturam humanam.

Aequalia stricto sensu dicuntur, quae conveniunt in eadem specie quantitatis, ut duo pyramides earumdem dimensionum.

Similia stricto sensu dicuntur, quae conveniunt in eadem specie qualitatis, ut duae columnae albae.

Nota. *Aequalia et similia lato sensu promiscue sumuntur.* Sic dicimus duas columnas marmoreas albas et bipedales esse aequales in albedine, easdem in longitudine, similes in natura.

68. **Corollarium.** *De analogia unius transcendentalis.* Quemadmodum ENS dicitur multipliciter et analogice de suis inferioribus, nempe vel *secundum esse intentionale*, vel *secundum esse reale;* vel *ut quod*, vel *ut quo;* vel *ut in se*, vel *ut in alio;* vel *per essentiam* vel *per participationem;* similiter UNUM dicitur vel *ut quod*, cuiusmodi est suppositum subsistens, vel *ut quo,* cuiusmodi sunt partes eius sive essentiales sive accidentales; vel ut *in se*, cuiusmodi est substantia; vel ut *in alio*, cuiusmodi est forma accidentalis; vel *per essentiam,* cuiusmodi est Deus; vel per *participationem,* cuiusmodi est creatura; vel *secundum intentionem*, ut genus.

QUAESTIO VI.

DE VERITATE TRANSCENDENTALI

Quaestio haec iam pertractata est in Logica maiori. Unde huc revocanda sunt quaecumque ibi diximus in quaest. VI. « *De Veritate* ». Tantum sequentem Thesim, tamquam corollarium eorum quae ibi diximus, statuimus.

THESIS XVI.

Verum transcendentale et ens convertuntur.

PROBATUR.

69. Id convertitur cum ente, quod nullam realitatem diversam ab ea, quam ens significat, importat; sed tantum exprimit aliquem respectum entis, quem nomen ens non exprimit. Atqui talis est ratio et nomen veri transcendentis. Etenim verum transcendens importat ens quatenus per suum esse est conforme vel conformabile intellectui. Ergo verum transcendens convertitur cum ente (1).

OBIECTIONES.

70. **Obiect. 1ª.** Quae habent diversa subiecta, non convertuntur. Sed verum est tantum in intellectu; ens autem est in rebus. Ergo verum et ens non convertuntur.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Verum formale seu ipsa intentio veritatis est tantum in intellectu, *Conc.*, verum transcendentale seu materiale, *Nego.*

Obiect. 2ª. Id, quod se extendit ad ens et non ens, non convertitur cum ente. Sed verum se extendit ad ens et non ens; nam verum est, quod est, esse, et quod non est, non esse. Ergo verum et ens non convertuntur.

Resp. *Dist. mai.* Si ens minus late sumatur tantum pro ente reali, *Conc.*, si sumatur in tota sua extensione, quatenus includit etiam ens rationis, *Nego. Dist. min.* Verum se extendit ad ens reale et ad non ens reale, quod tamen sit ens rationis, *Conc.*, quod ne quidem sit ens rationis, *Nego. Dist. rat. addit.* Veritas propositionis *quod non est, non est;* est aliquod ens rationis, *Conc.*, non est aliquod ens rationis, *Nego.*

---

(1) Cfr. 1. p. q. 16. a. 3.

Obiect. 3ª. Quae se habent secundum prius et posterius, non videntur converti. Sed verum videtur esse prius, quam ens: nam non intelligitur ens nisi sub ratione veri. Ergo videtur, quod non sint convertibilia.

Resp. *Dist. mai.* Quae se habent secundum prius et posterius secundum rem, *Conc.,* secundum rationem tantum, *Nego. Nego min. Dist. rat. addit.* Non apprehenditur ens, nisi materialiter ratio veri consequatur rationem entis, *Conc.*, nisi formaliter apprehendatur ipsa ratio veri, *Nego.*

OBIECTIONES.

CONTRA DISTINCTIONEM RATIONIS VERI AB ENTE (1).

71. **Obiect. 1ª.** Verum est id quod est. Sed id quod est, nihil est nisi ens. Ergo verum idem significat, quod ens; et ideo neque ratione distinguitur ab ente.

Resp. *Dist. mai.* Verum est id quod est absolute acceptum, *Nego*, est id quod est, acceptum quatenus refertur ad intellectum, ut ei conforme vel conformabile, *Conc. Contrad. min.*

Obiect. 2ª. Eorum quae differunt ratione, unum potest intelligi sine alio. Sed ens nequit intelligi sine vero; quia per hoc intelligitur, quod verum est. Ergo ens neque ratione differt a vero.

Resp. *Dist. mai.* Eorum, quae differunt ratione unum potest intelligi sine alio sub ea ratione sub qua unum differt ab alio, *Conc.*, sub ea ratione sub qua conveniunt, *Nego. Contrad. min.* Ens nequit intelligi sine vero accepto sub formali ratione entis, *Conc.*, sine vero accepto sub formali ratione veri, *Nego. Dist. rat. addit.* Ens per hoc intelligitur quia verum est, hoc sensu, quod realiter identificatur cum vero, *Conc.*, hoc sensu, quod ens nequeat intelligi, quin intelligatur ipsa formalis ratio veri transcendentalis, *Nego.*

Obiect. 3ª. Quaecumque non sunt idem, aliquo modo differunt. Sed verum et ens nullo modo differunt, quum neque per essentiam neque per differentias differant. Ergo verum et ens nullo modo distinguuntur.

Resp. *Dist. mai.* Differunt vel differentiis proprie dictis, vel differentiis improprie dictis, *Conc.*, tantum differentiis proprie dictis, *Nego. Contrad. min.* Ens et verum non differunt per differentias proprie dictas, *Conc.*, per differentiam improprie dictam, idest per expressionem ordinis ad intellectum, vi cuius ens denominatur verum, *Nego. Nego conseq.*

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Verit. q. 1. a. 1.

QUAESTIO VII.

DE BONO

PRAENOTIONES.

72. **Boni descriptio.** *Bonum* est ens quatenus per suum esse reale dicit ordinem ad appetitum. Quare *bonum* a philosopho dicitur *id quod amnia appetunt.* Quum enim unumquodque appetat perfectionem sibi convenientem, sive tendendo in eam si nondum eam possideat, sive quiescendo in ea si iam possideat; perfectio autem consistat in ipso esse reali, quod est actualitas caeterarum perfectionum; manifestum est ens per suum esse reale habere rationem perfecti et appetibilis tum relate ad rem cuius est esse, tum relate ad alias res, quas per suum esse reale quocumque modo perficere potest.

73. **Appetitus** hoc loco sumitur non solum pro voluntate, sed lato sensu *pro qualicumque tendentia* sive *ordinatione rei ad suam perfectionem.* Sic materia dicitur appetere formam et essentia existentiam. Quam rem ita declarat S. Thomas in 1. Ethic. lect. 1. « Quod autem « dicit (Philosophus) bonum esse id *quod omnia appetunt,* non est in« telligendum solum de habentibus cognitionem, quae apprehendunt « bonum, sed etiam de rebus carentibus cognitione, quae naturali ap« petitu tendunt in bonum, non quasi cognoscant bonum, sed quia ab « aliquo cognoscente moventur ad bonum, scilicet ex ordinatione divini « intellectus, ad modum quo sagitta tendit in signum ex directione « sagittantis. Ipsum autem tendere in bonum, est appetere bonum. « Unde et omnia dicit appetere bonum in quantum tendunt ad bonum. « Non autem est unum bonum in quod omnia tendunt, ut infra di« cetur. Et ideo non describitur hic aliquod bonum, sed bonum com« muniter sumptum. Quia autem nihil est bonum, nisi inquantum « est quaedam similitudo et participatio boni summi; ipsum summum « bonum quodammodo appetitur in quolibet bono. Et sic potest dici « quod unum bonum est quod omnia appetunt ».

74. **Bonum simpliciter et bonum secundum quid.** Quum bonum habeat rationem perfecti, *bonum simpliciter* est ens quod habet omnem perfectionem sibi debitam; videlicet, quum agitur de ente creato, bonum

simpliciter est ens, quod praeter primam perfectionem seu substantialem, habet etiam secundarias seu accidentales perfectiones, quae ipsi competere debent. *Bonum secundum quid* est ens, quod non habet omnem perfectionem sibi debitam. Quare ens creatum quod haberet tantum perfectionem primam seu substantialem, vi cuius esset *ens simpliciter*, non esset *bonum simpliciter*, sed tantum *secundum quid.*

THESIS XVII.

Bonum et ens ita realiter convertuntur ut distinguantur ratione.

PROBATUR.

75. Bonum est ens in quantum per suum esse reale est appetibile. Atqui haec appetibilitas nullam realitatem addit ad esse entis. Ergo *bonum* et *ens convertuntur quoad rem.* Attamen *distinguuntur ratione.* Etenim bonum exprimit respectum entis ad appetitum, quem nomen ens non exprimit. Quae distinctio est *rationis ratiocinatae* seu cum fundamento in re (1).

COROLLARIA.

76. I. *Unumquodque eo modo est bonum, quo habet esse;* nempe si habet esse *ut quod*, est bonum *ut quod;* si habet esse *ut quo*, est bonum *ut quo;* si habet esse *in potentia*, est bonum *in potentia*, si habet esse *in actu*, est bonum *in actu.*

II. *Creatura ita dicitur essentialiter bona in actu,* quemadmodum dicitur essentialiter *ens in actu*, nempe lato sensu non stricto sensu (cfr. nn. 18. 19).

III. *Bonum habet rationem causae finalis;* quia finis est quod omnia appetunt. Atqui talis est ratio boni. Ergo etc.

IV. *Bonum creatum recte dicitur consistere in modo, specie et ordine.* Nam bonum est ens perfectum. Ens autem est perfectum per propriam formam, quae praesupponit commensurationem potentiae subiectivae ad ipsam, et quam consequitur ordinatio et inclinatio ad actiones sibi convenientes. Iamvero *commensuratio subiecti ad formam* dicitur modus; *forma* constituit rem in sua specie; *ordinatio* et *inclinatio* ad actiones naturae convenientes constituunt ordinem. Ergo bonum creatum recte dicitur consistere in modo specie et ordine.

V. *Bonum recte dividitur in honestum, utile et delectabile.* Nam quod appetitur *propter se*, dicitur honestum; quod appetitur *propter aliud*,

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 5. a. 1. et locis parallelis.

dicitur utile; id, in quo appetitus *quiescit*, dicitur delectabile. Iamvero hae sunt tres diversae rationes appetibilitatis. Ergo bonum, quod est ens quatenus appetibile, recte dividitur in honestum, utile et delectabile.

Nota. Doctrinam huius quaestionis evolutam invenies apud S. Thomam (1).

SCHOLION.

De Malo.

77. *Malum* opponitur *bono*, non ut mera negatio, sed ut *privatio*. Ideo non invenitur nisi in subiecto bono, quod dicitur et est malum, quando caret aliqua perfectione sibi debita. Quapropter *malum* definitur *carentia boni debiti*. Et sane, quum impossibile sit, ut ens aliquod existat, quin sit saltem *ens simpliciter*; ens autem simpliciter necessario est bonum saltem secundum quid; impossibile est dari in rerum natura aliquod ens quod sit simpliciter malum; nam esset simul ens et non esset, quod contradictionem involvit (2).

(1) 1. p. q. 5. et locis parallelis.
(2) 1. p. q. 48. et 11. pp.



PHILOSOPHIA PRIMA

SEU

ONTOLOGIA

PARS TERTIA

DE DIVISIONE ENTIS IN SUAS PARTES.

QUAESTIO VIII.

DE ACTU ET POTENTIA.

INTRODUCTIO.

78. Divisio entis in actum et potentiam non est divisio entis in ens in actu et ens in potentia obiectiva seu ens possibile; sed attingit principia intrinsece constitutiva entis, atque discrimen fundamentale designat inter ens compositum seu creatum et supremam causam effectivam entis in quantum entis. Haec enim sola, quum sit expers omnis compositionis et imperfectionis, est actus subsistens non solum in ordine essentiae, sed etiam in ordine existentiae, nempe est ipsum esse subsistens. Entia autem quae participant existentiam, nempe creaturae, in quocumque gradu limitatae perfectionis consistant, aliqua compositione vel in ordine tantum existentiae, ut creaturae spirituales, vel etiam in ordine essentiae, ut creaturae corporales, afficiantur necesse est. Nos qua maiori poterimus brevitate, fideliter doctrinam S. Thomae proponere studebimus, quam optime ex variis locis collegit P. Cosmus Alamannus S. I. in Summa Philosophiae, Quarta parte, Quaestionibus, 27. 28. 29.

CAPUT I.

DE ACTUS ET POTENTIAE SIGNIFICATIONE.

79. *Etymon* nominis *actus*, quod significat *perfectionem*, ab agendo venit. Quum enim perfectio uniuscuiusque rei maxime in eius operatione seu actione manifestetur; nomen *actus* transumptum est ad significandam perfectionem.

Similiter *etymon* nominis *potentiae subiectivae*, quod *receptibile perfectionis* importat, a potentia operativa venit. Quum enim potentia operativa non semper operetur, quando autem operatur, perfectionem agendi suscipiat, et ad eam se habeat ut subiectum ipsam substentans et ab ipsa formaliter perfectum; nomen *potentia* transumptum est ad designandum subiectum quodcumque alicuius perfectionis mere receptivum. Et ideo quemadmodum ex potentia operativa et ex operatione resultat unum compositum actu operans; similiter ex aliqua potentia subiectiva et ex actu eam perficiente resultat compositum aliquod actuatum seu perfectum sive perfectione prima seu substantiali, quae facit *unum per se*, sive perfectione quadam secunda seu accidentali, quae facit *unum per accidens* (1).

CAPUT II.

CONSECTARIA QUAEDAM EX NOTIONIBUS ACTUS ET POTENTIAE RESULTANTIA.

80. 1⁰ *Actus* in sua absoluta ratione dicit meram perfectionem.

2⁰ *Potentia subiectiva* in sua absoluta ratione dicit imperfectionem determinabilitatis et indigentiae alicuius actus eam formaliter perficientis.

3⁰ *Actus irreceptus* est actus purus, seu pura perfectio; actus *receptus* in aliqua potentia est actus non purus sed limitatus a potentia eum recipiente.

4⁰ *Potentia subiectiva quemadmodum limitat, ita etiam multiplicat actus.* Sic multiplicando subiecta receptiva albedinis, multiplicantur albedines.

5⁰ *Subiectum actuatum* seu perfectum vel est *simplex* vel est *compositum.*

Si sit *simplex a) vel est perfectissime simplex,* idest, tum in ordine essentiae tum in ordine existentiae; et tale importat actum seu perfectionem absolute puram subsistentem, nempe *ipsum esse subsistens.*

b) Si sit *simplex tantum in ordine suae essentiae*, non autem in ordine existentiae, eo quod sit essentia quaedam non composita ex potentia subiectiva et actu, quae tamen in aliquo gradu limitationis participat de perfectione essendi; talis essentia est actus quidem seu perfectio subsistens non tamen absolute pura sed tantum relative pura. Diximus eam esse actum non absolute sed tantum relative purum subsistentem, quia licet relate ad ordinem suae essentiae specificae

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Pot. q. 1. a. 1. « Potentia dicitur ab actu etc. ».

sit ipsa perfectio subsistens sui ordinis; tamen quum se habeat ad perfectionem puram essendi ut receptivum ad receptum, quam proinde in aliquo limitato gradu possidet; reapse se habet ad hanc ut potentia ad actum et ideo in ordine existentiae subsistit tamquam actus non absolute purus. Tales sunt substantiae spirituales creatae (seu angeli), quae participant de esse in essentia simplici subsistente, et convenientes simul generice in immaterialitate seu intellectivitate, differunt ab invicem secundum maiorem vel minorem participationem perfectionis essendi, quae in tota sua plenitudine est propria solius Dei, qui est ipsa plenitudo essendi subsistens, seu purissimus actus subsistens (cfr. Log. n. 186.).

c) Si subiectum actuatum, seu perfectum, sit *compositum in ipso* ordine suae essentiae, dicit perfectionem receptam in aliqua potentia subiectiva intrinseca ipsi eius essentiae, ita ut haec resultet ex duobus principiis intrinsecis, quorum unum sit potentiale seu determinabile, alind sit actuans seu determinans. Qui actus formalis, ut patet, neque absolute neque relative est purus, quum in ipsa linea essentiae sit receptus in aliqua potentia.

THESIS XVIII.

Principia intrinsece constitutiva alicuius compositi habere se debent vel ad invicem vel relate ad formam totius ut potentia ad actum.

PROBATUR.

81. *Compositum* ex componentibus resultans *ut quod*, vel est *unum simpliciter* seu *primo* et *per se*, vel est *unum secundum quid* seu *secundario* et *per accidens;* nempe vel est aliquod compositum substantiale, vel est aliquod compositum accidentale.

Si primum, nempe si sit aliquod compositum substantiale, necesse est, ut principia intrinseca ipsum constituentia conveniant in esse primum seu substantiale. Iamvero in hac hypothesi, eius componentia esse deberent pura potentia subiectiva et actus primus, quae vocantur materia prima et forma substantialis. Etenim si eius componentia non essent huiusmodi, ea deberent esse vel duo actus subsistentes, vel duo composita subsistentia, vel unum compositum subsistens et actus aliquis secundus superveniens. Atqui nullum ex his admitti potest. Nam, si essent duo actus subsistentes, compositum resultans esset mera concomitantia duorum entium simplicium subsistentium, qui insuper ut suo loco demonstratur, esse deberent substantiae spirituales seu intelle-

ctivae completae in linea essentiae, nempe duo angeli. Si essent duo composita subsistentia, ens compositum resultans esset unum per accidens *unitate aggregationis* vel artificialis ut *domus*, vel non artificialis ut *acervus lapidum*. Si unum esset compositum subsistens et aliud esset actus secundarius seu accidens superveniens, compositum resultans esset unum per accidens seu secundum quid *unitate aliqua accidentali naturali*, ut *homo albus*. Ergo ad habendum ens compositum subsistens quod sit simpliciter unum, necesse est ut partes essentiae se habeant ad invicem ut *pura potentia subiectiva* et *actus primus*.

Si secundum, nempe si sit aliquod compositum accidentale; componentia vel ita se habent ad invicem ut utrumque sit iam aliquid subsistens, vel non. Si primum, necesse est ut se habeant ad perfectionem propriam totius ex eorum coniunctione resultantis, ut potentia ad actum; sic partes domus se habent ad formam domus et partes navis ad formam navis. Si secundum, nempe si unum ex componentibus tantum sit aliquid subsistens; necesse est ut hoc se habeat ad perfectionem supervenientem, puta ad albedinem vel calorem, ut perfectibile perfectioni ipsum informanti, nempe ut potentia subiectiva ad actum; sic se habet intellectus ad scientiam et corpus ad lucem.

Ergo in omni ente composito, necesse est ut componentia se habeant ad invicem vel ad formam totius ut potentia subiectiva ad actum.

THESIS XIX.

Actus limitatur tantum per potentiam subiectivam in eo ordine in quo est actus.

PROBATUR.

82. I. Id quod in sui ratione importat tantum perfectionem, nequit ex seipso limitari in linea illius perfectionis quam importat; nam secus importaret simul perfectionem illius ordinis et non importaret, quod repugnat. Atqui de ratione actus est importare meram perfectionem. Actus enim idem est ac perfectio. Ergo impossibile est, ut actus sit ex se ipso limitatus in eo ordine in quo habet puram rationem actus.

Attamen non repugnat, quinimmo ipsa experientia constat in ente composito perfectiones recipi, limitari et numerice multiplicari ratione subiecti eas recipientis; ita ut non subsistant ipsae purae perfectiones seu actus, sed aliquod compositum actuatum seu perfectum secundum has perfectiones in aliquo maiori vel minori gradu participationis earum. Ergo necesse est asserere, actum limitari tantum per potentiam subiectivam in eo ordine in quo est actus.

II. Quum actus importet perfectionem, limitatio autem actus importet limitationem perfectionis; impossibile est ut actus in eo ordine, in quo est actus, limitetur nisi per aliquid quod in eodem ordine se habeat ut potentia. Etenim id, quod in eodem ordine se haberet ut actus, vel esset ipse actus qui limitatur, vel aliquid diversum ab ipso. Atqui nequit esse idem actus qui limitatur, secus idem esset secundum idem limitans et limitatum, quod repugnat. Ergo est aliquid diversum ab ipso. Iamvero hoc diversum ab ipso non posset esse alius actus eiusdem ordinis; nam praeterquam quod in eodem ordine nequeunt dari plures actus seu perfectiones eiusdem rationis subsistentes (ut inferius demonstrabimus), actus subsistens additus actui subsistenti non faceret unum, sed duo; atque, etiam hoc permisso, repugnat ut perfectio in quantum huiusmodi limitetur per additionem perfectionis. Quod si actus limitans esset actus diversi ordinis; hic ordo vel esset superior vel inferior. Iamvero nequit esse actus superioris ordinis, quia per hunc actus inferior perficeretur, non limitaretur, atque se haberet ad eum ut potentia receptiva ad actum, quem limitaret. Si vero dicatur esse actus inferioris ordinis; haberemus quod contendimus. Etenim hic se haberet ad actum superiorem, ut *realitas limitans* ad *realitatem limitatam,* nempe ut *potentia* ad *actum.* Ergo necesse est dicere actum non limitari nisi per potentiam.

THESIS XX.

Actus non multiplicatur nisi ratione potentiae subiectivae, in qua recipitur.

PROBATUR.

83. Quum actus in sui ratione perfectionem importet, ad hoc ut talis perfectio multiplicaretur, deberet inveniri in pluribus subsistentibus ab invicem distinctis. Iamvero haec distinctio vel esset per aliquid intrinsecum perfectioni unius et non alterius, vel per aliqua extrinseca receptiva eiusdem specificae perfectionis, ut albedines multiplicantur per subiecta alba. Atqui primus modus multiplicationis est impossibilis, salva natura eiusdem perfectionis in pluribus subsistentibus, differentia enim intrinseca uni perfectioni et non alteri eas efficit specifice diversas. Remanet ergo secundus modus multiplicationis, qui est ratione potentiae subiectivae, in qua actus recipiatur. Sic ad multiplicandam figuram pyramidalem requiruntur plura corpora, quae eam suscipiant.

84. **Corollarium 1.** *Actus irreceptus est in suo ordine unicus et infinitus.*

Est unicus. Etenim quum sola ratio multiplicandi actus in aliquo ordine sit, ut recipiantur in variis potentiis subiectivis; necesse est, ut actus in suo ordine purus seu irreceptus, sit in eodem ordine unicus.

Est infinitus. Dicitur enim infinitum in aliqua perfectione id quod eam possidet in tota sua plenitudine et non in aliquo tantum gradu limitationis. Atqui demonstravimus in Thesi XIX. actum seu perfectionem non limitari, nisi per potentiam, in qua recipiatur. Ergo necesse est, ut actus irreceptus seu purus sit in suo ordine ipsa plena perfectio subsistens sui ordinis, nempe sit infinitus in ordine suo.

Corollarium 2. *Actus irreceptus seu purus in ordine essendi, qui est supremus ordo entium, est absolute purus; actus autem irreceptus tantum in ordine alicuius essentiae creatae est tantum relative purus, seu relate ad ordinem talis essentiae, seque habet ad actum existentiae participatae, ut potentia subiectiva ad actum.*

Etenim, quum esse existentiae sit ultima actualitas omnis essentiae et omnis perfectionis, ita ut quo magis aliquid participat de esse, tanto magis habeat perfectionis sitque plenius ens (quapropter viventia sunt plenius et perfectius entia, quam vitâ carentia, quia magis participant de perfectione essendi); actus, qui est irreceptus seu purus in ordine existentiae, est ipsa plenitudo subsistens omnis purae perfectionis, neque potest se habere ut potentia relate ad actum superioris ordinis, quia non datur ordo superior ordini existentiae, quae est ultima actualitas omnis perfectionis.

Actus autem irreceptus in ordine alicuius essentiae simplicis, sed creatae, licet in ordine suae essentiae sit ipsa perfectio subsistens sui ordinis, tamen quum se habeat ad actum essendi, ut participans esse in aliquo gradu limitationis, hoc ipso se habet in ordine existentiae ut potentia subiectiva ad actum. Tales sunt substantiae spirituales creatae, completae in linea suae essentiae, nempe angeli. Ad animam humanam quod attinet, res patebit quum de ea sermo erit in Psychologia.

Corollarium 3. *Actus essendi in tantum possunt multiplicari, in quantum recipiuntur in quibusdam essentiis sive simplicibus sive compositis, quae se habent ad illos ut potentiae subiectivae ad actus; atque ita multiplicati limitantur magis vel minus pro maiori vel minori capacitate potentiae subiectivae, ad quam actuandam ordinantur. Quae potentia subiectiva esse dedet aliquid iam perfectum in linea essentiae et individuatum.*

Etenim esse existentiae est ultima actualitas cui respondere debet,

ceu propria potentia, aliquid ultimo aptum ad existendum. Porro huiusmodi non est nisi individuum completum in linea essentiae. Quapropter pura potentia subiectiva, quum sit maxime incompleta et indeterminata in linea essentiae, non est ex se sola apta ad recipiendum esse existentiae, sed indiget determinari in ipsa linea essentiae ab actu primo seu a forma substantiali.

Nota. Hoc corollario probatur tum distinctio realis inter essentiam et existentiam creaturae, tum materiam primam non habere existentiam independenter a forma substantiali.

THESIS XXI.

Potentia et actus 1° ad invicem referuntur transcendentaliter immediate 2° et sunt primo opposita.

PROBATUR.

85. *Quoad primum.* Quae tota realitate sua referuntur ad invicem ut comprincipia intrinseca alicuius entis compositi, non indigent alia realitate superaddita, qua referantur. Atqui potentia et actus ei correspondens, quum sint principia intrinsece constitutiva entis compositi, referuntur ad invicem tota realitate sua. Ergo potentia et actus ei correspondens referuntur ad invicem immediate, idest non mediante realitate distincta alicuius relationis praedicamentalis, et ideo dicuntur referri *transcendentaliter* nempe ex tota entitate seu realitate sua.

Quoad secundum. Quae important rationes directe oppositas, seu quarum una excludit a seipsa rationem alterius, sunt primo opposita. Atqui potentia et actus ei correspondens important rationes directe oppositas. Etenim potentia habet rationem determinabilis, seu perfectibilis, et actus habet rationem determinantis seu perficientis; quae rationes mutuo excluduntur ab eodem respectu eiusdem. Ergo potentia et actus ei correspondens sunt primo opposita. Ex hac veritate procedit sequens corollarium.

86. **Corollarium.** *Quae in ordine aliquo se habent ad invicem ut potentia et actus, debent in eo ordine ab invicem distingui.*

Etenim impossibile est ut idem sit determinans et determinabile respectu eiusdem. Unde quae tantum in ordine logico ita se habent, distinguuntur tantum secundum intellectum, ut genus et differentia; licet fundamentum remotum huius distinctionis sit desumendum a reali aliqua compositione, ut demonstravimus in Logica Maiori (n. 188). Quae autem etiam in ordine reali se habent ad invicem ut actus et potentia, debent ab invicem realiter distingui. Haec autem realis di-

stinctio non importat, ut ea quae ita distinguuntur, debeant esse duae res subsistentes ab invicem seiunctae; sed requirit, ut sint duae realitates, quae remanendo ab invicen inconfusae, intime iungantur in ratione potentiae et actus ad constituendum unicum ens realiter compositum. Sic forma substantialis in sua intima coniunctione cum materia, quam determinat ut proprius eius actus et quacum constituit unicum ens corporeum, puta plantam vel leonem, non confunditur cum materia, sed ab ea remanet realiter distincta ut pars determinans a parte determinabili in composito determinato.

THESIS XXII.

Potentia 1° nequit definiri nisi per actum; 2° actus autem non definitur sed describitur secundum propriam rationem sui effectus formalis.

PROBATUR.

87. *Quoad primum.* Id quod ex tota realitate sua dicit ordinem ad aliud ut ad suum determinativum, nequit cognosci neque definiri nisi per ordinem ad illud. Etenim unumquodque per hoc est definibile, saltem definitione late dicta, per quod est cognoscibile, per id autem est cognoscibile per quod est in actu. Iamvero potentia ex tota realitate sua dicit ordinem ad actum, ut ad suum determinativum. Ergo potentia nequit definiri, nisi per actum.

Quoad secundum. Quod est de primis simplicibus definiri nequit definitione stricte dicta. Atqui actus est de primis simplicibus. Ergo nequit proprie definiri. Attamen describitur secundum propriam rationem sui effectus formalis, qui est perficere. Quum enim proprium obiectum nostri intellectus sit quidditas rei materialis, quae composita est, quaeque nobis innotescit per sua accidentia activa; nequimus cognoscere actum nisi in composito, in quo suos formales effectus exercet, mediantibus operationibus quarum est principium. Et ita varias actuum species definimus. Sic definimus animam actum primum corporis physici organici potentia vitam (idest operationes vitales) habentis.

THESIS XXIII.

1° Actus absolute loquendo est prior potentia. Attamen 2° in via tantum generationis potentia est prior illo actu, qui est terminus generationis.

PROBATUR.

88. *Quoad primum.* Id, de cuius ratione est perficere, est absolute prius eo, de cuius ratione est perfici. Nihil enim potest dare sibi perfectionem quam non habet, et ideo quando est quaestio de recipienda prima perfectione, sine qua existere nequit, impossibile est ut praecedat in existentia causam efficientem huius perfectionis. Atqui de ratione actus est perficere sive formaliter sive efficienter: de ratione potentiae est tantum perfici. Ergo absolute loquendo actus est prior potentia.

Quoad secundum. In generatione fit processus de imperfecto in perfectum. Sic ex semine procedit arbor. Atqui potentia rationem habet imperfecti. Ergo in ordine generationis potentia praecedit actum, qui est terminus generationis in composito. Attamen secundum intentionem seu in ratione finis actus, in quem tendit generatio, est prior potentia, quia forma est finis generationis.

THESIS XXIV.

Actus et potentia dividunt ens et omne genus entis; idest omne ens, cui directe seu proprie praedicatum existentis competit vel competere potest, aut est actus, aut ex actu et potentia resultat.

PRAENOTIONES.

89. Ad rectam Thesis intelligentiam animadvertendum est in praesenti divisione entis in actum et potentiam *ens* non accipi ad modum *totius potentialis*, quod habet partes subiectivas, in quibus, tamquam in suis inferioribus invenitur *totalitate essentiae et virtutis*, sicut homo in singulis hominibus (cfr. Log. n. 77.); de hac enim divisione entis loquuti iam sumus, quum egimus de eius transcendentia et descensu ad sua inferiora (Quaestionibus I. et II.). Sed sumimus *ens* ad modum *totius actualis,* quod ex partibus integratur.

Etenim *totum actuale* est illud, quod ex partibus vel principiis intrinsecis integratur; et, quum dividitur in partes, non invenitur in his totum totalitate essentiae et virtutis. Sic *homo* consideratus tamquam

totum actuale, videlicet prout integratur ex anima et corpore, tamquam ex principiis intrinsece constitutivis, et ex variis membris, tamquam ex partibus integrantibus, nequit dividi in haec, ita ut in quolibet suo principio intrinseco vel in quolibet membro sui corporis inveniatur totus totalitate essentiae et virtutis.

In praesenti igitur Thesi, quum dicimus actum et potentiam dividere ens, non intelligimus actum et potentiam esse partes subiectivas seu inferiora entis; ita ut quilibet actus et quaelibet potentia sint entia; de hac enim re iam egimus in quaestione I[a] de transcendentia entis; sed intelligimus *actum* et *potentiam* esse principia entis, quatenus quidquid proprie habet rationem entis, aut est illud summum ens, quod est purissimus actus subsistens, aut sunt omnia alia entia, quae, nisi sint composita ex aliquo actu et ex aliqua potentia subiectiva, non possunt existere; videlicet *omne ens,* cui directe *existentis* praedicatum competit aut competere potest, aut esse actum subsistentem aut ex actu et potentia resultare.

Hoc brevi formula exprimi solet dicendo: *omne ens*, UT QUOD, *aut esse actum aut ex actu et potentia resultare.* Quae formula admitti potest, dummodo recte intelligatur sensus, quo accipitur *ens ut quod.* Videlicet accipitur in oppositione ad partes intrinsecas entis, quae, in quantum huiusmodi, non sunt proprie entia, sed sunt *quibus* resultat ens. Hoc autem contingit vel ita ut ratio propria entis in nullo ordine eis competat, cuiusmodi sunt et materia prima et forma substantialis materialis, et formae accidentales, quae in nullo ordine, idest neque in ordine essentiae neque in ordine existentiae, possunt esse *entia ut quae;* vel ita ut ratio perfecta entis eis competat relate ad ordinem essentiae tantum non autem in ordine existentiae, cuiusmodi sunt essentiae completae cuiuscumque creaturae, quae in ordine existentiae se habent ad suum esse existentiae ut potentia subiectiva ad actum. Ex dictis apparet in praesenti formula *ens ut quod* latius accipi quam *suppositum sive formaliter sive denominative* dictum. Extenditur enim ad essentiam, quae in sua formali ratione importat id *quo* ens est id quod est. Sic essentia humana est id *quo* homo est homo. (De supposito formaliter et denominative dicto agemus in quaestione XI).

PROBATUR THESIS.

Omne ens, cui directe seu proprie competit vel competere potest praedicatum existentis, vel est ipsum esse subsistens, causa suprema omnis entis creati, vel est ens aliquod creatum. Atqui ipsum esse subsistens est actus in omni ordine purus, quia in eo essentia non se habet ad esse

existentiae, ut potentia ad actum, sed est actualitas essendi in tota sua plenitudine.

Ens autem creatum vel est *unum per se*, vel est *unum per accidens*. SI SIT UNUM PER SE, vel est compositum ex actu et potentia in ordine existentiae, ut substantiae spirituales creatae, quae licet sint actus puri in linea suae essentiae, tamen se habent ut potentia ad actum existentiae; vel est etiam compositum in ordine essentiae, ut substantiae corporeae. SI AUTEM SIT UNUM PER ACCIDENS, manifeste est compositum ex actu seu forma accidentali et ex substantia tamquam ex subiecto; insuper ipsa forma accidentalis se habet ut potentia ad actum essendi, quo subiectum existit secundum ipsam formam accidentalem. Ergo actus et potentia dividunt ens et omne genus entis.

COROLLARIA.

90. I. Actus absolute purus est ipsum esse subsistens.

II. Actus relative puri sunt substantiae spirituales creatae subsistentes in essentia simplici, cum qua prorsus identificantur.

III. Actus non puri sunt omnes actus recepti in aliqua potentia subiectiva; nempe *a)* esse existentiae creaturarum, *b)* formae substantiales entium corporeorum, *c)* formae accidentales omnes.

IV. Pura potentia subiectiva est quae nullum in sua ratione includit actum: tale est primum principium intrinsecum subiectivum substantiae corporeae, quod vocatur *materia prima*.

V. Potentia subiectiva non pura est ea quae aliquem in sua ratione includit actum. Talis est substantia relate ad accidentia; et essentia creaturae relate ad existentiam.

APPENDIX.

DE FINITO ET INFINITO.

91. **Infinitum** generalissime acceptum importat *id quod caret limitibus*. Hoc autem dicitur vel *in ratione actus*, vel *in ratione potentiae*.

a) **Infinitum in ratione actus** importat actum seu perfectionem, quae caret limitibus. Et ideo si aliquid sub omni respectu careat limitibus in perfectione, eo quod sit ipsa perfectio pura subsistens, videlicet in ipso ordine essendi, erit in ratione actus infinitum simpliciter et identificabitur cum ipso esse per se subsistente. Si vero aliquid sub aliquo tantum respectu careat limitibus in perfectione, eo quod sit perfectio quaedam mixta subsistens, erit in ratione actus infinitum

secundum quid, videlicet in ratione suae perfectionis: haec autem perfectio secundum quid infinita se habebit ut potentia ad actum essendi. Quare huiusmodi actus seu forma actualiter per se subsistens, qui ex metaphysica compositione ex esse et essentia resultavit, erit ens *simpliciter finitum* in ordine essendi, quamvis sit in ratione actus *secundum quid infinitum*, nempe in ordine suae essentiae cum qua prorsus identificatur. Ex. gr. Si dari posset *albedo* per se subsistens, haec esset infinita secundum quid i. e. in ordine huius perfectionis mixtae, quae est albedo; finita autem simpliciter i. e. in ordine essendi in quo se haberet ad suum esse, ut potentia ad actum: porro omnis potentia limitatur et determinatur in ordine ad suum actum.

b) **Infinitum in ratione potentiae** dicitur id quod in sui ratione caret actu, atque ideo indiget determinari et actuari ab aliquo actu ad hoc ut esse possit. Quae *infinitas* longe abest a perfectione; importat enim carentiam omnis actus et omnis perfectionis. Haec est infinitas, quae competit materiae primae in se consideratae, quia, cum sit pura potentia, indiget forma substantiali ad hoc ut primo determinetur et actuetur. Similiter haec infinitas in ratione potentiae competit quantitati sive continuae sive discretae in se consideratae, quae indiget aliquo determinato numero vel aliqua determinata dimensione ad hoc, ut posita in aliqua determinata specie numeri vel magnitudinis, et esse et concipi possit, quamvis ex se sit semper in potentia ad maiorem numerum vel ad maiores dimensiones (1).

Nota. Quod est infinitum in ratione actus dicitur *infinitum negative*, quia neque habet limites, neque his indiget ad hoc ut sit. Quod est infinitum in ratione potentiae dicitur *infinitum privative*, eo quod in se non habet limites, quibus tamen indiget ad hoc ut sit. Et ideo quoties id, quod est *simpliciter infinitum in ratione potentiae,* reducitur in actum, resultat necessario aliquid *finitum simpliciter sub quacumque ratione actualitatis*, quia tum in ordine existentiae tum in ordine essentiae absque limitibus esse nequit. Hisce declaratis bene etiam intelliges ea, quae habet S. Thomas in Summa 1. p. q. 7. aa. 2. 3. et 4. quem confer.

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Potentia q. 1. a. 2.

QUAESTIO IX.

DE DISTINCTIONE INTER ESSENTIAM ET ESSE.

THESIS XXV.

In ente creato essentia *realiter* distinguitur ab existentia.

PRAENOTIONES.

92. I. Apud omnes in comperto est *esse* seu *existere* importare *actum,* quo res formaliter dicitur et est *existens*, quique nomine abstracto vocatur *existentia,* quasi per ipsum res *sistatur extra* suas causas effectivas. Controversia autem est utrum talis actus *realiter* distinguatur ab essentia rei creatae, an tantum *ratione,* idest secundum nostrum intellectum, qui saepe propter diversos respectus vel aequipollentias unius eiusdemque rei distinguit ea, quae a parte rei prorsus identificantur.

II. Nos tuemur cum S. Thoma in ente creato essentiam *realiter* distingui ab existentia; ita ut *ens contingens existens* sit compositum ex duplici realitate, videlicet ex *essentia singulari* tamquam ex potentia subiectiva in ordine essendi et ex *esse existentiae,* tamquam ex actu non puro in eodem ordine essendi.

III. Veritas, quam in hac Thesi propugnamus, facile intellectui fulgebit, si prae oculis habeantur, ex una parte ea quae in Quaest. VIII de Actu et Potentia disseruimus, ex alia autem consideretur ipsa ratio entis contingentis. Etenim, quum character contingentiae sit indeterminatio ad existendum, quae fundatur in eo quod existentia non est de essentia contingentis, *contingens enim est quod potest esse et non esse;* impossibile est ut ens contingens sit purum existere, seu purum esse subsistens, sed erit aliquod compositum in ordine existentiae resultans ex subiecto recipiente et ex esse recepto, ita ut esse non ratione sui, sed ratione compositi, in quo se habet ut actus non purus et incipiat et desinat ad inchoationem et ad cessationem compositi.

Adversarii imaginatione quadam forte decepti, existimantes omnem realitatem quocumque modo existentem esse aliquid per se ipsum existens, praecludunt sibi viam ad intelligendam primam et essentialem rationem entis compositi. Et ideo si logice procederent, non valerent contra Pantheistas, Materialistas aliosque errantes tueri essentiale discrimen, quod intercedit inter ens necessarium et ens contingens, inter substantiam spiritualem et substantiam corpoream, inter principia

intrinsece constitutiva alicuius essentiae compositae et essentiam quae ex eorum compositione resultat, inter substantiam et accidens, inter essentiam creaturae et ultimam eius actualitatem, qua formaliter constituitur extra causas seu existens. Etenim omnis realitas in eorum sententia erit existentia irrecepta subsistens seu ipsum esse subsistens.

Frustra autem ad haec incommoda vitanda confugiunt ad distinctionem rationis. Etenim quum est quaestio de ente composito in ordine reali, distinctio rationis nullo modo sufficit. Insuper distinctio rationis vel est solius rationis ratiocinantis, sicut distinguimus Marcum a Tullio in eodem Cicerone: vel est rationis ratiocinatae, quae habet fundamentum in re. Porro hoc fundamentum vel est virtualis aequipollentia unius eiusdemque realitatis sub diversis respectibus consideratae sicuti distinguimus in Deo essentiam ab esse, sapientiam a bonitate: vel est convenientia plurium essentiarum in eadem ratione generica, quae tamen specifice ab invicem differunt, ita ut eadem essentia considerata sub formalitate adhuc determinabili concipiatur ut genus, considerata autem sub formalitate determinante concipiatur ut differentia; quae distinctio ita viget inter intentiones intellectuales *generis* et *differentiae* ut supponat in fundamento remoto realem compositionem, sicuti demonstravimus in Logica Maiori Thesi V. et Corollariis.

Profecto quam distinctionem rationis eligent adversarii ut eam attribuant essentiae et existentiae entis contingentis? Primam reiiciunt. Ergo vel secundam vel tertiam. Iamvero tertia fundatur in distinctione reali, neque intercedere potest nisi inter partes eiusdem definitionis. Quapropter neque excludit a suo fundamento realem compositionem, neque intercedere potest inter essentiam, et existentiam, quae non sunt partes definitionis alicuius essentiae. Ergo remaneret secunda distinctio, quae fundatur in virtuali aequipollentia unius eiusdemque realitatis sub diversis respectibus consideratae.

Atqui repugnat ut essentia entis contingentis virtualiter aequipolleat eius existentiae. Nam quod virtualiter aequipollet alicui perfectioni debet eam vel perfectius vel in aequali gradu perfectionis in seipsa continere. Iamvero si essentia entis contingentis contineret perfectionem suae existentiae, existeret vi essentiae suae, et ideo non posset non existere quin periret ipse conceptus essentiae eius. Ergo in tali hypothesi ens contingens esset simul contingens et non esset, quod repugnat. Frustra igitur sunt adversarii, quum ad distinctionem rationis confugiunt.

Caeterum argumentis directis demonstraturi sumus Thesim, et Obiectionum loco ipsa Adversariorum argumenta afferemus et dissolvemus.

PROBATUR THESIS.

93. *Creatura existens* vel est ipsum existere vel est compositum aliquod reale resultans ex essentia aliqua singulari tamquam ex potentia reali subiectiva in ordine existentiae et ex actu existendi ei correspondente. Atqui impossibile est, ut *creatura existens* sit ipsum existere. Ergo *creatura existens* est compositum aliquod in ordine existentiae (quod *metaphysicum* dicitur, quia extenditur etiam ad creaturas supra sensibiles, nempe ad angelos) resultans ex essentia aliqua singulari tamquam ex potentia reali subiectiva et ex actu existendi ei correspondente.

Prob. min. a) Si creatura, seu ens contingens, esset ipsum existere, existentia esset essentia creaturae. Atqui quod est essentia alicuius nequit ab ea separari. Ergo, si creatura esset ipsum existere, non posset non existere; videlicet esset simul et non esset creatura, quod repugnat.

Ubi nota separationem essentiae ab existentia esse destructionem creaturae existentis. Vi autem huius separationis creatura existens destruitur *per se*, actus autem existentiae destruitur *per accidens*, ut caeteri actus non per se subsistentes. Sic corrupto bruto animali vel arbore *per se*, corrumpuntur *per accidens* eorum formae substantiales.

b) Existere creaturae est actualitas quaedam limitata correspondens essentiae eiusdem. Atqui actus non limitatur nisi per potentiam subiectivam, in qua recipitur, in eo ordine in quo est actus. Ergo existere creaturae se habet ad creaturae essentiam, ut actus ad potentiam in ordine existentiae. Sed potentia et actus realiter distinguuntur ab invicem in ordine reali, cuiusmodi est profecto ordo existentiae (cfr. n. 86). Ergo essentia et existentia creaturae realiter distinguuntur ab invicem. Quapropter impossibile est ut creatura existens sit ipsum existere.

c) Actus in suo ordine purus, est in eodem ordine unicus in sua puritate (cfr. nn. 83. 84). Atqui actus existendi est multiplicatus in entibus contingentibus, quae existunt. Ergo existere entium contingentium non est actus purus in suo ordine, sed est receptus. Ergo creatura existens est realiter composita ex essentia et existentia.

d) Creaturae omnes existentes conveniunt in hoc quod omnes existunt, differunt autem realiter ab invicem secundum varias suas essentias et notas individuales. Atqui si essentia creaturae esset re idem cum eius existere, creaturae non possent realiter differre ab invicem, quia non inveniretur in eis realitas distinguens. Ergo in creatura exi-

stente, essentia realiter distinguitur ab existentia. Confer praeclarum testimonium S. Thomae (1).

c) Non potest idem simul existere et non existere vi formae seu naturae suae. Atqui nisi essentia creata distingueretur realiter ab existentia, existeret simul et non existeret vi formae seu naturae suae. Ergo essentia creata realiter distinguitur a sua existentia. *Maior* est evidens. *Minor probatur.* In tantum aliquid non existit vi formae seu naturae suae in quantum inter notas essentiales suae naturae non est esse existentiae, quod proinde exigit causari ab illo ente, cuius essentia identificatur cum esse, nempe a Deo. Atqui si essentia creata, postquam causata fuerit a Deo, identificaretur cum sua existentia, iam inter notas essentiales haberet esse existentiae, adeoque existeret vi formae seu naturae suae. Ergo, nisi ponamus in ente creato essentiam realiter distingui ab existentia, admittere debebimus essentiam creatam existere simul et non existere vi suae formae vel naturae, quod repugnat.

f) « Impossibile est quod sit duplex esse omnino infinitum. Esse « enim quod omnino est infinitum omnem perfectionem essendi com- « prehendit; et sic si duobus talis adesset infinitas non inveniretur « quo unum ab altero differret. Esse autem subsistens oportet esse « infinitur, quia non terminatur aliquo recipiente. Impossibile est « igitur esse aliquod esse subsistens praeter primum (2) ».

g) « Si sit aliquod esse per se subsistens, nihil competit ei, nisi « quod est entis inquantum est ens. Quod enim dicitur de aliquo, non « in quantum huiusmodi, non convenit ei nisi per accidens, ratione « subiecti. Unde si separatim a subiecto ponatur, nullo modo ei com- « petit. Esse autem ab alio causatum non competit enti, in quantum « est ens; alias omne ens esset ab alio causatum, et oporteret procedere « in infinitum in causis; quod est impossibile, ut supra (l. 1. c. 13) osten- « sum est. Istud igitur esse, quod est ens subsistens, oportet quod sit « non causatum. Nullum igitur ens causatum est suum esse » S. Thomas ibid. Confer plura alia argumenta S. Doctoris, tum in eodem Cap. 52., tum in Summa 1. p. q. 3. a. 4; q. 50. a. 2. ad 3., q. 75. a. 5. ad 4; q. 88. a. 2. ad 4; quodlibet 2. a. 3.; quodlib. 9. a. 6. et alibi passim. Quod autem quidam adversarii dubitare se dicant de mente Angelici Doctoris, signum est eos esse satis peregrinos in operibus S. Thomae (3).

---

(1) QQ. dd. de Pot. q. 7. a. 2. ad 9.

(2) S. Th. C. G. lib. 2. c. 52.

(3) Doctrinam S. Thomae de distinctione reali inter essentiam et existentiam creaturarum nuperrime vindicarunt cl. P. Io. Bat. Terrien Soc. Iesu in Opusculo « S. Thomae Aquinatis Doctrina sincera de Unione hypostatica. Lib. 1. cc. II. ad VI. » Parisiis, sumptib. Lethielleux, 10. Via Cassette). — et cl. P. Michael De Maria Soc. Iesu, Philosophia Perip-Schol. Vol. 1. Phil. prim. Tract. 2. q. 1. a. 5.

OBIECTIONES.

Sequentes obiectiones sunt ipsa argumenta adversariorum, quae moderni quidam auctores opportune collegerunt et abundanter aeque ac docte dissolverunt.

94. **Obiect. 1ª.** Existentia rei creatae non est aliquid abstractum sed concretum. Sed quidquid est concretum est id quod existit. Ergo ipsa existentia rei creatae est id quod existit, adeoque non distinguitur ab essentia creata.

Resp. *Dist. mai.* Non est aliquid abstractum sed concretum hoc sensu, quod non est in mera intentione mentis sed est a parte rei, *Conc.*, hoc sensu quod sit id *quod* existit, non autem id *quo* vel *per quod* essentia creata existit, *Nego. Contrad. min.* Si pro concreto intelligitur ens completum actuale, *Conc.*, secus, *Nego. Nego Cons.* Etenim id quod existit est *res actuata*, quae uno verbo vocatur *existens.* Existentia rei creatae etiam concrete accepta non potest proprie dici quod sit aliquid *quod* existat; sed est solum ut *quo* aliquid existit; eo modo quo dicimus albedinem non esse aliquod quod sit album, sed solum aliquid *quo* aliud est album.

Obiect. 2ª. Contradictio est dicere essentiam realem et essentiam quae non sit per se ipsam existens. Si enim realis est, est extra nihilum sua realitate. Si autem est extra nihilum sua realitate, existit per se ipsam. Ergo essentia quae existit eiusque existentia sunt idem.

Resp. *Dist. assert.* Si vox *realis* limitaretur ad significandum ipsum actum purum in ordine essendi, *Conc.*, si vox *realis* extenditur ad designandum quidquid in aliquo ordine se habet vel ut *actus,* vel ut *potentia*, vel ut *resultans* ex utroque, *Nego. Dist. rat. additam.* Si essentia est realis, erit extra nihilum realitate sua. Quatenus haec realitas est extra nihilum, *Conc.*, quatenus sit extra nihilum vi suae realitatis tamquam ipsum esse subsistens, *Nego. Contrad. minor.* Si essentia esset extra nihilum sua realitate tamquam actus purus per se subsistens in ordine essendi, *Concedo*, et tunc esset solus Deus; si est extra nihilum tamquam potentia actuata per existentiam, *Nego. Nego Cons.*

Adversarii decipiuntur in eo quod existimant omne id quod aliquo modo est reale existere vi formae suae. Etenim, nisi velimus ens compositum inter nugas amandare, fateri debemus realitates illud componentes se habere ad invicem vel ut potentiam actuatam per actum, vel ut actum actuantem potentiam. Et ideo essentia et existentia creaturae neque sunt nihil, neque sunt realitates subsistentes, sed sunt

extra nihilum in quantum ex virtute Dei ponitur extra nihilum aliquod compositum constans ex essentia et existentia ut ex potentia et actu, quod habet esse ut *quod est*, et resultat ex eis tamquam ex duobus *quibus* est, altero ut *quo potentiali* - nempe essentiâ - altero ut *quo actuali* - nempe existentiâ. Quare *existentia* ab *existente* idest a *supposito formaliter accepto* non distinguitur realiter adaequate, sed *inadaequate*, tamquam pars a toto. Ab essentia vero distinguitur existentia realiter adaequate tamquam actus a potentia subiectiva in ordine existentiae.

Obiect. 3ª. Essentia et existentia essent ambae productae a Deo. Sed quod est terminus productionis divinae, *est*. Ergo essentia, etiam praecisâ existentiâ, est.

Resp. *Dist. mai.* Essent ambae productae a Deo, quasi essentia separatim ab existentia sit terminus adaequatus productionis divinae, *Nego*, quatenus ipsum compositum ex essentia et existentia est terminus adaequatus productionis divinae, *Conc. Contrad. min.* Terminus adaequatus productionis divinae est *existens ut quod, Conc.*, *ut quo*, *Nego.*

Obiect. 4ª. Si existentia est res distincta ab essentia reali, poterit virtute Dei separari: hoc enim proprium est eorum, quae sunt realiter distincta. Sed essentia separata ab existentia, maneret essentia realis; quandoquidem dicitur essentia realis esse ab existentia realiter distincta: quod autem reale est, et non est nihilum, existit. Ergo essentia realis esset existens sine existentia.

Resp. *Dist. mai.* Si existentia non esset exclusive actus quo essentia actuatur in ordine essendi, *Transeat*, si est exclusive actus, quo essentia actuatur in ordine essendi, *Subdist.* Potest separari *improprie,* quatenus potest destrui compositum, *Conc.*, potest separari *proprie,* quatenus partes separatae adhuc existant, *Nego.* Item *Nego* rationem additam esse veram in sua generalitate. *Nego min. Dist. rationem additam.* Essentia realis est ab existentia realiter distincta ut potentia ab actu, *Conc.*, ut res completa a re completa, *Nego.*

Ad ultimum quod additur: *quod reale est* et non est nihil, existit, *Dist.* Existit, vel ut potentia actualis in ordine essendi (quae *sola* non potest existere), vel ut actus in eodem ordine actuans (qui *solus,* absque potentia eius susceptiva, non potest existere), vel ut compositum resultans ex eis, quod *proprie* et *primo* existit *ut quod, Conc., quod reale est* existit semper *ut quod, Nego.* Et *nego Cons.*

Obiect. 5ª. Cum effectus formalis supponat subiectum in quo fit, termini unibiles sunt natura priores ipso effectu formali. Effectus autem formalis huius formae (quae est existentia) est ut essentia existat. Quod

si essentia nondum existit, ergo, cum unio fit, adhuc essentia est nihil. Porro nequit cum nihilo existentia uniri. Ergo repugnat existentiam realiter distingui ab essentia.

Resp. *Dist. mai.* Termini unibiles sunt natura priores ipso effectu formali, hoc sensu, quod effectus non potest resultare nisi ex ipsis (quemadmodum non potest esse lux nisi sit corpus luminosum), *Conc.*, hoc sensu, quod debent *prius tempore* esse termini unibiles, quam sit effectus formalis, *Nego*, (sicut hoc ipso quod est corpus luminosum est lux). *Nego consequens.* Tunc enim essentia existit, quando existit compositum (quod proprie dicitur existens), quod est effectus formalis unionis essentiae et existentiae.

Obiect. 6ª. Existentia creata est, sicut ceterae res creatae, aliqua entitas seu essentia. Sed non potest realiter distingui a propria existentia, secus admittenda esset infinita series existentiarum ita ut quaelibet existentia existat per aliam existentiam; quod manifeste repugnat. Ergo non est de necessitate creaturae ut eius essentia distinguatur realiter ab existentia, ita ut quaelibet existentia existat per aliam existentiam.

Resp. *Dist. mai.* Est aliqua entitas completa, quae in suo ordine se habet *ut quod*, *Nego*, est aliqua entitas incompleta, videlicet est actus non purus, qui in suo ordine (id est in ordine essendi) se habet *ut quo* aliqua res finita existit, *Conc. Contradist. min.* Si in suo ordine esset actus purus, *Conc.*, quia tunc esse deberet *vi formae suae,* cuiusmodi est solus Deus; si in suo ordine est actus non purus, *Nego.* Et *nego conseq.*

Obiect. 7ª. Essentia realis, si consideratur in praecisione ab existentia, vel est extra causas vel non. Si est extra causas, iam existit, ideoque ad existendum non eget alia existentia a se distincta; si non est extra causas, iam non est essentia realis, sed solum possibilis. Ergo essentia realis non est realiter distincta a sua existentia.

Resp. *Dist. antec.* Vel est extra causas vel non, *quatenus* consideratur in praecisione ab existentia, *Nego suppositum*, quia sic non existit nisi in consideratione mentis; vel est extra causas vel non, *quatenus* sumitur obiective, *Subdist.* Se habet (quando est extra causas) tamquam potentia realis in ordine essendi actuata per actum essendi sibi correspondentem, *Conc.,* se habet tamquam realitas *vi suae naturae* existens, idest tamquam actus per se subsistens in ordine essendi, *Nego.*

Obiect. 8ª. In tantum essentia dicitur agere existentiâ a se realiter distincta, ad hoc ut actu existat, in quantum essentia, secundum se considerata, est indifferens ad existendum vel non existendum. Sed etiam quaelibet existentia creata est indifferens ad essendum vel non;

cum nihil creatum necessario existat, sed possit etiam non existere. Ergo propter eamdem rationem adstrui deberet processus in infinitum in existentibus, quod repugnat.

Resp. *Dist mai.* Essentia creaturae est indifferens ad essendum ratione sui, *Conc.,* ratione alterius, *Nego. Contrad. min.* Existentia creata est indifferens ad existendum ratione essentiae, quam actuat et ratione compositi resultantis, *Conc.*, ratione sui, *Nego.* Videlicet existentia creaturae non est indifferens ad essendum quatenus est actus, sed quatenus est actus non purus seu receptus. Est autem actus non purus ratione essentiae quam actuat et ratione compositi resultantis. Sic lux non est indifferens ad illuminandum ratione sui sed ratione corporis luminosi cuius est actus et ideo corrupto *per se* corpore luminoso, etiam lux corrumpitur *per accidens* et cessat illuminatio.

Obiect. 9ª. Id, sine quo aliquid est nihil, non distinguitur ab eo. Atqui essentia sine existentia est nihil. Ergo essentia non distinguitur ab existentia.

Resp. *Dist. mai.* Id, sine quo *in genere causae efficientis,* aliquid est nihil, ab hoc non distinguitur, *Nego*, (quia tunc nullus effectus distingueretur a sua causa, cum effectus sine causa sit nihil); id, sine quo, *in genere causae formalis*, aliquid est nihil, ab hoc non distinguitur, *Subdist.* Non distinguitur ab eo ut ens completum ab ente completo, *Conc.,* ut principium ab alio comprincipio, scilicet ut potentia ab actu, *Nego. Contradist. min.* Essentia, sine existentia, est nihil extra compositum, *Conc.*, est nihil in composito, *Nego.*

Obiect. 10ª. Essentia, ut essentia, habet suam actualitatem. Sed id quod habet suam actualitatem, non indiget alio actu. Ergo essentia non indiget existentiâ, quae nihil aliud est, quam actualitas essentiae.

Resp. *Dist. mai.* Essentia, ut essentia, habet suam ultimam actualitatem, *Nego,* habet suam actualitatem in linea essentiae, *Subdist.* Ita ut haec ei sufficiat ad essendum, *Nego;* ita ut indigeat actuari per existentiam, ut sit, *Conc. Dist. min.* Id quod habet actualitatem in suo ordine non indiget alio actu eiusdem ordinis, *Conc.*, diversi ordinis, *Nego. Dist. conseq.* Essentia, quae iam habet ultimam actualitatem, videlicet actum existentiae, *Conc.*, essentia, quae illam non habet, *Nego.*

Obiect. 11ª. Esse existentiae creatae nihil aliud est quam illud esse, quo formaliter et immediate entitas aliqua constituitur extra causas secundas, et desinit esse nihil, et incipit esse *hoc aliquid.* Sed huiusmodi est illud esse, quo entitas aliqua, formaliter et immediate, constituitur in actualitate essentiae. Ergo actualitas essentiae est ipsum esse existentiae, adeoque essentia et existentia identificantur.

Resp. *Dist. mai.* Esse existentiae creatae est illud esse, quo entitas

aliqua desinit esse nihil et incipit esse hoc aliquid in ordine existentiae, *Conc.*, hoc aliquid in ordine essentiae, *Nego. Contrad. min.* Si pro actualitate essentiae intelligatur ultima actualitas, quae essentiam aliquam, in suo ordine completam, constituit in ordine existentiae, *Conc.*, si pro actualitate essentiae intelligitur perfectio in ordine essentiae, *Nego.* Eodem modo *dist.* 1. *conseq. et nego* 2.

Obiect. 12ª. Ipsum ens finitum quod est subiectum completum immediate susceptivum actus essendi, dicitur *id quod est.* Sed illud ens non est compositum ex essentia et esse. Ergo compositum ex essentia et esse non debet dici *id quod est.*

Resp. *Dist. mai.* Dicitur *quod est,* tamquam suppositum denominativum, *Conc.*, tamquam suppositum formale, *Nego. Conc. min. Nego conseq.*

In tantum nomen entis et subsistentis tribui potest supposito denominative dicto, idest subiecto ultimo in quo recipitur actus *essendi* vel *subsistendi*, in quantum ex compositione talis subiecti cum suo ultimo actu non resultat nova ratio seu essentia secundum quam ipsum compositum intelligatur actuari, secus ac contingit quando materia actuatur suâ formâ, quia ex hac compositione resultat nova ratio seu natura (1). In sensu igitur ab obiiciente intento nomen *ens* sumitur *incomplete* pro subiecto ultimo apto ad *esse* recipiendum, quodque vocatur suppositum denominative dictum. Etenim ens *complete* dici potest tantum de *supposito formali* in quo perfecta ratio entis salvatur. Quia *suppositum formale,* quum includat ipsum actuale exercitium essendi, proprie et perfecte dicitur *id quod habet esse,* nempe ens.

---

(1) Cfr. S. Th. C. Gent. 1. 2. c. 54.

THESIS XXVI.

1. Quamvis creata existentia respectu essentiae creatae haberi possit tamquam accidens lato sensu dictum; 2. nullo tamen modo dici potest accidens praedicamentale, neque respectu substantiae, neque respectu essentiae alicuius accidentis. 3. Reducitur autem existentia substantiae ad ipsam praedicamentalem substantiam, et existentia diversorum accidentium reducitur ad praedicamentum correspondentis accidentis.

PROBATUR.

95. *Quoad primum.* Quidquid intelligitur esse praeter essentiam aliquam sed huic contingit, potest respectu huius essentiae dici lato sensu accidens. Atqui existentia actualis non includitur in aliqua essentia creata, sed huic contingit. Ergo existentia respectu cuiusvis creatae essentiae haberi potest tamquam accidens lato sensu dictum.

Quoad secundum. Nullum accidens praedicamentale potest constituere cum illo cui accidit *unum per se seu unum* simpliciter, sed constituit *tantummodo unum per accidens* seu *unum secundum quid.* Atqui existentia simul cum essentia finita, quam actuat (quaecumque sit haec essentia) constituit *unum per se* seu unum simpliciter existens, non enim in tali composito habentur duo *quae sint,* sed unum tantum *quod est.* Ergo respectu nullius essentiae potest existentia dici accidens praedicamentale.

Quoad tertium. Quod se habet ad aliquam essentiam tamquam actus ad potentiam, utpote ordinatum transcendentaliter ad eam, ponitur *reductive* in eius praedicamento. Atqui existenta quaelibet se habet ad sibi respondentem essentiam tamquam actus ad potentiam, videlicet tamquam ultima actualitas, qua essentia formaliter ponitur extra causas. Ergo existentia creata reducitur ad praedicamentum ipsum in quo essentia per ipsam actuata collocatur.

Quapropter esse seu existentia substantiae ponitur *reductice* in praedicamento substantiae et dicitur aliquid *substantiale.* Existentia vero accidentis ponitur *reductive* in eo praedicamento, in quo tale accidens invenitur, v. g. existentia caloris in praedicamento qualitatis, etc. et dicitur aliquid *accidentale.*

SCHOLION.

Explicatur sensus, quo existentia dicitur fluere a forma in subiectum.

96. In entibus compositis ex materia et forma dicimus *esse existentiae* fluere a forma in subiectum compositum, eo quod, cum forma sit perfectiva essentiae materialis in linea essentiae, constituit essentiam ultimo aptam ad esse existentiae. Haec autem valent proportionaliter et de forma substantiali et de forma accidentali. Nam a forma substantiali, quae actuando materiam primam constituit subiectum in ipso esse primo et substantiali fluit esse existentiae substantiale. A forma vero accidentali, quae actuando materiam secundam, idest subiectum iam constitutum in suo esse substantiali, constituit hoc in aliquo esse accidentali, puta albi vel musici, fluit esse existentiae accidentale.

Ex dictis facile intelliges existentiam accidentis esse aliam ab existentia substantiae. Cum enim ab omni forma fluat aliquod esse, quia forma est quae dat esse rei, forma autem accidentalis est diversa a forma substantiali; necesse est a forma accidentali fluere accidentale esse, quod secundum formalitatem propriam determinati accidentis actuat compositum accidentale resultans ex subiecto et accidente. Sic Petrus qui ratione suae formae substantialis, seu suae animae rationalis, habet esse quo subsistit quatenus homo est; ratione formarum accidentalium habet plura esse secundaria, quibus est albus, virtuosus, fortis, intelligens etc. (1).

---

(1) Confer Alamannum, Tomo 3. quarta parte, q. 23. art. 2. et 3 et Caietanum, Comment. De Ente et Ess. cap. 7. q. 16. (pag. 549. edit. Traiect. anni 1883).

QUAESTIO X.

DE SUBSTANTIA

CAPUT I.

DE SIGNIFICATIONE ET DIVISIONE SUBSTANTIAE.

97. *a) Substantia latissime accepta* significat quamlibet essentiam in se et non in alio existentem, quo sensu dicitur analogice de ipsa Divina Essentia.

b) Substantia praedicamentalis describitur a S. Thoma (1) « *res, cuius quidditati debetur esse non in aliquo* ». Quae descriptio exhibet nobis 1. substantiam tamquam *subiectum primum essendi,* 2. substantiam solam vocari posse *ens primum et ens simpliciter*, ens primum, quia substantia per primum esse (quod non supponit aliud esse praevium) actuatur; ens simpliciter, quia ipsi competit actus essendi *absolute* et non in ordine ad aliud.

c) Quare a ratione substantiae excluduntur non solum accidentia, sed (in entibus materialibus) etiam partes substantiales, sive sint essentiales, ut materia et forma, sive integrales, ut manus, pes, cor, etc., quae non subsistunt per proprium esse, sed per esse compositi atque totius, in quo faciunt unum per se, tum in linea essentiae singularis, tum in linea existentiae.

98. **Substantia dividitur ab Aristotele in primam et secundam**; quod ita explicatur a S. Thoma (2): « Substantia duobus modis « dicitur: quorum unus est secundum quod substantia dicitur id, « quod ultimo subiicitur in propositionibus, ita quod de alio non prae- « dicetur, sicut substantia prima. Et hoc est quod est *hoc aliquid* quasi « per se subsistens, et quod est inseparabile, quia est ab omnibus « distinctum et non communicabile multis. Et quantum ad haec tria « differt substantia particularis ab universali.

« Primo quidem, quia substantia particularis non praedicatur de « aliquo inferiori, sicut universalis: secundo, quia substantia univer- « salis non subsistit nisi ratione singularis, quae per se subsistit: « tertio, quia substantia universalis est in multis, non autem singularis, « sed est ab omnibus separabilis et distincta ».

---

(1) QQ. dd. de Pot. q. 7. a. 3. ad 4.
(2) In V. Metaph. lect. 10.

a) Substantia prima definitur ab Aristotele (1) « quae neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est »; uti Petrus et Paulus, qui sunt prima subiecta, nam subiiciuntur omnibus illis, quae sunt in subiecto vel praedicantur de subiecto, puta albedini, doctrinae, virtuti etc.

b) Substantia secunda dicitur: « quae non est in subiecto, sed dicitur de subiecto »; homo enim (universaliter acceptus) non est in Petro, tamquam in subiecto, sed dicitur de Petro, tamquam de inferiori. Quare substantia secunda est essentia seu quidditas, quae est *pars formalis* individui vel substantiae primae; substantia autem prima comparatur ad secundam tamquam totum ad suam partem formalem; nam substantia prima complectitur et quidditatem et proprietates illam individuantes (cfr. Log. n. 200.).

99. **Partes substantiae compositae,** sive substantiales ut materia prima et forma substantialis, sive integrales ut caput, manus, pes, etc. pertinent *reductive* ad praedicamentum substantiae, et nequeunt vocari simpliciter substantiae sed vocantur *partes substantiae*, vel *substantiae incompletae.* Unde si aliquando vocantur *substantiae,* semper subintelligitur vox *incompletae.*

100. **Subsistere** importat *actum existendi per se et non in alio.* Quare neque substantiis secundis, neque accidentibus, neque partibus sive essentialibus sive integrantibus substantiarum materialium competere potest, sed tantum substantiae primae et singulari. — Etenim *a) substantia secunda* se habet ad substantiam primam ut *pars formalis* ad *suum totum*, et in entibus materialibus, distinguitur a substantia prima. Etenim substantia prima addit supra secundam *materiam individuam*, quae est principium individuationis, et accidentia, quae hanc materiam determinant; atque ita essentia non est omnino *idem* cum substantia prima et singulari. — *b) Accidentia* habent esse non in se, sed in alio; adeoque indigent extrinseco fundamento, quo sustententur. — *Partibus* tandem *essentialibus* et *integralibus* non competit primo et proprie ratio entis, sed composito, per cuius esse actuantur et existunt. — Unde remanet ut tantum de substantia *prima actuali* dici possit quod subsistat. Quae tunc dici poterit proprie subsistens quando erit *quoddam completum per se existens*, videlicet completum et per se stans tum in linea essentiae tum in linea existentiae, ita ut non actuetur per esse (existentiae) alienum sed per proprium; cuiusmodi sunt Socrates, Plato, haec arbor, iste agnus etc. (2).

---

(1) De praedic. c. 1.
(2) Cfr. S. Th. qq. dd. ad Pot. q. 9. a. 2. ad 13. et 3. p. q. 2. a. 3. ad 2.

101. **Substantia nequit accipere magis et minus.** Maior enim vel minor participatio alicuius formae, supponit subiectum in suo primo esse constitutum. Atqui per formam substantialem aliquid in suo primo esse constituitur et ponitur in specie aliqua determinata. Ergo substantia non recipit magis et minus. Sic nequit aliquod subiectum esse magis vel minus homo, magis vel minus leo etc., quamvis esse possit magis vel minus doctum, magis vel minus calidum etc.

Quapropter *substantia dicitur consistere in indivisibili,* non hoc sensu, quod substantia composita non possit dividi seu resolvi in sua componentia, haec enim divisio contingit in corruptione cuiuscumque substantiae corporeae; sed dicitur consistere in indivisibili, quatenus nequit quidquam addi vel detrahi eius definitioni, quin pereat conceptus specificus eiusdem. Sic si demas rationalitatem a conceptu substantiae humanae, iam cessat notio hominis (1).

CAPUT II.

ERRONEAE QUAEDAM DEFINITIONES SUBSTANTIAE REIICIUNTUR.

102. **Reiicitur definitio Spinozae.** Hic in sua Ethica part. 1. def. 3. aiebat: « Per substantiam intelligo id quod *in se est*, et *per* « *se* concipitur; hoc est, id cuius conceptus non indiget conceptu al- « terius rei, a quo formari debeat ». Quam definitionem ita explicabat ut 1. excluderet omnem distinctionem inter essentiam et existentiam cuiuslibet existentis; 2. ut, dicendo substantiam *per se* concipi, excluderet non quidem inhaerentiam in aliquo subiecto, sed dependentiam a quacumque causa efficiente, etiam suprema, quae realiter esset dictincta a substantia; videlicet asserebat substantiam esse *ens a se.*

Iamvero haec definitio in sensu Spinozae, ut quisque videt, non est definitio substantiae praedicamentalis, sed est descriptio *ipsius esse per se subsistentis*, cui tantum haec praedicata convenire possunt. Quemadmodum enim ex demonstratis in quaestionibus VIII. et IX. resultat, quidquid non est actus purus in ordine essendi, non habet existentiam vi formae suae et consequenter causari indiget ab eo quod est ipsum esse subsistens. Iamvero substantias materiales et substantias spirituales finitas non esse actus puros in ordine essendi ex supradictis satis manifestum est. In tantum autem substantia praedicamentalis dici potest *essentia quae non habet esse suum per aliud*, sed *per se;* in quantum τὸ *aliud* accipitur pro causa *formali intrinseca.* Nihil enim

(1) Cfr. S. Th. p. q. 93. a. 3. ad 3. 1. 2. q. 52. art. 1. 2.

est magis intrinsecum substantiae existenti, quam suum esse existentiae, quum esse sit formalissimum omnium quae in re sunt. Ad rem ait S. Thomas (1): « Dicendum quod esse creatum non est per aliquid « aliud, si ly *per* dicat causam formalem *intrinsecam;* immo ipso for« maliter est (i. e. existit) creatura: si autem dicat causam formalem « extra rem, vel causam effectivam, sic est per divinum esse et *non* « *per se* ».

Quapropter quemadmodum repugnat pantheismus, ut suo loco fuse ostendemus; similiter repugnat *Spinoziana definitio substantiae* quae pantheistica est. Insuper repugnat ipsi etymologiae vocis substantiae stricte dictae. Nomen enim substantiae imponitur a substando, eo quod substantia sit subiectum accidentium, quibus perficitur. Quae potentialitas quam longe absit a Divina Essentia, cuilibet vel mediocriter in Metaphysica versato manifestum est, atque a nobis in Theologia naturali demonstrabitur. Idcirco ait S. Thomas (2). « Nomen substan« tiae imponitur a substando, Deus autem nulli substat ».

103. **Reiicitur definitio Giobertii.** Hic philosophus ponit rationem substantiae *in realitate, sive* (ut ipse ait) *in negatione nihili.* Ex qua definitione omnino inepta, quia non tantum substantia, sed etiam accidentia et principia intrinsece constitutiva substantiae, si existunt, sunt suo modo realitates sive negationes nihili; infert per demonstrationem adhuc ineptiorem conclusiones erroneas. Sic enim argumentatur: substantia consistit in realitate, sive in negatione nihili. Iamvero negatio nihili est operatio. Ergo substantia est causa quaedam, sive vis, sive principium operationis per quam ipsa nihilum negat.

Cui argumentationi respondere quis posset. *Dist. mai.* Substantia consistit in quacumque realitate, quae sit negatio nihili, *Nego*, consistit in tali realitate, quae absolute subsistit, quaeque, mediantibus accidentibus, est principium remotum operationis, *Conc. Contrad. min.* Aliqua negatio nihili est *operatio*, *Conc.*, omnis negatio nihili est operatio, *Nego. Nego conseq.*

Praeterea notio causae non est confundenda cum notione substantiae, siquidem substantia per se spectata non refertur ad aliud quod ab ea fluat. Notio autem *causae* addit substantiae relationem ad aliud tamquam ad effectum, et supponit in substantia finita accidentia seu virtutes operativas superadditas substantiae tamquam principia proxima operationum. Tandem Giobertius, quum substantiam dicit esse *vim quamdam*, confundit actum purissimum per se subsistentem cum

(1) I. Sent. Dist. 8. q. 1. a. 2. ad 2.
(2) I. Sent. Dist. 8. q. 4. a. 2.

ente composito. Etenim tantum actus purissimus subsistens, nempe Deus, esse potest sua virtus, idest ipsa vis subsistens (ut ex dicendis in Theologia naturali apparebit). In caeteris autem entibus vix proxime operativa est accidens. Si igitur definitio Giobertiana vera esset, reincideremus in pantheismum Spinozianum.

104. **Reiicitur definitio Lokii.** *Lokius* substantiam inter figmenta nostrae mentis amandat, eamque ait nihil aliud esse quam *complexionem qualitatum, quas sensu percipimus ignota ratione coexistentium.* Sed vehementer errat. Nam haec substantiae descriptio contradictionem implicat. Quaerimus enim utrum hae qualitates existant in seipsis, vel in aliquo subiecto; vel utrum una qualitas existat in alia tamquam in subiecto. Si primum, iam non essent amplius qualitates, de quarum essentia est modificare seu perficere aliquod subiectum, sed essent totidem subiecta in se subsistentia. Atqui subiectum realiter in seipso subsistens est substantia realiter existens. Ergo hae qualitates Lokianae essent verae et realissimae substantiae. Quod si existant in aliquo subiecto vel una in alia tamquam in subiecto; quaerimus de hoc subiecto, utrum existat in seipso an in alio, donec, ne fiat processus in infinitum, deveniamus ad aliquam realitatem, quae per se et non in alio existit, nempe ad substantiam realem.

Neque proficit quidquam Lokius aiendo has qualitates esse communi quodam vinculo copulatas. Etenim huiusmodi vinculum aut est nova qualitas alteri inhaerens, aut est qualitas nulli inhaerens, sed in seipsa consistens. Si in seipsa consistit, est substantia realiter existens; si alteri inhaeret, hoc alterum erit substantia.

QUAESTIO XI.

DE SUPPOSITO.

105. **Suppositum generatim acceptum** definitur a Boetio (Lib. de duab. nat.) *naturae completae individua substantia.* — Suppositum autem *intellectivum,* quod vocatur *persona*, definitur ab eodem: *rationalis* (idest intellectivae) *naturae individua substantia.*

Ex his definitionibus apparet ad rationem suppositi habendam requiri, ut aliquid subsistat in natura completa per esse proprium ita, ut sit prorsus indivisum in se et divisum a quolibet alio. Quatenus enim dicitur *naturae completae* excluduntur a ratione suppositi partes integrantes et principia intrinsece constitutiva alicuius naturae, etiamsi separata pergant existere, sicut animae rationales. Quatenus additur *substantia individua,* excluduntur a ratione suppositi substantiae secundae et accidentia, atque adsignificatur actus subsistendi indivise *in se* et divise *a quocumque alio*, seu *existendi in seipso per proprium esse existentiae substantialis* et non per esse alicuius assumentis ad unitatem subsistentiae idest hypostasis seu personae. Per id excluditur a ratione suppositi, seu personae, humanitas Christi Domini, quae licet sit natura completa singularis, tamen non subsistit per esse existentiae substantialis proprium sed per esse personale Verbi Dei.

Qua in re animadvertant nullum suppositum creatum posse adsumere aliquam aliam naturam ad unitatem subsistentiae, quia esse existentiae creaturae est limitatum ad essentiam singularem, quam actuat, ut proprius actus ad propriam potentiam. Sola autem Divina Persona cuius esse est infinitum, potest sibi adsumere in unitatem subsistentiae aliquam aliam naturam. Id autem contigisse fide tenemus, quae nos docet Personam Divini Verbi sibi adsumpsisse humanam naturam Christi in unitatem subsistentiae seu hypostasis. Et ideo **Christus** *Deus homo*, seu *Verbum caro factum,* est *unum per se,* quia unicum est esse per quod Verbum subsistit secundum divinam et humanam naturam. Sec haec reservantur Theologiae Dogmaticae (1).

106. **Subsistere-Subsistentia.** *Subsistere* denotat actum existendi proprium suppositi nempe *per se* et *in se,* idest *non communicatum* alteri subsistenti. *Subsistentia* denotat in abstracto hunc modum existendi.

(1 Cfr. S. Th. 3. p. q. 2. aa. 2. 3. 6.

107. **Suppositum formale et suppositum denominativum.** Quum suppositum sit substantia singularis subsistens, necesse est ut in ipsa formali ratione suppositi includatur actus subsistendi. Et ideo *suppositum formaliter dictum* importat substantiam singularem cum ipso actu subsistendi. Attamen, quoniam in rebus creatis essentia realiter distinguitur ab existentia; substantia singularis, quae de se est ordinata ad subsistendum *ut id quod* subsistit, vocatur *suppositum denominativum*, quia quum actuatur per suum actum subsistendi, est subiectum suscipiens denominationem suppositi.

108. **De varia distinctione suppositi ab essentia in Deo, in angelo, in ente corporeo.** Ex modo dictis apparet quomodo in Deo suppositum formaliter et suppositum denominative acceptum identificentur *realiter* inter se et cum Divina Essentia, a qua distinguuntur tantum *ratione*, quia Divina Essentia est ipsum esse subsistens.

In angelis autem suppositum denominative acceptum *realiter* identificatur cum angeli essentia, quia haec est ex seipsa singularis quum sit actus in suo ordine purus. Attamen suppositum formaliter acceptum *superaddit realiter* essentiae angelicae esse existentiae et ideo non est omnino idem realiter cum supposito denominative accepto.

In entibus autem corporeis, ne quidem suppositum denominative acceptum est omnino idem cum essentia, quia haec non est ex seipsa singularis sed ratione materiae signatae (1).

Nota. Quae spectant individuationem entis corporei opportuniori loco agemus, videlicet in Cosmologia, quum praesupponant notiones de materia et quantitate.

THESIS XXVII.

Subsistere importat actum existendi per se et non in alio. Quare neque substantiis secundis, neque accidentibus, neque partibus sive essentialibus sive integrantibus substantiarum materialium competere potest, sed tantum substantiae primae et singulari.

PROBATUR.

109. Id, quod quocumque modo se habet ut pars, nequit existere per se, et non in alio. Atqui substantia secunda se habet ad substantiam primam ut pars formalis ad suum totum, et in entibus materialibus distinguitur a substantia prima. Etenim substantia prima addit supra secundam *materiam individuam,* quae est principium individua-

---

1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 3. a. 3. et 3. p. q. 2. a. 2.

tionis, et dicit ordinem ad accidentia, quae hanc materiam determinant; atque ita essentia non est omnino *idem* cum substantia prima et singulari (Cfr. S. Th. qq. dd. de pot. q. 9. art. 1. in c.).

Accidentia habent esse non in se, sed in alio, adeoque indigent extrinseco fundamento, quo sustententur.

Partibus tandem essentialibus et integralibus con competit primo et proprie ratio entis, sed composito, per cuius esse actuantur et existunt.

Ergo remanet ut tantum de substantia *prima actuali* dici possit quod subsistat. Quae tamen dici poterit proprie subsistens quando erit *quoddam completum per se existens*, videlicet completum et per se stans tum in linea essentiae tum in linea existentiae ita, ut non actuetur per esse (existentiae) alienum, sed per proprium. Huiusmodi sunt Socrates, Plato, haec arbor, iste agnus etc. (Cfr. S. Th. qq. dd. de pot. q. 9. art. 2. ad 13. et in III. P. q. II. art. 3. ad 2.).

Nota. Nomina haec: *substantia (stricte sumpta), hypostasis, suppositum* idem significant nempe substantiam singularem completam in linea essentiae et in linea existentiae actuatam ita, ut per proprium esse existentiae in se ipsa *incommunicata* subsistat. Nomen etiam *personae* idem significat quod *hypostasis*, sed limitatur ad designandas hypostases rationales et intellectuales: quare Alexander Macedo dicitur persona, non autem eius Bucephalus (Cfr. S. Th. III. P. a 3. in c.). Quapropter ad vitandas omnes aequivocationes, si quis quaerat utrum substantia prima dici possit substantia, hypostasis, suppositum, respondemus distinguendo: Si pro substantia prima intelligimus substantiam singularem completam in linea essentiae, et in linea existentiae actuatam ita ut per proprium esse existentiae in se ipsa incommunicata subsistat (quo sensu a S. Th. intelligitur), poterit utique substantia prima dici substantia, hypostasis vel suppositum. Si autem pro substantia prima aliquis intelligat quamlibet substantiam aliquo modo singularem, quae tamen non sit quoddam completum per se existens eo modo quem superius explicavimus, non possemus vocare substantiam primam hypostasim vel suppositum.

Etenim ad conditiones requisitas a nominibus hypostasis, suppositum etc. verificandas, requiritur non solum ut substantia aliqua sit singularis et completa in linea essentiae sed etiam ut sit actu existens, neque sufficit ut sit existens per esse alienum, sed per proprium esse, neque sufficit ut sit existens per proprium esse, sed ita ut sub eo respectu sub quo dicitur hypostasis vel persona non sit alteri communicabilis.

Necessitas harum conditionum evidenter apparet ex iis, quae fide tenemus de mysteriis Incarnationis et Trinitatis.

Nam in Incarnatione, humana natura Christi est singularis et completa in linea essentiae (Cfr. S. Th. III. p. q. II. a 3. ad 1. et 2.), attamen cum non habeat proprium esse existentiae, sed sit per esse personale Verbi Divini non potest dici hypostasis vel persona (Cfr. III. P. q. 17, a 2. et q. II. art. 6. ad 2.).

Item, divina essentia existit per proprium esse cum quo identificatur; attamen cum fide doceamur eam non posse accipi ut incommunicabilem, nisi prouti consideratur sub oppositis relationibus paternitatis, filiationis et spirationis passivae, non potest dici hypostasis seu persona si consideretur *absolute*, sed tantum si consideretur *identificata* cum persona Patris vel cum persona Filii vel cum persona Spiritus Sancti. In his enim habet rationem subsistentis distincti, seu incommunicabilis (Cf. S. Th. in I. Sent. d. 26. q. I. art. 1. ad 3. et ad 4.). « In intellectu substantiae individuae, i. e. *distinctae* vel *incommunicabilis*, intelligitur in divinis relatio » ait S. Th. in I. p. q. 29. a. 4. ad 3um (Cfr. etiam S. Th. ibidem art. 3. ad 3um et ad 4um et art. 4. in c. et q. 30. art. I.).

Quidam Philosophi et Theologi ad tricas vitandas vocant hypostasim *substantiam primam* et *totam*. Nos non recedimus a modo loquendi Sancti Thomae. Attamen in disputando sensum ab adversariis intentum bene definire curabimus, ne in aequivocationum vepribus haereamus. S. Th. in P. 1. q. 29. a. II. in c. et ad 2um ait: « Secundum Philos. « in 5. Metaph. substantia dicitur dupliciter. *Uno modo* dicitur sub- « stantia quidditas rei, quam significat definitio, secundum quod di- « cimus, quod definitio significat substantiam rei. Quam quidem sub- « stantiam Graeci οὐσίαν vocant, quod nos essentiam dicere possumus. « *Alio modo* dicitur substantia subiectum, vel suppositum, quod subsistit « in genere substantiae. Et hoc quidem communiter accipiendo nomi- « nari potest nomine significante intentionem. Et sic dicitur suppo- « situm. Nominatur etiam tribus nominibus significantibus rem. Quae « quidem sunt res naturae, substantia, et hypostasis secundum tripli- « cem considerationem substantiae sic dictae. Secundum enim quod per « se existit et non in alio vocatur substantia. Illa enim subsistere « dicimus, quae non in alio, sed in se existunt. Secundum vero quod « supponitur alicui naturae communi, sic dicitur res naturae; sicut « hic homo est res naturae humanae: secundum vero quod supponitur « accidentibus dicitur hypostasis vel substantia. Quod autem haec tria « nomina significant communiter in toto genere substantiae, hoc nomen « persona significat in genere rationalium substantiarum. »

« Ad secundum dicendum quod sicut nos dicimus in divinis plu- « raliter tres personas, et tres substantias, ita Graeci dicunt tres hy- « postases. Sed nomen substantiae, quod secundum proprietatem signi-

« ficationis respondet hypostasi, aequivocatur apud nos cum quandoque « significat essentiam, quandoque hypostasim, ne possit esse erroris « occasio maluerunt pro hypostasi transferre subsistentiam, quam sub- « stantiam. »

THESIS XXVIII.

Ratio per nomen suppositum significata competit tantum subsistenti distincto, prouti pro distincto intelligimus eius incommunicabilitatem.

PROBATUR.

110. Sub ratione suppositi, generalissime accepti, venit subiectum illud, quod perfecte totum in se ipso subsistit; ita ut quamvis alia ei communicari possint, quae ideo ipsi supponi dicantur, ipsum tamen nulli communicatur. Atqui haec ratio competit omnibus et solis subsistentibus distinctis seu incommunicatis. Ergo ratio per nomen suppositum significata competit tantum subsistenti distincto.

Maior constat ex ipsa notione suppositi ab omnibus admissa et a S. Th. passim declarata.

Minor satis constat ex dictis in Thesi praecedente.

Confirmatur. Suppositum est subiectum, cui cetera tribuuntur, et quod non potest de alio praedicari. Atqui huiusmodi est tantum subsistens distinctum seu incommunicabile. Ergo.

Prob. min. Quidquid non est subsistens distinctum potest de alio praedicari vel tanquam accidens, sicut forma accidentalis praedicatur de suo subiecto; vel ut pars essentialis, sicut forma substantialis et materia praedicantur de essentia composita; vel ut pars integralis, sicut manus vel pes praedicantur de homine; vel ut forma totius, sicut essentia praedicatur de subiecto, quod secundum illam existit; vel saltem praedicatione analogice dicta (i. e. non quasi sit sub praedicamento id de quo aliud praedicatur) sicut essentia divina absolute considerata tribuitur tribus personis distinctis; quia, ut fide docemur, unica et singularis divina essentia, cum unaquaque divina persona realiter identificata, constituit sub oppositis relationibus suppositum seu subsistens distinctum: quare, quamvis Pater et Filius et Spiritus Sanctus sint unus Deus, prouti nomen Deus supponit pro divina Essentia absolute considerata, tamen neque Pater est Filius, neque Spiritus Sanctus est sive Pater sive Filius.

Ergo ratio per nomen suppositum significata competit tantum subsistenti distincto, idest *incommunicabili.*

THESIS XXIX.*

Cum sit de ratione suppositi quod comprehendat omnia quae in re sunt (S. Th. in 3. Sent. d. 5. q. I. art. 3.), sedulo distinguenda sunt ea, quae constituunt suppositum simpliciter et in ratione unius per se ab iis quae constituunt suppositum secundum quid et in ratione unius per accidens.

DECLARATUR.

111. 1° « Suppositum importat maximam completionem » (in III. Sent. d. 5ª q. 3. a. 3.); « est de ratione eius quod comprehendat omnia quae in re sunt » (loc. cit. q. I. a. 3.): et ideo « signatur per totum ut « illud, in quo non solum includitur natura; sed etiam omnia quae « naturae accidunt » (quodl. II. a. 4).

Quare cum Petrum nomino, accipio hunc hominem cum omnibus perfectionibus et qualitatibus ad eum pertinentibus. Ergo plura concurrunt ad suppositum constituendum; siquidem suppositum signatur per totum.

2° Attamen non omnia eodem modo concurrere manifestum est. Etenim ex iis, quaedam accedere possunt supposito vel recedere, eodem manente, quaedam non. Nemo enim dicet personam Petri destrui vel simpliciter mutari in aliam personam, eo quod Petrus ex indocto fiat doctus, ex peccatore iustus. Ast si recedat forma substantialis a materia, vel si esse a substantia separetur, iam suppositum destruitur.

3° Unde apparet quaedam concurrere ad constituendum suppositum secundum suum esse simpliciter et in ratione eius, quod est per se unum et totum. Talia sunt pro supposito materiali, elementa seu principia essentialia, et principia individuantia ex una parte, actus autem essendi ex alia.

Pro supposito autem immateriali et creato, essentia ex se singularis ex una parte, et actus essendi ei correspondens.

Etenim per haec, suppositum fit ens et unum simpliciter, atque habet rationem totius simpliciter dicti, nempe entis perfecte in se subsistentis, atque apti cui supponantur reliqua, quae ei ulterius communicari possunt.

Reliqua vero concurrunt ad constituendum suppositum (iam constitutum in ratione suppositi seu totius simpliciter dicti) in ratione suppositi seu totius secundum quid. Ea sunt omnia accidentia supervenientia substantiae in se subsistenti, quae constituunt cum illa unum

et totum accidentale. Haec pertinent ad unitatem suppositi secundum quid, cum faciant hoc esse secundum quid.

Ex. gr. *esse album* est quidem *quoddam esse personae* Socratis, ideoque dici potest quod uniatur essentiae hominis secundum hypostasim (c. Gent. l. 4. c. 41.): non tamen est esse simpliciter personae Socratis sed solum secundum quid (III. P. q. 17. a. 11. in c.).

Quapropter cum dicuntur accidentia pertinere ad completionem suppositi, sedulo distinguenda est completio in esse simpliciter a completione in esse secundum quid. Ad istam requiruntur etiam perfectiones accidentales in supposito, non autem ad primum.

4° Insuper notandum est non omnia illa, sine quibus suppositum *naturaliter* existere nequit, concurrere ad constituendum illum *in sua completione simpliciter dicta;* sed tantum ea sine quibus nequit esse *ens primo, per se et in se subsistens.*

Corollarium. Esse existentiae actuans snbstantiam concurrit ad constituendum suppositum in suo esse *simpliciter* et in ratione *unius per se;* quae in supposito importatur ut constitutivum intrinsecum. Id manifestum esse debet omnibus qui meminerint ea quae tradidimus in Thesi XXVI.

Et sane hoc quod est *esse* non facit cum essentia substantiali, cuius est ultima actualitas, unum per accidens, *sed unum simpliciter*, quod non est tertia quaedam natura constituta ex essentia et esse, sed est ipsa illa essentia in ultima sua completione et actualitate in ordine entis. Quare esse existentiae pertinet ad unitatem simpliciter suppositi, et illud *simpliciter* constituit, tamquam id quod secundum se est pars constitutiva eius.

S. Thomas saepe meminit *ipsum esse* tamquam de ratione hypostasis. Sic:

[in 3. p. q. 19. ar. 1. ad IV.]. « Esse pertinet ad ipsam constitu-« tionem personae. »

[in III. Sent. d. V. q. 12. a. 3.]. « Esse per se est de ratione « personae. »

[qq. dd. d. p. q. 2. a. 3.]. « Persona significat quamdam naturam « (id. intellectivam), cum quodam modo existendi (id. in se et incom-« municabiliter). »

[in I. Sent. d. XXXIII. q. 1. a. 2. ad IV.] dicit quod persona « nominat quid completum subsistens vel existens in natura intelle-« ctuali. »

[in 1. p. q. 30. a. 4.]. « Nomen personae non est impositum ad si-« gnificandum individuum ex parte naturae, sed rem subsistentem in « tali natura. »

[in 3. p. q. 2. a. 2. ad II.] ait quod « in nomine personae intelli- « gitur quod per se existat. »

Ipsum autem suppositum, saepius definit *subsistens distinctum.* Quid vero significet *subsistere* dicit in *qq. dd. d. p. qq. a. 1.* Ait enim quod subsistentia est « quod non indiget extrinseco fundamento in quo « substentetur, sed substentatur in se ipsa et ideo dicitur *subsistere,* « quasi *per se et non in alio existens.* » Et *[in Quodl. 9. a. 6.]* ait: « Invenimus in Angelo quidditatem eius quae subsistit, et *esse* eius « quo subsistit, quo scilicet actu essendi dicitur esse, sicut actu cur- « rendi dicitur aliquis currere. » Praeterea *[in 1. p. q. 29. art. 3.]* asserit quod: « Persona significat id quod est perfectissimum in tota « natura, scilicet subsistens in rationali natura. »

Sensus est quod persona seu subsistens in natura intellectuali est id quod maxime perfectum invenitur in *universa rerum natura.*

Nam S. Thomas ostendere vult nomen *persona* convenire Deo ex eo quod Deo est attribuendum quidquid est perfectionis in universa natura.

Unde sic arguimus: *Persona* importat perfectissimum in tota natura. Sed si *persona* non includeret esse, non esset in tota natura perfectissimum, quia careret eo quod iuxta ipsum S. Th. est « ultima actualitas entis », et est illud « *quod est magis intimum cuilibet*, et quod pro- « fundius omnibus inest, cum sit formale omnium quae in re sunt « et est actualitas omnium actuum et perfectio omnium perfectionum » (1. p. q. 8. a. 1. d. P. q. 7, a, 2. ad. 9.).

Ergo persona intrinsece includit hoc quod est esse. Porro, iuxta eumdem S. Doct. persona non addit supra hypostasim vel suppositum nisi specialem dignitatem intellectualis naturae.

Quare suppositum dici debet *iuxta S. Thomam* importare *intrinsece* esse. Tandem

[in Quodl. 12. q. 5. art. 5.] ait: « Sciendum quod unumquodque quod « est in potentia et in actu, fit actu per hoc quod participat actum su- « periorem. Per hoc autem aliquid maxime fit actu, quod participat « per similitudinem primum et purum actum. Primus autem actus « est esse subsistens per se. *Unde completionem unumquodque recipit* « *per hoc quod participat esse:* unde esse est complementum omnis « formae, quia per hoc completur quod habet esse, et habet esse cum « est actu; et sic nulla forma est nisi per esse. »

« Et sic, dico quod esse substantiale rei non est accidens, sed actua- « litas cuiuslibet formae existentis, sive cum materia, sive sine ma- « teria. »

Quae loca collata cum iis, quod sub initio huius thesis attulimus, omne dubium circa S. Doctoris mentem penitus excludunt.

Animadversiones ad solvendas difficultates.

112. 1° Distinguendus est duplex modus accipiendi nomen *suppositum:* nempe vel *formaliter* vel *denominative.* Formaliter sumptum dicit *totum compositum* ex substantia individua et ex esse, quia haec omnia in suo conceptu intrinsece claudit. *Denominative* sumptum dicit tantum *substantiam individuam* cum connotatione illius esse quo fit subsistens, videlicet subiectum cui competit subsistere. Itaque quando S. Doctor dicit suppositum vel personam includere ipsum esse existentiae, accipit nomen suppositum vel personam *formaliter:* quando autem ab esse existentiae praescindere videtur, accipit personam vel suppositum *denominative.*

2° In pluribus locis, in quibus S. Thomas exhibet ipsam substantiam individuam ut suppositum, nihil determinando circa esse, intelligit substantiam individuam in actu; adeoque non excludit esse quod semper exhibetur ab ipso tamquam id, quod est *magis intimum* cuilibet et *profundius* omnibus inest, et est *formale* respectu omnium quae in re sunt, et est illud *per quod* unumquodque recipit suam completionem (Cf. *de Potent.* Q. VII. art. II. ad 1^m, 1. p. q. VIII. a. 59. *Quodlib.* XII. q. 5. art. 5.).

Dices 1°. S. Thomas in *Quodlib.* II. art. IV. ad 2um ait: « Esse non est de ratione suppositi ». Ergo perperam invocatur eius auctoritas.

Resp. *Dist. ant.* Ait non esse de ratione suppositi *formaliter* sumpti, *Nego,* non esse de ratione suppositi *denominative* sumpti, idest substantiae individuae finitae, *Conc. Nego conseq.* Mens S. Thomae apparet legenti ipsum contextum: « Dicendum quod non omne quod accidit alicui praeter rationem speciei est determinativum essentiae ipsius, ut oporteat illud poni in ratione eius, sicut dictum est; et ideo licet ipsum esse non sit de ratione suppositi, *quia tamen pertinet ad suppositum et non est de ratione naturae*, manifestum est quod suppositum et natura non sunt omnino idem in quibuscumque res non est suum esse ». In quibus verbis nequaquam conceditur suppositum non differre a natura per esse; imo asseritur quod in creatis suppositum differt a natura per esse, quia esse *pertinet ad suppositum, non autem est de ratione naturae.* Quo sensu autem *esse* dicatur pertinere ad suppositum patet ex corpore articuli, scilicet quia suppositum non solum habet quae ad rationem speciei pertinent, sed etiam alia quae ei accidunt inter quae est *esse*, non tamen proprie ut accidens praedicamentale (cfr. Thesim XXV.), et ideo suppositum signatur per totum.

Quod si in loco obiecto aliquis velit sumere nomen suppositum *formaliter* et non *denominative*, tunc vox *ratio* sumenda esset *pro*

essentia. Quo in casu dicere quod esse non est de *ratione* suppositi creati, significaret non esse de *essentia* illius subsistentis quod vocatur suppositum. Et revera quodlibet suppositum creatum non habet aliam essentiam, nisi illam secundum quam existit. Esse autem non est de essentia alicuius suppositi creati, sed tantum suppositi divini.

Dices 2°. Si suppositum creatum formaliter acceptum includit esse existentiae, hoc necessario de eo praedicatur. Sed esse existentiae non praedicatur necessario nisi de Deo. Ergo suppositum formaliter acceptum non includit esse existentiae.

Resp. *Dist. mai.* Si includit esse existentiae tamquam identificatum cum sua essentia, *Conc.*, si includit esse existentiae tamquam adveniens suae essentiae, ut ex compositione essentiae individuatae et esse resultet ipsum subsistens simpliciter completum, idest suppositum formaliter acceptum, *Subdist.* Praedicatur necessario de supposito creato *esse signatum*, *Conc.*, *esse exercitum*, *iterum Subdist.* In sensu composito, nempe dum actu existit, *Conc.*, in sensu diviso, *Nego*, *Contradist. min.* Esse exercitum praedicatur necessario et *absolute* (idest in quacumque hypothesi) solum de Deo, *Conc.*, esse signatum, *Subdist.* Illud esse quod est actus purus, *Conc.*, illud esse quod non est actus purus, *Nego.* Nam quodlibet subsistens finitum, quamvis contingenter tantum existat, sitque compositum ex essentia individuata et ex esse, tamen concipi nequit *ut subsistens completum* sine suo esse existentiae. Quemadmodum, quamvis Petrus contingenter currat; tamen etiam ante et post cursum non potest concipi ut currens, nisi consideretur in actu currendi. Porro hoc tantum importat praedicari necessario existentiam signatam de supposito creato.

113. **Corollarium.** *In rebus creatis omnibus natura realiter differt a supposito vel persona.*

Nam in rebus compositis ex materia et forma suppositum addit naturae aliquid *intrinsecum* et determinativum ipsius essentiae, nempe principia individuantia, et aliquid essentiae *extrinsecum* idest *esse existentiae.* In formis autem per se subsistentibus, seu in substantiis spiritualibus, suppositum addit naturae ex se determinatae aliquid solummodo extrinsecum idest *esse existentiae.*

Hac de re ita loquitur S. Thomas (Quodlibet II. art. 4.). « Ad « primum ergo dicendum, quod non solum in compositis ex materia « et forma invenitur aliquod accidens praeter essentiam ipsius speciei; « sed etiam in substantiis spiritualibus, quae non componuntur ex « materia et forma; et ideo in utrisque suppositum non est omnino « idem quod ipsa natura. Hoc tamen est aliter et aliter in utrisque. « Dupliciter autem aliquid accipitur ut accidens praeter rationem rei.

« Uno modo quia non cadit in definitione significante essentiam rei, « sed tamen est designativum vel determinativum alicuius essentialium « principiorum; sicut rationale accidit animali, utpote praeter definitionem eius existens, et tamen est determinativum essentialiter animalis; unde essentiale homini, et de ratione eius existens. Alio « modo accidit aliquid alicui, quia nec est in eius definitione, nec est « determinativum alicuius essentialium principiorum; sicut albedo « accidit homini. His ergo, quae sunt composita ex materia et forma, « accidit aliquid praeter rationem speciei existens utroque modo. Cum « enim de ratione speciei humanae sit quod componatur ex anima « et corpore; determinatio corporis et animae est praeter rationem « speciei, et accidit homini in quantum est homo, quod sit ex hac « anima et ex hoc corpore; sed convenit per se huic homini, de cuius « ratione esset, si definiretur, quod esset ex hac anima et ex hoc « corpore, sicut de ratione hominis communis est quod sit ex anima « et corpore. Accidunt etiam compositis ex materia et forma praeter « rationem speciei multa alia, quae non sunt determinativa essentialium principiorum. Substantiis vero immaterialibus creatis accidunt « quidem aliqua praeter rationem speciei, quae non sunt determinativa essentialium principiorum, ut dictum est; non tamen accidunt eis aliqua quae sunt determinativa essentiae speciei; quia ipsa « natura speciei non individuatur per materiam, sed per seipsam, ex « hoc quod talis forma non est nata recipi in aliqua materia; unde « per seipsam non est multiplicabilis, neque praedicabilis de pluribus. « Sed quia non est suum esse, accidit ei aliquid praeter rationem « speciei, scilicet ipsum esse, et alia quaedam, quae attribuuntur supposito, et non naturae; propter quod suppositum in eis non est « omnino idem cum natura ».

QUAESTIO XII.

DE ACCIDENTE.

CAPUT I.

DEFINITIO ACCIDENTIS.

114. *Accidens definitur res seu quidditas cui competit esse in alio sicut in subiecto.*

Dicitur *quidditas* quia non est pars essentiae subiecti, cui inhaeret, sed habet propriam essentiam. Additur: *cui competit esse in alio sicut in subiecto*, ut distinguatur a substantia, quae est quidditas cui competit esse in se, et simul adsignificatur ratio eius essentiae, nempe 1° eam esse simplicem idest non compositam ex materia et forma utpote quae inhaereat subiecto ut actus a subiecti essentia distinctus eique superveniens iam in suo primo esse constituto, quapropter dicitur etiam actus secundus vel forma accidentalis; 2° eam esse imperfectam, quia accidentis essentia neque esse neque concipi potest independenter a subiecto suae inhaesionis, et ideo non potest habere esse *ut quod* est, sed *ut quo* subiectum est non simpliciter seu primo, sed secundum quid seu secundario. Sic albedo in Petro non habet esse *ut quod*, sed *ut quo* Petrus est non *simpliciter*, sed *secundum quid* nempe *albus*. Quapropter essentia accidentalis *a)* concipi nequit sine actuali vel saltem sine aptitudinali inhaesione ad subiectum : *b)* definiri nequit perfecte sed imperfecte tantum, idest semper cum adsignificatione subiecti sive in recto sive in obliquo, prouti definitur vel in concreto vel in abstracto (cfr. Log. n. 161.).

CAPUT II.

DISCRIMEN INTER FORMAM SUBSTANTIALEM ET FORMAM ACCIDENTALEM.

115. *Forma accidentalis convenit* cum forma substantiali *a)* in eo quod neutra est ens *ut quod*, sed sunt entia incompleta videlicet *quibus* aliquid est, *b)* in eo quod utraque determinant subiectum ad aliquod esse existentiae habendum, quod sit proprium totius compositi resultantis.

Discrepat autem *a)* in eo quod forma substantialis, quum determinet subiectum, quod est pura potentia subiectiva, ad esse primum seu

substantiale, facit cum eo *ens* et *unum per se;* forma autem accidentalis, quum determinet subiectum iam in suo primo esse constitutum, facit cum eo *ens* et *unum per accidens.* Ex quo discrimine oritur *b)* aliud discrimen. Videlicet forma substantialis ideo dicitur habere essentiam incompletam, quia est pars essentiae compositi resultantis, quum faciat cum materia unum per se et simpliciter videlicet unam essentiam: forma autem accidentalis non ideo dicitur habere essentiam incompletam, quasi sit pars essentiae compositi resultantis, quum non faciat cum substantia unam essentiam videlicet unum per se, et simpliciter; sed quia integra eius essentia ordinatur ad determinandam substantiam (quae in sua essentia immutata perseverat, et cum qua facit unum per accidens) ad habendum praeter esse existentiae primum, seu substantiale, aliquod esse existentiae secundum, in quo coadunatur substantia cum forma accidentali. Sic hominis essentia non mutatur ex eo quod homo ex frigido fiat calidus, ex nolente volens, ex non grammatico grammaticus etc. Nec nova essentia exsurgit ex homine et albedine, ex homine et scientia etc.

CAPUT III.

EXPLICATUR QUO SENSU ACCIDENS DICATUR DETERMINARE INTRINSECE SUBSTANTIAM.

116. Si *intrinseci* nomine quis intelligat id quod ipsam rei essentiam constituit, falsum est accidens *intrinsece* determinare substantiam: sic enim determinat substantiam corpoream forma substantialis, quae, actuando materiam primam, cum ea intrinsece constituit corpus physicum. Quod si *intrinseci* nomine quis intelligat realitatem, quae licet non sit unum e constitutivis essentiae substantialis, tamen ab essentia substantiae non dividitur per proprium esse existentiae, sed cum ea, iam in proprio esse substantiali subsistente, communicat in novo quodam esse existentiae, quod eius causa supervenit composito resultanti ex substantia et ex ipsa; debebit accidens dici determinare *intrinsece* substantiam. Sicut enim iam supra diximus, proprium receptivum alicuius esse accidentalis est compositum ex substantia et quidditate accidentali: ex. gr. homo per formam virtutis incipit existere in ratione hominis virtuosi.

Nota. Ea quae diximus de natura accidentis deque convenientia et discrimine inter formam substantialem et accidentalem, exhibent doctrinam S. Thomae, in Opusc. De Ente et Ess. Cap. VII.

THESIS XXX.

Accidens realiter distinguitur a substantia.

PROBATUR.

117. I. Independenter a quacumque mentis nostrae consideratione accidentia frequenter variantur circa eamdem substantiam, puta quum homo ex ignorante evadit doctus, ex virtuoso vitiosus, ex non agente agens etc. Atqui hoc impossibile esset, si realitas accidentium esset eadem cum realitate substantiae. Ergo accidens realiter distinguitur a substantia.

II. Quae important rationes formales obiective diversas, ita ut una non contineatur in alia neque formaliter neque aequivalenter, realiter ab invicem distinguuntur. Atqui ratio formalis substantiae est obiective diversa a ratione formali accidentis, ita ut una non contineatur in alia neque formaliter neque aequivalenter, ut ex earum definitionibus et ex variis generibus accidentium patet. Ergo accidens realiter distinguitur a substantia.

Res est tam evidens ut S. Thomas (qq. dd. spirit. creat. a. 11. ad 1.) dixerit: « Nullus umquam opinatur nisi *insanus,* quod habitus et actus animae sunt ipsa eius essentia ».

III. Potentia et actus distinguuntur ab invicem in eo ordine in quo accipiuntur. Atqui substantia in ordine reali se habet ad accidentia ut potentia ad actum. Ergo substantia realiter distinguitur ab accidente. *Maior* constat ex dictis sub n. 86. *Minor* constat ex ipsa formali ratione accidentis, cuius est ulterius determinare et perficere subiectum in suo primo esse iam constitutum.

IV. Confirmatur rationibus ex Theologia Dogmatica desumptis, quibus magni nominis Theologi invicte demonstrant non posse absque periculo errandi in his quae Fides docet de Sacramento Eucharistiae, de Gratia tum actuali, tum habituali, atque de Virtutibus infusis, negari realis distinctio accidentium a substantia (1).

OBIECTIONES.

118. **Obiect. 1ª.** Modi generaliter consequentes ad rationem entis scilicet res, unum, aliquid, verum, bonum non distinguuntur realiter ab ente, sed ratione cum fundamento in re. Ergo ex eo quod acci-

---

(1) Cfr. Card. Franzelin Soc. Iesu « De Eucharistia » Thes. 16., Card. Mazzella Soc. Iesu « De Gratia » Disp. V. Art. 4. Prop. 30.

dentia sint modi substantiae non sequitur ea realiter distingui a substantia.

Resp. *Conc. antec. Nego cons. et parit.* Nam *modus* dicitur *analogice* de quinque transcendentibus et de accidentibus. Transcendentia enim ideo dicuntur *modi* entis quia exprimunt explicite et determinate id quod implicite et confuse continet conceptus entis, et nomine entis non exprimitur (cfr. nn. 52. 53.), accidentia autem ideo dicuntur modi substantiae quia determinant subiectum ad habendam aliquam perfectionem ulteriorem, quae neque implicite neque explicite continetur in definitione substantiae, puta sanitatem, scientiam, visionem etc.

Obiect. 2ª. Si accidens realiter distingueretur a substantia esset aliquod ens habens propriam essentiam et existentiam. Atqui huiusmodi est ens subsistens. Ergo accidens non distinguitur realiter a substantia.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Accidens haberet essentiam perfectam et existentiam *ut quod est, Nego,* haberet essentiam imperfectam et existentiam *ut quo* subiectum est *secundario* seu *secundum quid*, *Conc. Contrad. min.* Ens subsistens est quod habet essentiam perfectam et existentiam ut *quod est*, *Conc.*, quod habet essentiam imperfectam et essentiam *ut quo* aliquid est, *Nego. Nego conseq.* Solutio patet ex supradictis.

Obiect. 3ª. Accidens determinat intrinsece substantiam. Atqui intrinseca determinatio procedit a propria realitate. Ergo accidens non distinguitur realiter a substantia.

Resp. *Dist. mai.* tamquam pars essentiae substantiae, quae eam determinat ad esse primum, *Nego,* tamquam realitas superaddita essentiae substantiae quae eam determinat ad aliquod esse secundum, *Conc. Contrad. min.* Determinatio ad esse primum. *Conc.,* determinatio ad esse secundum, *Nego.* Solutio patet ex dictis sub n. 115. Ad hanc et similes obiectiones solvendas, prae oculis habeant in substantiis creatis inveniri *esse primum*, quo substantia est simpliciter et absolute ens, et *esse secundarium*, quo eadem substantia est ens quantum, vel quale, vel aliquo modo se habens. Et ideo substantia creata est ens absolute per suam essentiam et esse, quod ipsam consequitur, quodque vocatur esse substantiale; est autem ens secundum quid per formam essentiae superadditam, a qua fluit aliud esse distinctum a primo et receptum non in sola substantia, sed in composito ex substantia et accidente, quodque vocatur esse accidentale.

Obiect. 4ª. Substantia est ens maxime determinatum per suum esse substantiale. Atqui quod est omnino determinatum, nequit ulterius

determinari. Ergo in substantiis creatis non dantur accidentia ab ipsis distincta.

Resp. *Dist. mai.* Est maxime determinata ad perfectionem primam seu substantialem, *Conc.*, ad caeteras perfectiones cuius est capax, *Nego. Contrad. min.* Quod est omnino determinatum ad omnem rationem perfectionis, *Conc.*, ad perfectionem primam tantum, *Nego.* Essentia creaturae pluribus indiget perfectionibus superadditis, ut evadat perfecta et bona non solum *secundum quid* sed *simpliciter.* In eo tantum ente *ens simpliciter* et *bonum simpliciter* prorsus identificantur, quod est ipsum esse subsistens.

Obiect. 5ª. Id quod non potest existere sine alio ipsum determinante, non distinguitur realiter ab ipso. Atqui substantia non potest existere sine quibusdam accidentibus eam determinantibus. Ergo substantia non distinguitur realiter ab accidentibus.

Resp. *Nego. mai. Dist. min.* Substantia non potest existere sine quibusdam accidentibus eam determinantibus ad esse secundum quid, *Conc.*, ad esse simpliciter, *Nego.* Falsitas maioris patet ex dictis sub n. 86., ubi probavimus actum et potentiam se invicem excludere in eo ordine in quo accipiuntur. Quapropter in ordine reali determinabile debet realiter distingui a determinante, et ideo quemadmodum materia realiter distinguitur a forma substantiali, a qua determinatur ad participandam existentiam primam, quae est propria totius compositi essentialis; similiter substantia determinatur a forma accidentali ad participandam existentiam secundariam, quae est propria totius compositi accidentalis.

Obiect. 6ª. Substantia ab accidente determinatur ad hunc vel ad illum essendi modum. Atqui quaelibet res determinatur ad aliquem essendi modum a proprio esse, non ab esse distinctae realitatis. Ergo accidens non est realitas distincta a substantia.

Resp. *Dist. mai.* Substantia determinatur ab accidente ad modum essendi primum seu substantialem, *Nego.*, secundarium et accidentalem, *Conc. Contrad. min.* Si sermo sit de re completa in linea essentiae et de esse primo et substantiali, *Conc.*, si sermo sit de re incompleta in linea essentiae, puta de materia prima; aut etiamsi sermo sit de re completa in linea essentiae agatur de eius determinatione ad modum essendi accidentalem, *Nego.* Solutio patet ex dictis sub num. praec. et sub n. 115.

QUAESTIO XIII.

DE QUALITATE.

CAPUT I.

DEFINITIO QUALITATIS.

119. *Qualitas generatim vocatur modificatio seu dispositio substantiae in seipsa.* Etenim, quemadmodum in Logica Maiori demonstrantes denarium numerum Praedicamentorum diximus, *qualitas* constituit praedicamentum, quod importat talem essendi modum, vi cuius subiectum iam in suo primo esse constitutum denominatur per aliquid sibi intrinsecum et absolutum consequens formam substantialem, ita ut per hoc accidentaliter et intrinsece modificetur seu disponatur. Quare qualitas vocatur modificatio seu dispositio substantiae in seipsa. Attamen enucleatius potest ita definiri:

Qualitas *est accidentalis modus* seu *accidentalis determinatio substantiae in seipsa secundum quamdam mensuram* (1).

Etenim quum modus sit, secundum S. Augustinum, « quem mensura praefigit » necesse est, ut importet quamdam determinationem secundum aliquam mensuram. Sic autem intellecto *modo*, facile apparet bonitas datae definitionis. *a)* Quatenus enim *qualitas* dicitur *accidentalis determinatio* substantiae, distinguitur *a forma substantiali; b)* quatenus dicitur *determinatio secundum aliquam mensuram*, distinguitur a *quantitate*, quae independenter a *figura*, vi cuius terminatur, nequit secundum debitam mensuram et ordinem disponere partes substantiae extensae; *c)* quatenus dicitur *determinatio substantiae in seipsa*, distinguitur tum a *relatione*, cuius tota ratio consistit in *esse ad,* tum a caeteris accidentibus, quae vel denominant subiectum per aliquid omnino extrinsecum, ut: *quando*, *ubi*, *situs* et *habitus* idest *vestitus*, vel per aliquid partim intrinsecum, et partim extrinsecum ut *actio* et *passio.*

---

(1) Cfr. S. Th. 1 2. q. 49. a. 2.

THESIS XXXI.

Quatuor enumerantur species qualitatis: 1. habitus et dispositio, 2. potentia et impotentia, 3. passio et passibilis qualitas, 4. figura.

PROBATUR.

120. Tot admitti debent species qualitatis, quot sunt modi, quibus substantia in seipsa seu absolute potest disponi seu accidentaliter determinari secundum quamdam mensuram. Atqui hi modi sunt quatuor enumerati. Etenim modus sive determinatio subiecti in seipso secundum quamdam mensuram et secundum esse accidentale potest accipi

vel 1. *in ordine ad ipsam naturam subiecti*, ita ut in ea sit quaedam dispositio accidentalis, vi cuius natura bene vel male se habeat, prouti ea est naturae conveniens vel disconveniens. Hic modus est *habitus* et *dispositio;* atque constituit primam speciem qualitatis, quae definitur « Dispositio secundum quam aliquis bene vel male disponitur vel in se vel ad aliud »*; in se* quidem, si sit *habitus entitativus*, ut sanitas, aegritudo et similia, *ad aliud*, si sit *habitus operativus*, ut scientia, prudentia, temperantia, ars etc. qui immediate disponit et perficit ipsam potentiam operativam, haec enim tamquam natura se habet ad ipsum. Definita dispositio si perfecte insit subiecto, ita ut nequeat faciliter amitti, dicitur proprie *habitus* seu *dispositio stabilis;* si vero sit faciliter amissibilis, eo quod non perfecte insit, vocatur generico nomine *dispositio*. Qua in re animadvertant habitus operativos iis tantum potentiis inesse, quae sunt determinabiles ad bene vel male operandum, videlicet intellectui et voluntati, atque, ratione harum, iis viribus inferioribus, quae ab eis dependent,

vel 2. *in ordine ad ipsam actionem*, ita ut determinetur subiectum ad habendum aliquod principium proximum operationis seu *potentiam operativam*. Hic modus est *potentia*, quae definiri potest « qualitas dispositiva substantiae ad agendum », ut intellectus, voluntas, facultas visiva, vis nutritiva etc. Constituit secundam speciem qualitatis, ad quam reducitur *debilitas ad agendum*, ex. gr. imbecillitas virium, quae vocatur *impotentia*,

vel 3. *in ordine ad alterationem sensibilem*, ita ut actuetur subiectum secundum quasdam dispositiones vel *causativas* alterationis sensibilis, cuiusmodi sunt color, dulcedo, calor etc., vel *causatas* ab alteratione sensibili, ut pallor, durities pellis ex frigore etc. Hae subiecti dispositiones sive activae, sive passivae vocantur *passibiles qualitates*, si sint stabiles. Quod si instabiles sint, utpote causatae ex *transeunte passione,* vocantur simpliciter *passiones,* ut pallor vultus ex subitaneo

timore productus. Ex his tertia species qualitatis resultat videlicet *passio* et *passibilis qualitas*,

vel 4. *in ordine ad dimensiones subiecti*, ita ut quamvis hae sint in specie determinata quantitatis, puta bicubitae vel tricubitae; tamen vi huius qualitatis speciali modo determinentur, puta ad modum sphaerae vel pyramidis. Haec est quarta species qualitatis, quae vocatur *figura* et definitur *terminatio circa quantitatem*, aut etiam *dispositio substantiae secundum partes quantitatis.* Dicitur etiam *forma*, quia principium formale artificiatorum quâ talium est aliqua figura. Quare dicitur forma turris, navis, candelabri ea specialis figura, qua haec artificiata in suo esse artificiati constituuntur.

CAPUT II.

TRES PROPRIETATES QUALITATIS.

121. *Prima proprietas est contrarietas.* Videlicet in quibusdam speciebus qualitatis dantur extrema contraria, quae se mutuo expellunt ab eodem subiecto secundum eamdem partem accepto, ex. gr. calor et frigus, albedo et nigredo, virtus et vitium. His enim convenit definitio contrariorum, videlicet: « Contraria sunt ea quae sub eodem genere maxime distant et eidem subiecto insunt, a quo mutuo se expellunt » (1). Attamen quarta species qualitatis, nempe figura non habet hanc proprietatem.

Secunda proprietas est suscipere magis et minus. Quaedam enim qualitates, salva eadem specie, possunt intendi vel remitti. Eae plerumque sunt, quae specificantur a termino ad quem ordinantur, ita ut, donec remanent in eadem tendentia ad eumdem terminum, remanent eiusdem speciei (2). Idcirco figura, quum consistat in indivisibili, et potentia operativa, quae confert *simpliciter* virtutem operandi, non accipiunt magis et minus. Contra qualitates primae et tertiae speciei hac proprietate gaudent.

Tertia proprietas est fundare similitudinem et dissimilitudinem. Etenim *stricto sensu loquendo*, similia dicuntur ea quorum qualitas est eiusdem speciei. Quae si eis insit in eodem gradu, dicuntur similia simpliciter, ut duo alba secundum eamdem intensionem albedinis; si autem uni insit in intensiori vel perfectiori gradu quam alteri, dicuntur similia secundum quid, sed simpliciter dissimilia, sic musicus perfectus non est simpliciter similis musico imperfecto, qui est in hac arte discipulus. Cfr. n. 66.

---

(1) Arist. Metaph. Lib. 10. cap. 6.
(2) Cfr. S. Th. 1. 2. q. 50. a. 1. et 2.

QUAESTIO XIV.

DE RELATIONE.

CAPUT I.

DEFINITIO, DIVISIO ET PROPRIETATES RELATIONIS.

122. **Relatio est respectus seu ordo unius rei ad aliam,** ita ut tota ratio essentiae eius sit *ad aliud se habere.* Etenim, ut ait Aristoteles (de Praed. c. 3), « *Relativa* seu *ad aliquid* sunt *quorum esse est ad aliud se habere* ». Et ideo relatio praedicamentalis per hoc distinguitur a reliquis accidentium praedicamentis, quod aliorum accidentium essentia formaliter accepta importat aliquem modum *intrinsece inhaerendi* subiecto *seu esse in,* formalis autem ratio relationis importat ordinem seu respectum *ad aliquid extrinsecum subiecto* seu *esse ad.* Ex qua animadversione apparet caetera accidentia, ex eo quod dicant ordinem ad subiectum ut actus ad potentiam, non esse relationes, quamvis fundare possint relationes.

123. **Requisita ad relationem habendam.** Ad relationem requiruntur tria, videlicet *duo extrema* et *fundamentum. Extrema* sunt *subiectum* quod refertur et *terminus* ad quem refertur, *fundamentum* est *ratio propter quam* subiectum ad terminum refertur. Sic in relatione aequalitatis inter duas columnas, *duo extrema* sunt ipsae columnae, *fundamentum* sunt dimensiones aequales in quibus conveniunt. A quibusdam philosophis termini relationis vocantur *fundamenta remota,* ratio vero, propter quam ad invicem referuntur, vocatur *fundamentum proximum.*

124. **Relatio alia est realis, alia rationis.**

a) **Relatio realis** est ea quae indipendenter a quacumque mentis nostrae consideratione intercedit inter duo subiecta existentia, ut relatio patris ad filium, artificis ad suum artificiatum etc. Et ideo ad relationem realem duo requiruntur. Requiritur 1. ut termini relationis existant realiter ab invicem distinti, et hoc vel ita ut si non tempore saltem natura prius existant, quam realis ratio quae est proximum relationis fundamentum, sicuti contingit in relationibus creaturarum, quae sunt accidentia; vel ita ut ipsae relationes sint ratio distinctionis realis terminorum, qui ideo subsistunt ab invicem realiter distincti quia ad invicem referuntur, sicuti fide scimus contingere in

relationibus divinis ad intra, quae quum nequeant esse accidentia (in Deo enim nullum dari potest accidens), sunt relationes subsistentes, quae tamen non subsistunt per aliud esse, quam per simplicissimum divinum esse (1). REQUIRITUR 2. ut fundamentum proximum relationis sit aliquid reale vel ex utraque parte, si sit relatio realis mutua, vel saltem ex una parte, idest in alterutro ex terminis relationis, si sit relatio realis non mutua. Tunc enim relatio est realis ex una parte et rationis ex alia. Quae relatio realis non mutua intercedit *inter res diversi ordinis*, quarum una perficitur et alia non, et ideo reale fundamentum relationis, per quod una intrinsece perficitur ab alia, est in ea quae perficitur seu quomodocumque mutatur, non vero in ea quae immutata in suo ordine consistit. Talis est relatio inter creaturam et Creatorem, inter sensum et sensibile, etc.

b) **Relatio rationis** est quae resultat ex mera consideratione nostri intellectus, ut quum aliquid ad seipsum referimus, puta quum dicimus: *idem eidem idem*, aut cum referimus genus ad speciem.

Nota. *Discrimen inter relationem proprie dictam seu praedicamentalem et eam, quae minus proprie dicitur relatio, quaeque vocatur transcendentalis.* Ex hucusque dictis apparet relationem praedicamentalem nequaquam confundi debere cum ordine potentiae ad actum, qui ordo vocari solet relatio transcendentalis; nam in hoc non habemus duo entia actualia, sed duo principia constitutiva vel unius entis simpliciter ut materia prima et forma substantialis, vel unius entis secundum quit ut substantia et forma accidentalis. Iamvero ad habendos terminos et fundamentum proximum relationis realis non sufficiunt principia entis, sed requiritur aliqua substantia actu existens et ab alio termino realiter distincta, saltem ut una pars integralis ab alia parte integrali eiusdem corporis animati praediti diversis virtutibus, quae actuantes diversas partes praebent reale fundamentum relationi, sicuti contingit in dextera et sinistra animalis (2).

125. **Proprietates relativorum.** 1° *Relativa omnia sunt simul cognitione et definitione.* Sic pater, in quantum pater, nequit cognosci neque definiri, nisi simul cognoscatur filius. Etenim relationis essentia est *ad aliud se habere.* 2° *Relativa eiusdem ordinis* (ea videlicet inter quae intercedit relatio realis mutua) *sunt simul etiam natura*, quia pari ratione realiter referuntur ad invicem. Sic se habent pater ad filium, duplum ad dimidium etc. 3° *Relativa diversi ordinis* ea videlicet inter quae intercedit relatio mixta, seu rationis ex una parte, realis ex alia,

---

(1) Confr. S. Th. 1. p. q. 28. art. 2. et 3.
(2) Cfr. S. Th. in I. Sent. d. 26. q. 2. a. 1.

non sunt simul naturâ; quia non pari ratione referuntur ad invicem, sed unum dependet ab alio ut sit, non autem vicissim. Sic se habent sensibile ad sensum, Creator ad creaturam etc. (1).

Divisio relativorum secundum dici et secundum esse perperam a quibusdam reponitur in eo, quod relationes secundum dici sint rationis et relationes secundum esse sint reales. Etenim promiscue dicuntur tum de relationibus rationis tum de realibus. Discrimen itaque in eo est, quod quando nomina relativa principaliter significant fundamenta relationum, *dicuntur relativa secundum dici,* licet agatur de relationibus realibus, huiusmodi sunt nomina movens et motum, caput et capitatum et similia. Quando autem nomina relativa principaliter significant ipsas relationes, *dicuntur relativa secundum esse*, licet aliquando agatur de relationibus rationis, huiusmodi sunt nomina dominus et servus, pater et filius, dexter et sinister et similia. Ita haec divisio accipitur a S. Thoma (2).

CAPUT II.

DE REALI DISTINCTIONE RELATIONIS PRAEDICAMENTALIS A SUO FUNDAMENTO.

126. *Ex hucusque dictis apparet relationes praedicamentales habere aliquod esse reale, quod dependet ex realitate utriusque termini fundamento affecti.* Etenim independenter a quacumque nostri intellectus operatione, positis obiective utroque termino et fundamento, invenitur a parte rei illud *esse ad aliquid*, in quo consistit relatio; sic independenter a quocumque mentis nostrae conceptu viget obiective relatio inter genitorem et genitum, inter manum dexteram et manum sinistram etc.

Hac autem veritate posita, ita licet arguere ad ostendendum *esse relationis distingui obiective seu realiter ab esse fundamenti.*

I. Ubi dantur independenter a nostra mentis operatione formalitates diversae, hae in creaturis habent diversum esse. Iamvero independenter a quacumque mentis nostrae operatione formalitas accidentis absoluti, cuius essentiae competit *esse in subiecto,* est diversa a formalitate accidentis relativi, cuius essentiae competit *esse ad aliquid subiecto extrinsecum.* Ergo etiam secundum esse reale ea diversificari necesse est.

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Pot. q. 7. a. 8. ad 1.
(2) 1. q. q. 13. a. 7. ad 1.

II. Id quod postulat diversam causam realem, habet diversum esse reale. Iamvero accidens relativum postulat diversam causam realem ab absoluto, quia causatur ab utroque termino reali sub reali fundamento proximo, ita ut alterutro cessante, cesset ipsa relatio. Ergo accidens relativum habet diversum esse reale ab absoluto in quo fundatur.

III. Causa realiter distinguitur a suo effectu. Sed accidens absolutum quod est fundamentum proximum relationis, est causa relationis. Ergo debet habere esse realiter distinctum ab esse relationis.

Corollarium 1. *Relatio realis cessat non solum per cessationem sui fundamenti proximi, sed etiam, hoc manente in uno extremo per meram cessationem alterius extremi.*

Etenim id cuius esse pendet a simultanea existentia plurium et *cuius ratio formalis seu essentia* non consistit in inhaesione sed *in esse ad aliud quasi in quodam transitu ex uno in aliud*, si cesset existentia alterutrius causae partialis ipsum sustentantis, et ipsum cesset necesse est, quin ulla mutatio extremo superstiti contingat. Iamvero talis est relatio praedicamentalis, ut ex eius definitione patet. Ergo relatio realis cessat non solum per cessationem sui fundamenti proximi, sed etiam, hoc manente in uno extremo, per meram cessationem alterius extremi (1).

Corollarium 2. *Relatio realis in suo subiecto non multiplicatur ad multiplicationem terminorum.* Quum relatio subiectetur in aliquo subiecto ratione sui fundamenti proximi, nullo modo sequitur ad multiplicationem terminorum extrinsecorum, quibus idem subiectum ratione eiusdem fundamenti proximi relationis ad plures terminos refertur, multiplicari eius relationes reales, sed hae multiplicantur tantum ad multiplicationem fundamentorum specifice diversorum. Quum enim relatio realis in tantum afficiat subiectum, in quantum in eo est fundamentum proximum relationis; impossibile est multiplicari in eo relationes reales nisi ad multiplicationem fundamentorum realium, secus haberemus effectum sine causa sufficienti. Haec autem fundamenta nequeunt multiplicari numerice tantum in eodem subiecto, quia idem secundum idem nequit simul actuari pluribus formis eiusdem speciei. Id autem non impedit quominus relationes rationis multiplicentur, quum hae non dependeant a reali fundamento, sed a mera mentis consideratione (2).

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Pot. q. 7. a. 9. ad 7.
(2) Cfr. S. Th. 3. p. q. 35. a. 5.

Obiicienti 1. *cum Zenone.* Accidens inhaeret subiecto. Atqui relatio non inhaeret subiecto sed est accidentis accidens. Ergo relatio non est accidens realiter distinctum a caeteris accidentibus.

Resp. *Dist. mai.* Accidens inhaeret subiecto vel immediate et ratione sui vel mediate et ratione alterius accidentis, *Conc.*, semper immediate et ratione sui, *Nego. Contradist. min.* et *Nego conseq.*

Obiicienti 2. Ei, quod habet esse distinctum ab alio, competit fieri et mutari. Atqui relationi non competit fieri aut mutari. Ergo non habet esse distinctum ab esse fundamenti.

Resp. *Dist. mai.* Competit et fieri et mutari vel per se et ratione sui, vel per accidens et ratione alterius cum quo connectitur, *Conc.*, tantum per se et ratione sui, *Subdist.* Si sit aliquid subsistens et absolutum, *Conc.*, secus, *Nego. Contrad. min.* relationi non competit fieri per se et ratione sui, *Conc.*, per accidens et ratione alterius, *Nego*, et *Nego consequentiam.*

PHILOSOPHIA PRIMA

SEU

ONTOLOGIA

PARS QUARTA

DE CAUSIS ENTIS

QUAESTIO XV.

DE CAUSA IN GENERE

127. **Causa proprie dicta definitur** *id ad quod sequitur esse alterius*, seu *id quod influit ad esse alterius.* Quum enim assignamus causam alicuius, respondemus quaestioni *propter quid est aliquid*, nempe *cui debet suum esse hoc aliquid?* Ex. gr. Cui debet suum *esse domus? Aedificatori* quidem tamquam causae efficienti, *protectioni procurandae* hominibus a frigore et a pluviis tamquam causae finali, *lapidibus*, *caemento* et *lignis* tamquam causae materiali, *speciali* earum *dispositioni* et ordini tamquam causae formali. Quorum unumquodque quum realiter suo modo influat ad esse domus, recte dicitur causa domus seu *id ad quod sequitur esse domus* (1). Quocirca de ratione causae est *influxus in esse causati.*

128. **Principium definitur** *id a quo aliud quocumque modo procedit.* Hinc apparet discrimen inter causam et principium. Etenim quum principium importet absolute ordinem alicuius processus sive originis, praescindendo a modo quo unum procedit ab alio, videlicet sive principium influat in esse principiati, sive non, hinc est ut nomen *principium* sit universalius nomine *causa*, et quamvis omnis causa sit principium, tamen non omne principium est causa. Sic quamvis aurora sit principium diei et albedo sit principium motus ad nigredinem, tamen neque aurora est causa diei, neque albedo est causa motus ad nigredinem, quia neque aurora influit in esse diei, neque albedo influit in esse motus ad nigredinem (2).

---

(1) Cfr. S. Th. V. Metaph. lect. 1.; Phys. L. 1. lect. 1.
(2) Cfr. S. Th. qq. dd. de Pot. q. 10. a. 1. ad 9. et in I. Sent. Dist. 29. q. 1. a. 1.

129. **Causa intrinseca et causa extrinseca.** Aliquid potest influere in esse alterius vel ita ut non sit adaequate distinctum ab eo, quum concurrat ad intrinsecam constitutionem eius ad modum partis, vel ita ut sit adaequate distinctum ab eo, quod eius virtute in esse producitur. Primum dicitur causa intrinseca, ad quam pertinet materia, forma et elementum. Secundum dicitur causa extrinseca, ad quam pertinet efficiens et finis.

THESIS XXXII.

Entis causae reducuntur ad quatuor, videlicet ad materialem, formalem, efficientem et finalem.

PROBATUR.

130. Tot sunt genera causarum, quot sunt genera eorum quibus responderi potest ad quaestionem *propter quid* aliqua res est (n. 127.). Atqui huiusmodi sunt tantum quatuor, nempe *materialis*, *formalis*, *efficiens* et *finalis*. Ergo entis causae reducuntur ad haec quatuor genera causarum.

Prob. min. Quando quaerimus *propter quid* aliquid est, quaerimus rationem sufficientem sui esse. Iamvero ratio sufficiens existentiae alicuius rei vel habetur in hoc, quod eius essentia identificatur cum suo esse, vel in eo quod eius essentia receperit esse ab alio. *Si primum,* habemus ipsam essentiam rei esse rationem sufficientem sui esse, eo quod existit vi formae suae, quae essentia est ipsa essentia entis necessarii, nempe Essentia Divina. Unde Divina Essentia, quae est ipsum esse subsistens se habet ad omnia praedicata, quae secundum nostrum modum intelligendi, cum fundamento in re, Deo tribuuntur a nobis, ad modum causae formalis. *Si secundum*, nempe si ratio sufficiens existentiae alicuius rei habetur in eo quod receperit esse ab alio, iam quaerenti *propter quid ea sit*, respondere debemus per quatuor genera causarum. Nam 1. respondere debemus *a qua causa ipsi extrinseca* producta fuerit in esse, et sic assignamus *causam efficientem;* 2. *quo motivo* impulsa causa efficiens ei contulerit esse, et sic assignamus *causam finalem;* 3. *quae sit natura* seu essentia rei quae receperit esse, nempe an aliqua essentia simplex, idest forma per se subsistens, vel essentia composita ex materia et forma, atque ita assignamus *causam formalem* et *materialem.* Caetera huc reducuntur. Nam *accidentia* se habent ad subiectum ut formae ad materiam. *Idea* vero vel *exemplar*, quod praesupponitur in intellectu practico agentis intellectualis *reducitur ad causam formalem extrinsecam*, ut enim ait S. Th. (De Verit.

q. 3. a. 3.), « forma semper notat habitudinem causae; est enim forma « quodammodo causa eius, quod per ipsam formatur, sive formatio fiat « per modum inhaerentiae sicut in formis intrinsecis, sive *per modum* « *imitationis* ut in formis *exemplaribus* »; attamen idea pertinere etiam aliqualiter potest tum ad causam efficientem, quia per ideam artifex completur et dirigitur ad opus exequendum (1), tum ad causam finalem quia artifex intendit exprimere exterius, quod praeconcepit interius.

Confirmatur exemplo. Supponamus artificem, qui ex marmore effigiem Virgilii sculpere velit. Quatuor ad hunc effectum obtinendum concurrere debent causae. Requiritur 1. artifex ut causa efficiens principalis, scalpellum et alia instrumenta ut causa efficiens instrumentalis; 2. marmor, ut causa materialis; 3. dispositio partium inducenda in marmor ad hoc ut Virgilii figuram referat, quae est causa formalis; 4. finis, qui movet artificem ad tale opus, puta acquisitio pecuniae, vel honoris vel aliquid aliud, videlicet causa aliqua finalis. Ergo quatuor dantur genera causarum.

---

(1) S. Thom. qq. dd. de Verit. q. 3. a. 1.

QUAESTIO XVI.

DE CAUSA EFFICIENTE

131. **Causa efficiens definitur** ab Aristotele « id unde est primum principium motus et quietis » (II. Phys. c. 5.). Quae definitio potest etiam ita exponi: *Principium extrinsecum a quo primo profluit motus, seu rei productio.* Ex qua expositione clarius apparet quomodo definitio conveniat omni et soli causae efficienti. Quatenus enim dicitur *principium extrinsecum,* distinguitur a causa materiali et formali, quatenus dicitur *a quo primo profluit motus*, distinguitur a causa finali, nam causa finalis non inchoat motum, sed solum excitat agens ad illud incipiendum. Tandem quatenus pro motu late intelligimus *qualemcumque rei contingentis productionem*, quia quidquid non est ipsum esse subsistens, potest dici ens mobile quatenus saltem transit de potentia in actum, poterit haec definitio causae efficientis extendi ad ipsam causam creantem quatenus producit in esse res contingentes ex nihilo earum et subiecti, non exclusis ipsis Angelis.

132. **Causa efficiens dividitur 1° in causam per se et causam per accidens.** *Causa per se* est ea, quae vel virtute propria, vel virtute participata, positive influit in productionem effectus, quatenus est talis causa. Sic ignis est *per se* causa combustionis, et malleus motus a manu est per se causa percussionis. *Causa* vero *per accidens* ea est, quae non influit per se in productionem effectus, quamvis ei *accidat coniungi* cum effectu producto, *sive ex parte causae*, ut albedo medici est causa per accidens sanitatis aegroti, *sive ex parte effectus*, « quod « quidem potest esse tripliciter. Uno modo, quia habet ordinem neces- « sarium ad effectum; sicut remotio impedimenti habet ordinem neces- « sarium ad effectum. Unde *removens prohibens* dicitur movens per « accidens, sicut columna impedit motum lapidis; unde removens co- « lumnam dicitur per accidens movere lapidem superpositum. Alio « modo, quando accidens habet ordinem ad effectum non tamen neces- « sarium nec in pluribus, sed in paucioribus, sicut inventio thesauri « ad effossionem in terra. Et hoc modo fortuna et casus dicuntur cau- « sae per accidens. Tertio, quando nullum ordinem habet, nisi forte « secundum aestimationem, sicut si aliquis dicat se esse causam ter- « raemotus, quia, eo intrante domum, accidit terraemotus » (1).

(1) S. Th. in V. Met. lect. 3.

2° **In causam principalem et instrumentalem.** *Causa principalis* est ea, quae per formam vel virtutem propriam producit effectum, ut planta causat plantam, et sculptor statuam. *Causa instrumentalis* est ea quae nequit producere effectum (relate ad quem dicitur causa instrumentalis) per formam vel virtutem propriam, sed per virtutem alterius, a quo movetur et cuius virtutem aliquo modo participando elevatur ad attingendum talem effectum. Sic scalpellum non est causa rei artificiatae qua talis e. g. statuae Moysis virtute propria sed virtute sculptoris, puta Michaelisangeli Bonarrotii, a quo movetur; quare cessante influxu artificis nequit attingere talem effectum. « Duplex est « causa agens: *principalis* et *instrumentalis*. Principalis quidem ope- « ratur per virtutem suae formae, cui assimilatur effectus, sicut ignis « suo calore calefacit... Causa vero instrumentalis non agit per vir- « tutem suae formae, sed solum per motum, quo movetur a principali « agente: unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali « agenti: sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quae est in « mente artificis » (1).

Nota. De duplici actione causae instrumentalis, una qua agit per virtutem causae principalis, alia qua agit per virtutem propriam, et quomodo haec praerequiratur ad illam, confer S. Th. 1. p. q. 45. a. 5. et 3. p. q. 62. a. 1. ad 2.

3° **Causa efficiens principalis dividitur in primam et secundam.** *Causa prima* est ea quae ab altiori causa in operando nullo modo pendet, nempe *Deus; causa secunda* est ea, quae licet per formam seu virtutem propriam operetur, tamen haec ipsa eius virtus a Deo causari debuit, conservari, applicari ad agendum et elevari ad attingendum esse i. e. existentiam effectus specialis, quem creatura producit, puta esse plantae in generatione plantae, esse bruti in generatione bruti, etc. Etenim esse est effectus proprius solius Dei qui est ipsum esse subsistens; quare effectus quilibet procedens a causa creata esse debet totus Dei et creaturae in diverso ordine causarum, nam est totus creaturae *quoad specificationem*, est autem totus Dei *quoad esse*. Hisce quatuor modis Deum in ordine supremae causae influere in omni operatione causae creatae dilucide demonstrat S. Th. (de Pot. q. 3. a. 7.), quem confer. In responsione autem ad 7. obiectionem innuit, quo pacto idem effectus qui procedit totus a creatura *quoad specificationem*, procedat totus a Deo *quoad esse*.

4° **Causa universalis et particularis.** *Causa universalis* est ea, cuius efficientia non limitatur ad aliquam speciem effectuum pro-

(1) 3. p. q. 62. a. 1.

ducendam, sed extenditur ad plura genera. Simpliciter universalis causa est Deus, qui se extendit quoad suam efficientiam ad quaecumque habere possunt rationem entis, et ideo est causa omnipotens. *Causa particularis* est ea, cuius efficientia ad unam tantum effectuum speciem extenditur, ut homo qui generat hominem, et oliva olivam.

5° **Causa univoca et aequivoca.** *Univoca* est ea, quae producit effectum specifice similem, ut homo producit hominem, et leo leonem; *aequivoca* est ea quae producit effectum specifice diversum, ut artifex statuam, et Deus creaturam.

6° **Causa proxima et remota.** Causa *proxima* est, quae virtute sua immediate attingit effectum. *Remota* est ea quae virtute sua non attingit immediate effectum, sed causat in alio virtutem producendi effectum. Sic avus est causa remota sui nepotis.

7° **Causa totalis et partialis.** *Totalis* est ea quae in suo ordine sola sufficit ad producendum effectum. Dico *in suo ordine*, quia necessitas influxus Causae primae in omni operatione creaturae non impedit quominus haec in ordine causae secundae possit esse causa totalis. Sic ignis est causa totalis combustionis. *Causa partialis* est ea quae in suo ordine non sufficit ad producendum effectum, sed indiget concursu alterius. Sic unus equus est causa partialis in tractione currus ad quem plures equi requiruntur.

8° **Causa necessaria et libera.** *Necessaria* est ea quae agit ex naturali impulsu, idest ex necessitate naturae, ita ut positis omnibus requisitis ad aliquem effectum producendum, hunc necessario producat. Sic ignis admotus stipulae aridae, hanc necessario comburit. *Libera* est ea quae operatur ex arbitrio voluntatis, ita ut positis omnibus requisitis ad aliquem effectum producendum, possit pro libito illum producere vel non producere, inchoare aliquam actionem eamque pro lubitu suspendere. Sic se habet humana voluntas ad electionem uniuscuiusque boni particularis.

9° **Causa efficiens dividitur etiam in perficientem, praeparantem, adiuvantem et consiliantem.** Quam divisionem S. Th. (1) ita proponit et declarat. « Circa autem huiusmodi causas considerandum « est, quod quadruplex est causa efficiens: scilicet perficiens, praepa- « rans, adiuvans et consilians. *Perficiens* enim est, quod dat comple- « mentum motui vel mutationi, sicut quod introducit formam sub- « stantialem in generatione. *Praeparans* autem seu disponens est, quod « aptat materiam seu subiectum ad ultimum complementum. *Adiu-* « *vans* vero est, quae non operatur ad proprium finem, sed ad finem

(1) In II. Phys. lect. 5.

« alterius. *Consilians* autem in his, quae agunt a proposito, est quod « dat agenti formam per quam agit. Nam agens a proposito agit per « suam scientiam, quam consilians sibi tradit; et in rebus naturalibus « generans dicitur movere gravia vel levia, in quantum dat formam « per quam moventur ».

10° **Dividitur in causam agentem ut quod, et in causam agentem ut quo.** Prima est ipsum suppositum agens, puta *artifex.* Secunda est ipsa virtus agendi, ex. gr. *forma artis, vis motiva* etc.

133. **Occasio reducitur ad genus causae efficientis.** Est enim principium extrinsecum influens in productionem effectus vel *per se* sed *non sufficienter*, vel *per accidens tantum.* Sic, si aliquod dictum vel factum sit de ratione sua inductivum ad peccandum, erit occasio talis, quae sit *per se causa* peccati, quamvis *insufficiens* seu *inadaequata* idest *partialis*, quia ad obtinendum effectum requiritur etiam consensus voluntatis peccantis, qui liber semper est. Quod si aliquod dictum vel factum non sit de ratione sua inductivum ad peccandum, sed ob propriam fragilitatem vel malitiam aliquis exinde inducatur ad peccandum, erit occasio talis, quae sit *per accidens causa* peccandi. Unde patet *occasionem* aliquando esse *causam per se* sed *partialem*, aliquando esse *causam per accidens* et quidem talem cui accidit coniungi cum effectu producto ex parte effectus sive primo sive altero ex modis enumeratis a S. Thoma in loco cit. sub n. 131., 1°. Doctrina haec est eiusdem S. Doctoris in 2. 2. q. 43. a. 1. ad 4.

134. **Causa physica et moralis.** *Causa physica* est ea, quae per suam virtutem operativam attingit ipsam realitatem effectus, influendo in eius productionem per motum realem. *Causa moralis* est ea, quae per intentionalem propositionem finis movet voluntatem agentis intellectivi ad operandum.

THESIS XXXIII.

Creaturae sunt in linea causarum secundarum verae causae suorum effectuum.

PRAENOTIONES.

135. I. Duplex datur genus effectionis, unum, quod est proprium solius Dei, nempe *creatio*, quae est productio rei ex nihilo sui et subiecti, aliud quod competit etiam creaturae, quamvis non independenter a Divino influxu, nempe productio rei ex nihilo sui, sed non ex nihilo subiecti, quae vocari solet transmutatio vel generatio sive substantialis, quum nempe novum compositum substantiale producitur ex

materia prima, quae sub alia forma substantiali praeexistebat in composito corrupto, puta quum planta per semen generat aliam plantam; sive accidentalis, quum nempe compositum accidentale producitur ex subiecto praeexistente, salva eius substantia, puta quum ex marmore fit statua, vel quum forma ad motum localem imprimitur in aliquo corpore inerte.

II. Duplex error extreme oppositus circa creaturarum efficientiam cavendus est, unus eorum qui omnem virtutem effectricem adimunt creaturis, asserendo eas non esse veras causas suorum effectuum, quos unice a Deo produci asserunt, sed esse meras eorumdem occasiones; alter eorum qui creaturis virtutem operandi prorsus independentem ab influxu primae Causae tribuunt, ita ut creaturarum effectus ita sint a creaturis, ut non sint etiam a Deo. Uterque error aeque perniciosus est et tum rationi tum christianae revelationi contrarius. Cfr. S. Th. 1. p. q. 105. a. 5.

PROBATUR THESIS.

136. 1° Ex ipsa diversitate effectuum quae correspondent diversitati causarum. Et sane, si Deus immediate omnia solus operaretur, quicumque effectus sequi posset ex quacumque causa, puta ex arbore homo et ex homine arbor. Iamvero ad determinatos effectus requiruntur determinatae causae. Ergo ipsa creatura vere operatur ad productionem effectus. 2° Ex ipsa ratione divinae sapientiae, contra quam esset, si Deus adhiberet ad producendos varios effectus res quae nihil producerent. 3° Ex hoc quod creaturae sunt in similitudinem Dei creatae. Ergo quemadmodum imitantur Deum in hoc quod est esse, imitari debent eum in hoc quod est agere. 4° Ex perfectione divinae virtutis. Nam divinae Virtutis perfectioni derogaretur, si Deus condidisset creaturas absque perfectione operandi, et communicandi alteri suam perfectionem; quum tamen haec sit perfectio quae maxime exornaret et perficeret creaturam. Iamvero quum collatio huius perfectionis sit possibilis, divina autem Virtus sit infinite perfecta; etiam *a priori* dicendum esset Deum contulisse creaturis perfectionem operandi. Quod argumentum quemadmodum caetera huic similia evidenter confirmantur *a posteriori*. 5° Ex divina Bonitate cui maxime convenit condere creaturas ita bonas ut sint diffusivae suae bonitatis. Iamvero talis diffusio non haberetur, si una creatura non posset agere in aliam. Ergo. 6° Ex ordine universi, qui non haberetur nisi res, quae sunt ab invicem diversae, colligarentur simul in ordinis unitatem. Iamvero haec colligatio habetur per hoc quod quaedam agunt, quaedam autem pa-

tiuntur. Ergo etc. 7° Ex eo, quod *secus destrueretur scientia naturalis*, quum enim haec rerum sensibilium proprietates et naturas ex earum effectibus demonstret, impossibilis esset huiusmudi demonstratio, si creaturae non essent verae causae suorum effectuum. 8° Ex ipsa experientia tum nostrarum operationum, tum rerum quae nos circumdant. Experimur enim nos causare nostras intellectiones, volitiones, nos pati ab actione exteriorum agentium, atque agere in ea. Videmus et sentimus ignem comburere, solem calefacere, terram germinare et alia huiusmodi sine fine. Ergo omnino falsa est opinio negantium creaturis veram efficientiam. *Allata argumenta desumpta sunt ex S. Thoma* (1).

OBIECTIONES.

137. **Obiect. 1ª.** Causa infinite perfecta excludit consortium alterius in sua efficientia. Atqui Deus est causa infinite perfecta. Ergo solus Deus est causa efficiens.

Resp. *Dist. mai.* In eodem ordine causalitatis, *Conc.,* in diverso ordine, *Subdist.* Si agatur de tali productione, ad quam causa secunda nequit adhiberi, *Conc.,* secus, *Nego. Conc. min. Dist. cons.* Solus Deus est causa efficiens suprema, universalis, independens, *Conc.,* solus Deus est causa efficiens, *Nego.*

Obiect. 2ª. Si Deus tantum ageret, sequerentur etiam effectus. Ergo actio causae secundae redundat.

Resp. *Dist. mai.* Quoad operationes immanentes creaturarum, *Nego*, quoad alias operationes, *Subdist.* Quoad substantiam, *Conc.*, quoad subordinationem et finem, *Nego.* Repugnat ut operationes immanentes creaturarum, puta intellectiones et volitiones non procedant a creaturis in linea causarum secundarum operantibus.

Obiect. 3ª. Agens quod agit sine medio, est perfectius quam illud quod medio indiget in sua actione. Sed Deus est agens perfectissimum. Ergo videtur quod omnia nullo mediante producat.

Resp. *Dist. mai.* Si medium adhibeat ob suam indigentiam, *Conc.*, si adhibeat ob suam bonitatem, *Nego. Conc. min. Nego cons.* « Dicen-« dum quod non est ex indigentia Dei, quod causis aliis indiget ad « causandum, sed ex bonitate ipsius, qui etiam dignitatem causandi « aliis conferre voluit » (2).

138. **Nota.** *Causalitas causae efficientis est ipsum agere.* Etenim causalitas alicuius causae est id, per quod constituitur causans in

---

(1) Cont. gent. lib. 3. c. 69.
(2) S. Th. in II. Sent. Dist. 1. q. 1. a. 4. ad 1.

actu secundo; tunc enim revera influit ad esse alterius. Sed *agendo* causa efficiens constituitur causans in actu secundo, puta, ignis comburendo, sculptor sculpendo. Ergo τὸ *agere* est eius causalitas (1).

SCHOLION.

De causalitate resultantiae.

139. Dimanatio seu resultantia est productio unius realitatis ad productionem alterius ob naturalem connexionem, quam realitas resultans habet cum re a qua resultat; sic splendor naturaliter resultat seu dimanat ab igne, potentiae resultant ab anima, proprietates resultant ab essentia, etc. Ex quo sequitur necessitas, ut agens quod efficienter causat aliquam rem, a qua aliae realitates naturaliter dimanant, sit simul causa earum, sicut qui causat ignem causat splendorem eius. Quum enim haec naturalis colligatio sit huiusmodi, ut aliqua res non possit esse absque realitatibus cum ipsa connexis et ab ea resultantibus (ex. gr. anima non potest esse absque suis potentiis); sequitur, ut causa efficiens eadem actione qua *dat esse*, *det consequentia ad esse,* ita ut ipsa essentia sit terminus primarius, proprietates vero ab ea dimanantes sint terminus secundarius actionis causae efficientis. Sequitur etiam, ut proprietates dimanantes ab essentia, quamvis sint *simul tempore* cum essentia, tamen sint *posteriores naturâ*. Sequitur tandem ut quamvis essentia, a qua huiusmodi proprietates dimanant, nequeat dici *proprie* causa efficiens earum, possit tamen dici *reductive* causa efficiens earumdem. Nam ipsa, propter naturalem connexionem quam habet ad proprietates ab ea dependentes, est ratio cur actio agentis transeat ad proprietates, ad quas *eam quodammodo defert.* Iamvero *deferre actionem agentis* seu esse rationem cur talis actio ulterius progrediatur, pertinet *reductive* ad genus causae efficientis.

---

(1) Cfr. S. Th. in III. Phys. lect. 5.

QUAESTIO XVII.

DE CAUSA FINALI.

140. **Causa finalis seu finis** est *id cuius gratia aliquid fit*, videlicet est id propter quod efficiens operatur. Finis enim allicit agens ad agendum. Dividitur 1° in FINEM QUI, in FINEM QUO, et in FINEM CUI. *Finis qui*, *seu finis obiectivus* est ipsa res, quae ab agente appetitur. *Finis quo* seu *finis formalis* est ipsa possessio seu fruitio rei quae appetitur. Ex. gr. Deus est finis obiectivus iustorum, fruitio Dei in aeterna beatitudine est finis formalis eorumdem. *Finis cui* est ipsa persona, cui aliquod bonum volumus. 2° IN FINEM ULTIMUM ET FINEM INTERMEDIUM. *Finis ultimus* est id quod propter seipsum volumus et in ordine ad quod caetera volumus, sic sanitatem propter seipsam volumus, medicinam autem et ieiunium propter sanitatem. *Finis intermedius* est id quod volumus propter aliud. Finis ultimus dividitur in absolute et relative ultimum; primus est ipsa beatitudo, secundus est omnino multiplex ex gr. scientia, sanitas, virtus etc. 3° IN FINEM OPERIS ET FINEM OPERANTIS. *Finis operis* est id quod natura sua terminat actionem agentis, ex. gr. aedificium relate ad aedificationem. *Finis operantis* est id quod ultimatim et principaliter agens intendit, atque est potissima ratio, qua agens movetur ad operandum ex. gr. lucrum ab aedificatore ex aedificatione expectatum (1).

THESIS XXXIV.

Finis est vere et proprie causa.

PROBATUR.

141. I. Causa definitur id ad quod sequitur esse alterius (n. 127.). Atqui ad finem sequitur esse alterius. Ergo finis est vere causa. *Prob. min.* Actio agentis, ad quam sequitur esse effectus, ad aliquod determinatum tendit, sicut ab aliquo determinato principio procedit, nam omne agens agit quod sibi conveniens est; id autem, ad quod tendit actio agentis, dicitur causa finalis, sicut id a quo procedit dicitur causa efficiens. Ergo ad finem sequitur esse alterius.

---

(1) Cfr. S. Th. in II. Sent. Dist. 1. q. 2. a. 1.

II. Illud est vere et proprie causa, quod primum locum tenet inter causas ac proinde est maxime causa. Atqui talis est finis. Ergo finis est vere et proprie causa. *Prob. min.* Primum locum tenet inter causas ea, qua subtracta, caeterae subtrahuntur. Atqui subtracta causa finali, caeterae causae subtrahuntur. Etenim : « Materia non consequitur for- « mam, nisi secundum quod movetur ab agente; nihil enim reducit « se de potentia in actum. Agens autem non movet, nisi ex intentione « finis. Si enim agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non « magis ageret hoc quam illud. Ad hoc ergo quod determinatum effe- « ctum producat, necesse est, quod determinetur ad aliquid certum, « quod habet rationem finis ». (1. 2. q. 1. a. 2.).

III. Confirmatur ex agentibus, quae movent se ipsa ad finem, videlicet ex agentibus intellectualibus. Nam ad hoc ut agens intellectivum moveat seipsum ad aliquod agendum, eius voluntas moveri obiective debet ab aliquo bono. Secus agens remanet indeterminatum, nihilque efficit. Iamvero quod ita movet voluntatem, influit ad esse effectus. Ergo finis est vere et proprie causa.

142. **Scholion 1.** « *Sicut influere causae efficientis est agere ; ita influere causae finalis est appeti et desiderari* ». (S. Th. de Verit. q. 22. a. 2.). Videlicet causalitas finis consistit in amore et desiderio excitatis in agente ab aliquo bono cognito tamquam sibi conveniente ad quod secundum esse reale assequendum agens movetur ad agendum. Sic sanitas recuperanda movet aegrotum ad medicinam sumendam. Primam autem impressionem causatam in virtute appetitiva a fine esse amorem ad quem consequitur desiderium, quod non quiescit donec finem intentum fuerit aliquis consequutus, praeclare ostendit S. Thomas in 1. 2. q. 25. a. 2. et q. 26. a. 2.

Scholion 2. *Finis est prior in intentione, ultimus in exequutione.* Etenim quum terminus operationis agentis propter finem, sit ipse finis secundum esse reale assequendus (sive iam praeexistat, ut pecunia ab avaro possidenda; sive non praeexistat sed sit ab ipsa agentis operatione producendus ut aedificium ab aedificatore erigendum) (1); necesse est ut finis, idest obiectum quod bonitate sua movet agens ad agendum sit ei prius intentionaliter propositum. Secus agens nunquam moveret seipsum vel alia ad eius assequutionem, sic ut aegrotus moveatur ad adhibenda media propter sanitatem recuperandam, praecognoscere debet sanitatis bonitatem et ordinem mediorum ad ipsam tanquam ad finem intentum assequendam. Hinc etiam adagium : *nihil volitum, quin praecognitum.*

(1) Cfr. S. Th. C. G. lib. 3. c. 18.

Scholion 3. Illud esse *intentionale*, secundum quod finis praecognoscitur ab agente, non est ipsa causalitas finis, sed est *conditio sine qua* finis non potest exercere suam causalitatem in voluntate. Causalitas enim, qua finis movet ad se voluntatem, competit ei secundum esse reale. Nam obiectum voluntatis est bonum; bonum autem est ens, quatenus secundum esse reale est perfectivum appetentis. Insuper si finis moveret secundum esse intentionale tantum, non amplius desideraretur a voluntate, quum cognosceretur. Iamvero quo magis cognoscimus bonitatem finis, eo magis incendimur ad eum desiderandum ut secundum esse reale ipsum possideamus. Ergo etc. (1).

Scholion 4. *De triplici classe agentium propter finem.* Quum agere propter finem sit ponere aliquam actionem finis gratia, seu ad quam ponendam bonitas finis allicit agens; ex vario modo, quo aliquod agens se habet ad finem, exurgit varius modus agendi propter finem. Itaque 1° Quaedam agentia quamvis moveantur ad finem, nullatenus tamen finem cognoscunt, sic sagitta non cognoscit scopum in quem tendit, neque planta cognoscit bonitatem alimenti, quod absorbet. Huiusmodi agentia agunt propter finem, tantum *executive*, et ideo potius aguntur seu ducuntur in finem ab alio. 2° Alia quaedam agentia ita moventur ad finem, ut cognoscant quidem rem, quae est finis eorum immediatus; attamen non cognoscunt ipsam formalem rationem finis, videlicet cur ea res sit ipsis appetibilis et quam proportionem vel ordinem habeat ad media. Sic bos cognoscit quidem pabulum, illudque appetit tamquam sibi bonum, attamen non cognoscit cur sit ipsi appetibile et quam proportionem habeat cum cultura et irrigatione prati. Huiusmodi agentia agunt propter finem non solum *executive* sed etiam *apprehensive.* Attamen et ipsa dirigi in finem indigent ab eo, qui rationem formalem finis eiusque proportionem ad media cognoscit. 3° Quaedam tandem agentia non solum cognoscunt rem, quae est finis; sed etiam formalem rationem finis eiusque proportionem ad media. Sic homo cognoscit etiam rationem cur cibus sit ei appetibilis et proportionem et ordinem mediorum ad cibum procurandum. Huiusmodi agentia agunt propter finem non solum *executive* et *apprehensive;* sed etiam *directive.* Unde movent seipsa et alia ad finem et media ordinant ipsi proportionata.

Ut ex dictis patet, haec triplex classis agentium propter finem, reduci facile potest *ad duplicem;* unam eorum, quae *diriguntur ab alio* in finem, utpote intellectu carentium, alteram eorum quae *movent*

(1) Cfr. Alamann. Sum, Phil. 1. 2. q. 12. a. 5.

seipsa et *alia* in finem, quum sint intellectu praedita. Cuius divisionis pulcherrimam declarationem invenies apud S. Thomam (1. 2. q. 1. a. 2.).

143. **Nota.** *Quaestiones de Causa materiali et de Causa formali* reservantur *Philosophiae naturali*, quum *de Natura Corporum* sermo erit. Interim monemus *a)* CAUSAM MATERIALEM esse subiectum seu realitatem ex qua aliquid fit, vel *simpliciter* et *primo*, ut materia prima, ex qua, tamquam ex pura potentia subiectiva in ordine essentiae, fit primo compositum substantiale corporeum resultans ex materia prima et ex forma substantiali, puta homo, planta, aurum; vel *secundum quid* et secundario ut materia secunda, ex qua, tamquam ex subiecto in suo primo esse constituto, fit compositum accidentale resultans ex substantia et ex forma accidentali, puta statua aurea Caesaris, cuius causa materialis est *aurum; b)* CAUSAM FORMALEM autem esse *realitatem*, qua *id quod fit actuatur* et *perficitur* vel *simpliciter* et *primo*, cuiusmodi est forma substantialis; vel *secundum quid et secundario* cuiusmodi est forma accidentalis.

QUAESTIO XVIII.

DE POSSIBILIBUS.

THESIS XXXV.

Possibilia omnem suam possibilitatem tum *intrinsecam* tum *extrinsecam* a Deo desumunt, sed diversimode. *Intrinsecam* enim desumunt 1. *fundamentaliter* a Divina Essentia qua tali; 2. *formaliter a Divino Intellectu* quatenus cognoscit Divinam Essentiam ut imitabilem ad extra secundum varios *gradus,* quibus perfectio essendi est participabilis a creaturis; 3. *Extrinsecam* autem desumunt *a Divina Omnipotentiam,* in cuius potestate est per esse existentiae actuare quidquid non involvit terminos contradictorios.

PRAENOTIONES.

144. **Potentia obiectiva, seu possibilitas** dividitur in absolutam seu intrinsecam et relativam seu extrinsecam (Cfr. S. Th. 1. p. q. 25. a. 3).

a) **Possibilitas absoluta seu intrinseca** consistit in non repugnantia ad essendum proveniente ex ipsa convenientia terminorum, quibus constat obiectivus intellectus alicuius essentiae. Et sane illud intrinsece repugnat ad essendum quod opponitur rationi entis. Nihil autem opponitur rationi entis, nisi id, quod positive excludit omnem ordinem ad esse. Iamvero huiusmodi est tantum id quod importat terminos contradictorios, quorum unus tollit totum id quod alius ponit, ut rationale et irrationale. Ergo possibilitas absoluta consistit in non repugnantia ad essendum proveniente ex ipsa convenientia terminorum.

b) **Possibilitas relativa seu extrinseca** dicitur relate ad causam activam, quae potest aliquid producere, et supponit possibilitatem absolutam, quae idcirco vocatur *primaria;* dum possibilitas extrinseca vocatur *secundaria.* Etenim nullo modo fieri potest ab alio id quod intrinsece repugnat ad essendum. Atqui intrinseca non repugnantia ad essendum est possibilitas absoluta. Ergo nihil esse potest possibile relative seu ab extrinseco, nisi prius sit possibile absolute seu ab intrinseco.

PROBATUR PRIMA PARS.

145. Id, cuius tota possibilitas intrinseca consistit in aliquali similitudine alterius, totum fundamentum suae entitatis habet in eo, quatenus hoc est aliquid in seipso. Atqui tota possibilitas intrinseca creaturarum consistit in aliquali similitudine Divinae Essentiae. Ergo creaturarum intrinseca possibilitas desumitur *fundamentaliter* a Divina Essentia qua tali. Et sane possibilitas intrinseca creaturarum consistit in convenientia terminorum, vi cuius unumquodque possibile dicit ordinem ad esse sibi correspondens. Iamvero determinatus ordo ad esse non est aliud, quam determinatus modus seu gradus participandi perfectionem essendi. Ergo creaturae in tantum sunt possibiles intrinsece in quantum magis vel minus (quamvis semper deficienter) participare possunt de perfectione essendi, et ita aliqualiter assimilari Divinae Essentiae, quae est ipsum esse subsistens.

Confirmatur. Ordo intentionalis fundatur in ordine reali. Sed in intellectu divino ab aeterno praeexistunt intentionaliter omnes possibiles ordines rerum creabilium, idest omnia et singula possibilia. Ergo huiusmodi ordo intentionalis fundari debet in aliqua realitate actuali. Iamvero nulla alia realitas dari potest aeternaliter existens praeter Divinam Essentiam. Ergo Divina Essentia est fundamentum a quo intrinseca rerum possibilitas pendet.

PROBATUR SECUNDA PARS.

146. Quum nulla essentia creata vel creabilis repraesentare possit Divinam Essentiam adaequate seu prouti haec est in se; necesse est ad *formalem constitutionem possibilium*, ut eorum rationes resultent in aliquo intellectu vi talis cognitionis Divinae Essentiae, qua haec cognoscatur secundum omnes modos, quibus cognoscibilis est, nempe non solum *absolute*, sed etiam *relative*, quatenus secundum varios gradus est deficienter imitabilis *ad extra, videlicet cum proportione creaturae fiendae ad ipsam Divinam Essentiam; secundum quod creatura deficit ab ea vel imitatur eam* (1). Iamvero talis cognitio habetur a Divino Intellectu qui, perfecte identificatus cum Divina Essentia, eam cognoscit omnibus modis, quibus cognoscibilis est. Ergo possibilia intrinsecam possibilitatem desumunt *formaliter* ab ipso Divino Intellectu quatenus cognoscit Divinam Essentiam ut imitabilem a creaturis per varios gradus participandi perfectionem essendi (2).

---

(1) Cfr. S. Th. 1. Sent. Dist. 36. q. 2. a. 2. ad 2.
(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 15. a. 2; qq. dd. de Verit. q. 3. a. 2.

PROBATUR TERTIA PARS.

147. Quidquid non involvit intrinsecam repugnantiam ad esse, eo quod non involvat terminos contradictorios, in tantum actuari poterit secundum esse sibi correspondens, in quantum datur aliqua causa activa, quae suam efficientiam extendere potest ad omnia, quae quocumque modo participare possunt perfectionem essendi. Atqui talis causa efficiens esse poterit tantum illud ens, quod habet esse vi formae suae, seu quod est ipsum esse subsistens, cuius effectus est ens in quantum ens. Ergo possibilia extrinsecam possibilitatem desumunt a Divina Omnipotentia in cuius potestate est actuare per esse existentiae quidquid non importat terminos contradictorios.

OBIECTIONES.

148. **Oppones contra primam partem.** 1. Essentia uniuscuiusque rei intelligi potest, quin Essentia Divina intelligatur. Sed si rationes essentiales rerum penderent a Divina Essentia, nulla essentia creaturae intelligi posset, Deo non intellecto. Ergo essentiae rerum non pendent a Divina Essentia.

Resp. *Dist. mai.* Essentia uniuscuiusque rei, quin Essentia Divina intelligatur, intelligi potest *absolute* et conceptu imperfecto, *Conc., relative* et conceptu perfecto, *Subdist.* Quin Divina Essentia intelligatur ut causa exemplaris proxima, *Conc.*, ut causa exemplaris remota, seu fundamentalis, *Nego. Contrad. min. Nego conseq.*

Oppon. 2. In suppositione Dei non existentis, homo adhuc conciperetur ut animal rationale. Atqui si rationes essentiales hominis et caeterarum rerum penderent a Divina Essentia, talis suppositio repugnaret. Ergo rationes essentiales creaturarum nullo modo pendent a Divina Essentia.

Resp. *Dist. mai.* In suppositione erronea, *Conc.*, in suppositione non erronea, *Nego suppositum.* Nam si Deus non existeret, nihil existeret, nullaque res esset possibilis, quum res omnem suam possibilitatem tum intrinsecam tum extrinsecam a Deo desumant, sicut demonstravimus. *Contrad. min.* Repugnaret suppositio non erronea, *Conc.*, repugnaret suppositio erronea, *Subdist.* In eo intellectu, qui perfecte et sub omni respectu cognosceret essentiam creaturae, *Conc.*, in eo intellectu, qui essentiam creaturae imperfecte et absolute tantum considerat, *Nego.* Quum creaturae sint deficientes similitudines Divinae Essentiae, non sequitur, ut quisquis creaturae essentiam cognoscit, Divinam Es-

sentiam quâ talem cognoscat; quemadmodum ex eo quod aliquis cognoscat lunam, non sequitur eum debere etiam cognoscere solem. Neque necesse est ut quicumque absolute et imperfecte cognoscit essentiam aliquam creatam, cognoscat eius dependentiam a Deo tamquam a causa suprema efficiente, exemplari et finali; sicut qui absolute et imperfecte considerat lunam, non necessario cognoscit eius dependentiam a sole. Talis enim cognitio requiritur tantum in eo qui plenius considerando essentiam aliquam creatam, cognoscit eam non solum imperfecte et absolute, sed etiam sub respectu dependentiae quam essentialiter dicit ad causam supremam. Hinc fit ut, qui essentiam aliquam creatam imperfecte et absolute tantum considerat, possit in sua mente confingere falsam hypothesim Dei non existentis, et adhuc concipere ex. gr. hominem ut animal rationale. Qui vero essentiam creatam perfecte intelligit, necessario cointelligit ordinem dependentiae eiusdem a Divino Intellectu Divinaque Essentia quoad possibilitatem intrinsecam, a Divina autem Omnipotentia quoad extrinsecam possibilitatem.

149. **Oppones contra secundam partem.** Quilibet intellectus supponit suum obiectum, non facit. Atqui Divinus Intellectus est aliquis intellectus. Ergo etiam Divinus Intellectus supponit suum obiectum. Ergo possibilia non pendent a Divino Intellectu.

Resp. *Dist. mai.* Intellectus *speculativus, Conc.*, intellectus *practicus, Subdist. fundamentaliter, Conc.*, *formaliter* autem, *Nego. Dist. min.* Divinus Intellectus se habet ad possibilia ut intellectus *practicus, Conc.*, ut intellectus *speculativus, Nego. Dist.* 1. *cons.* Intellectus Divinus supponit suum obiectum *primarium,* nempe Divinam Essentiam, relate ad quam se habet ad modum intellectus *speculativi, Conc.,* supponit *secundarium,* nempe possibilia, relate ad quae se habet ad modum intellectus *practici, Subdist. Fundamentaliter, Conc.*, *formaliter, Nego. Nego cons.* Quemadmodum in thesi explicavimus *fundamentum,* vi cuius intellectus divinus potest formaliter concipere determinatas essentias possibilium, est ipsa Divina Essentia, quae ratione suae perfectionis simpliciter infinitae est infinitis modis imitabilis ad extra. Simili quodam modo artifex humanus, quum alicuius operis efficiendi ideam concipit, non praesupponit tale opus, secus non esset inventor, sed merus imitator. Attamen praecognoscere debuit aliqua obiecta ex quibus *fundamentaliter* et *remote* iuvari debuit ad sua nova inventa concipienda.

THESIS XXXVI.

Possibilia aeternaliter non habent aliud esse, quam esse Divinum, quod est ipsa Divina Essentia.

PROBATUR.

150. I. Inter esse reale et esse intentionale non datur medium. Atqui possibilia quâ talia non habent esse reale. Ergo habent tantum esse intentionale in Divino Intellectu. Sed esse intentionale Divini Intellectus est prorsus identificatum cum Divina Essentia, quia in Deo Essentia, esse et intelligere sunt realiter unum et idem, nempe sunt *ipsum esse subsistens.* Ergo possibilia ab aeterno non habent aliud esse quam esse Divinae Essentiae.

II. Inter essentias una tantum est, quae est ipsum esse subsistens, nempe Divina Essentia. Essentiae autem caeterae quae non sunt ipsum esse, videlicet essentiae creaturarum, non possunt esse nisi ab alio videlicet ab ipso esse per se subsistente. Iamvero quod est ab alio, vel consideratur extra suam causam, vel in ipsa causa. Si consideratur extra causam, iam habet esse existentiae realis, quae est id per quod aliquid sistitur extra causam, nempe incipit esse realiter in seipso. Si consideratur in causa, repugnat ut habeat aliud esse distinctum ab esse causae; secus simul esset et non esset extra causam. Neque dicas essentiam creaturae antequam haberet esse existentiae habuisse esse essentiae; nam *esse essentiae* nihil aliud significat quam *realitatem essentiae* quae absque *esse existentiae* nihil est in ordine reali. Habere autem esse essentiae extra causam est idem ac existere. Nam inter esse et non esse non datur medium. Idcirco S. Thomas (qq. dd. de Pot. q. 3. a. 5. ad 2.) ait: « Dicendum quo ex hoc ipso quod quidditati « (creaturae) esse attribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas « creari dicitur quia antequam esse habeat, nihil est; nisi forte in « intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia ».

III. Si concederetur hoc absurdum, quod possibilia aliquod esse, *quantumlibet diminutum*, haberent ab aeterno independenter a Divina Essentia Divinoque Intellectu, sequeretur dari aliquam positivam entitatem independenter a Deo, relate ad quam Divinus Intellectus se haberet mere speculativo modo, et consequenter ut perfectibile ad perficiens, seu ut potentia ad actum. Atqui hoc asserere est aeque absurdum et impium. Ergo possibilia aeternaliter non habent aliud esse quam esse divinum, quod est ipsa Divina Essentia.

EXPLICIT PHILOSOPHIA PRIMA.

INDEX RERUM
QUAE IN PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR

LOGICA

LOGICA MINOR

PARS PRIMA. — De prima operatione intellectus, deque intentionibus logicis ei respondentibus.

PARS SECUNDA. — De enuntiatione.

PARS TERTIA. — **De argumentatione.**

LOGICA MAIOR

PARS PRIMA. — **De logicis intentionibus quibus dirigitur prima mentis operatio.**

PARS SECUNDA. — **De secundis intentionibus quibus dirigitur secunda mentis operatio.**

PARS TERTIA. — **De intentionibus logicis dirigentibus tertiam mentis operationem.**

PHILOSOPHIA PRIMA SEU ONTOLOGIA

PARS PRIMA. — De ipso ente in communi considerato.

PARS SECUNDA. — De proprietatibus entis.

PARS TERTIA. — De divisione entis in suas partes.

PARS QUARTA. — De causis entis.

REIMPRIMATUR:

Prati, die 1 Iunii 1903. Can. Archid. G. GORI, Vic. Gen.

INSTITUTIONES PHILOSOPHICAE

AD NORMAM DOCTRINAE

ARISTOTELIS ET S. THOMAE AQUINATIS

STUDIOSAE IUVENTUTI

PROPOSITAE

A PIO DE MANDATO SOC. IESU

ROMAE

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA
OLIM PHILOSOPHIAE ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORE

VOLUMEN ALTERUM

COMPLECTENS PHILOSOPHIAM NATURALEM, PSYCHOLOGIAM
ET THEOLOGIAM NATURALEM

EDITIO QUARTA



PRATI
EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

1904

PHILOSOPHIA NATURALIS

PROLEGOMENA

1. **Philosophiae naturalis obiectum et definitio.** Philosophia naturalis, quae etiam *Scientia Naturalis*, et graeco nomine *Physica* dicitur, in eo est, ut entium, quae sensibus nostris subsistere percipimus in hac adspectabili mundi machina, naturas, proprietates caeteraque accidentia speculetur. Eius igitur obiectum vocari potest *a) ens sensibile*, quia sensibus perceptibile est; *b) ens mobile*, quia ad hoc ut sensibus percipiatur, aliqua specie motus proprie dicti praeditum sit necesse est; *c) ens materiale*, quia tantum ratione principii potentialis intrinseci, quod materia dicitur, esse potest susceptivum motus; *d) ens naturale*, quia *natura* stricto sensu accepta definitur *principium motus et quietis in eo in quo est; e) ens corporeum*, seu *corpus physicum*, quia omnis motus proprie dictus supponit in subiecto mobili quantitatem dimensivam, haec autem radicatur in materia. Quibus positis, patet Philosophiam naturalem apte definiri posse scientiam de ente mobili.

2. **Philosophia naturalis est scientia specialis.** Nam ratione sui obiecti, quod est ens mobile, in cuius definitione cadit materia sensibilis, distinguitur tum a *Metaphysica proprie dicta*, cuius obiectum est ens in quantum ens atque entis principia, quae abstrahunt a quacumque materia, sive individuali, sive sensibili, sive intelligibili (Philos. prim. nn. 4 et 5); tum *a Mathematica* cuius obiectum sunt dimensiones et numeri, in quorum definitionibus non cadit materia sensibilis, quum abstrahant a materia sive individuali sive sensibili. Quocirca, quemadmodum in Logica Maiori (n. 278) agentes de divisione scientiarum diximus, obiectum proprium Philosophiae naturalis in infimo

gradu abstractionis consistit, quum abstrahat tantum a materia individuali. Attamen hic abstractionis gradus sufficit ad eam immobilitatem et universalitatem eius obiecto tribuendam, quae a scientia postulatur.

3. **Philosophiae naturalis partitio.** Ut perspicuitati et ordini consulamus, obiectum proprium huius scientiae ita considerabimus, ut prius de ente mobili in communi, videlicet de principiis constitutivis et proprietatibus omni enti mobili communibus deque natura huius universi corporei sermonem habeamus, deinde de variis entis mobilis speciebus, ita ut a vita carentibus ad viventia, atque a sola vita vegetativa viventibus ad sentientia, atque tandem ad hominem perveniamus, quod est nobilissimum inter entia mobilia, utpote ratione praeditum, vi cuius est in confinio entium materialium atque immaterialium. Ne autem multiplex subdivisio fiat, Philosophiam naturalem in duas praecipuas partes dividemus, nempe in Cosmologiam et Psychologiam. Quae enim generatim naturam et proprietates corporeas respiciunt, sub Cosmologia; quae vero viventia, ac praesertim eorum operationes et formale principium, quod est anima, sub Psychologia pertractabimus.

PHILOSOPHIA NATURALIS

PARS PRIMA

SEU

COSMOLOGIA

Philosophiae Naturalis priorem Partem seu Cosmologiam eo ordine pertractabimus, ut in priori Tractatu de Ente mobili seu corporeo in communi considerato agamus, in altera vero de eius proprietatibus et individuatione, in tertia tandem parte de Natura deque eius finalitate et activitate. Quaestiones vero de mundi creatione, conservatione aliasque hisce affines, quum respiciant processum et dependentiam entis in quantum entis a Suprema eius Causa, Theologiae Naturali reservamus.

TRACTATUS PRIMUS

DE ENTE MOBILI IN COMMUNI

In hoc priori Cosmologiae Tractatu, post demonstratam essentialem compositionem entis mobilis seu corporei; de eius intrinsecis principiis, deque generatione, corruptione, et mixtione disseremus. Tum, adversariorum sententiis de corporum constitutione fideliter propositis et refutatis, de materia et forma penitius agemus.

QUAESTIO I.

DE ESSENTIALI COMPOSITIONE ENTIS MOBILIS.

In hac quaestione quaedam tamquam evidentia supponimus, nempe corpora, seu substantias extensione praeditas, existere et moveri saltem secundum aliquam speciem motus stricte dicti (cfr. Log. n. 208. IV.).

THESIS I.

De essentiali ratione entis mobilis seu corporei est intrinseca compositio ex actu et potentia substantialibus, videlicet ex forma substantiali et materia prima (1).

PRAENOTIONES.

4. I. Nomine *entis mobilis* seu *corporei* intelligimus id quod omnes homines intelligunt nomine *corporis* videlicet quodlibet ex innumeris entibus materialibus, quae hunc universum adspectabilem constituunt, nobis non exclusis extensa, aliquo ex sensibus externis perceptibilia, quae moventur vel moveri possunt sive motu locali, sive multis aliis motus speciebus, vel accidentalibus puta alterationis, augmenti, decrementi, vel substantialibus nempe generationis et corruptionis substantiae eorum.

II. Nomine *materiae primae* intelligimus subiectum primum mutationum substantialium, quod ante et post mutationem remanet. Omnibus enim compertum est, quum entia corporea transmutantur substantialiter, ex. gr. quum cibus convertitur in carnem, lignum combustum resolvitur in cinerem fumum et alia, semper remanere id quod est subiectum primum harum mutationum; hoc vocamus *materiam primam.*

III. Nomine *formae substantialis* intelligimus actualitatem seu perfectionem, qua ens corporeum constituitur in una vel alia specie substantiae corporeae, puta oxigenii, hydrogenii, plantae, hominis.

Sic explicatio QUID NOMINIS *corporis*, *materiae primae*, *formae substantialis*, in decursu tractationis explicabimus QUID REI.

---

(1) Doctrina peripatetica de corporum constitutione vocari etiam solet HYLEMORPHISMUS ab ὕλη *materia* et μορφή *forma.*

PROBATUR.

5. I. Quidquid in linea suae essentiae non est compositum ex actu et potentia substantiali, est actus in suo ordine purus, videlicet est ipsa perfectio subsistens sui ordinis et ideo est immultiplicabile. Atqui nullum ens mobile est ipsa perfectio subsistens sui ordinis, et quamvis aliquod ens mobile possit esse unicum in sua specie, tamen non repugnat ut multiplicetur. Ergo de essentiali ratione entis mobilis est intrinseca compositio ex actu et potentia substantiali. Maior constat ex Philos. Prima, Thes. 19. et Corollariis. Minor est evidens. Ergo stat consequentia.

Confirmatur. Quaecumque numero sunt plura, debent esse inter se distincta. Iamvero dupliciter tantum contingere potest distinctio in his quae in ratione quadam univoca conveniunt, vel quia unum differt ab alio per aliquam differentiam specificam, sicut species numerorum differunt inter se, vel quia recipiuntur in diversis receptivis seu subiectis, sicut albedo quae est in una columna differt ab albedine, quae est in alia columna. Atqui si essentia aliqua invenitur in pluribus individuis secundum totam suam rationem, videlicet usque ad ultimam differentiam specificam, in tantum potuit ita multiplicari in quantum in sua ratione importat duplex principium, unum activum, aliud passivum, ita ut id quod habet rationem actus inveniat in eadem linea essentiae correspondentem potentiam in qua recipiatur. Quare potentia pure passiva dum multiplicatur, hoc ipso multiplicantur actus correspondentes totidem receptivis mere potentialibus et per hoc multiplicantur individua participantia eamdem essentiam specificam. Porro talis multiplicabilitas locum habet in entibus mobilibus, quae vocamus corpora. Haec enim habent tales essentias, quae de facto inveniuntur multiplicatae in pluribus individuis, puta mineralia, plantae, animalia, quorum unaquaeque species invenitur multiplicata in pluribus individuis numero tantum distinctis, in quibus singulis verificatur integra ratio essentiae specificae. Et quamvis existeret aliquod corpus unicum in sua specie, tamen esset omnino possibilis multiplicatio plurium individuorum in tali specie, quia illud corpus non esset ipsa perfectio subsistens sui ordinis.

II. De essentiali ratione entis mobilis est exigentia partium extra partes continuas, quarum actualitas habetur per quantitatem, quae est accidens proprium entis mobilis. Atqui id quod in linea essentiae est actus per se subsistens omnino a se excludit partes extra partes. Ergo ad ipsam essentialem rationem entis mobilis pertinet compositio

ex potentia et actu. *Prob. min.* Quod partes quantitativas habet, non solum nequit esse infinitum simpliciter, sud neque secundum quid in ratione actus, nempe in aliquo ordine particulari essentiae seu perfectionis mixtae: ex partibus enim integrantibus, quae continentur intra limites alicuius totius quanti, quod debet esse in aliqua specie determinata magnitudinis, numquam exurgere potest ens in ratione actus neque simpliciter neque secundum quid infinitum. Atqui id quod in linea essentiae est actus per se subsistens est infinitum secundum quid in ratione actus, cum sit ipsa perfectio subsistens sui ordinis. Ergo id quod in linea essentiae est actus per se subsistens omnino a se excludit partes extra partes (cfr. Ont. nn. 82. 84.).

III. Nemo sanus philosophus negare potest dari veras mutationes substantiales, in quibus habemus *in termino a quo* subiectum aliquod actuatum secundum unam rationem substantialem, puta oleris, et *in termino ad quem* habemus idem subiectum actuatum secundum aliam rationem substantialem, puta carnis humanae. Iamvero, si in corporibus praeter principium activum seu formale non haberemus principium pure potentiale, quod sub diversis actibus substantialibus constituat corpora primo et simpliciter diversa, impossibiles essent verae mutationes substantiales. Ergo necessario admittendum est de essentiali ratione corporis physici esse intrinsecam compositionem ex actu et potentia, i. e. ex forma substantiali et materia prima. *Prob. min.* Si in corporibus praeter principium formale non haberemus principium pure potentiale; haberemus principium aliquatenus potentiale, nempe iam simpliciter actuatum et in potentia tantum ad ulteriorem actum, quo adveniente, maneret adhuc primus actus. Sed id quod iam habet primum actum, iam est primo et simpliciter ens, videlicet *substantia;* quilibet autem actus superveniens enti in suo esse primo et simpliciter constituto est *accidens.* Ergo si in corporibus praeter principium activum seu formale non haberemus principium pure potentiale, impossibiles essent verae mutationes substantiales. Quod argumentum est adeo evidens, ut antiqui naturales quidam, qui imaginationem transcendere non valentes posuerunt materiam primam non esse puram potentiam, sed habere proprium actum indipendenter a forma, logice negaverint dari substantias corporeas diversas, atque asseruerint omnia entia corporea accidentaliter tantum inter se differre omnesque mutationes in mundo corporeo esse mutationes mere accidentales (cfr. Ont. nn. 97. 115.).

THESIS II.*

Omnis substantia composita ex actu et potentia substantiali est corpus.

PRAENOTIONES.

6. Multiplices dari possunt descriptiones et definitiones corporis physici. Nam

I. Prouti consideratur *a)* modus quo corpus physicum se nobis manifestat et *b)* essentialis eius exigentia quantitatis dimensivae; apte describitur *id cui competit trina dimensio.* Etenim *α)* corpora vulgo vocantur illa entia, quae mediantibus suis accidentibus quomodocumque percipiuntur a sensibus. Porro ex omnibus accidentibus sensibilibus illud, quod communiter a sensibus percipitur, utpote horum *sensibile commune*, sunt dimensiones nempe quantitas dimensiva. Quod et experientia constat et ostenditur ex eo quod quantitas dimensiva est principium individuationis seu determinationis ceterorum accidentium sensibilium, ut demonstrabimus (in q. *de quant.*). Porro in hac ratione accidentis determinantis obiecta propria singulorum sensuum consistit *ratio sensibilis communis*, quod ideo *per se* percipi debet a pluribus sensibus, quia est determinatio proprii obiecti istorum, videlicet quia est determinatio illorum accidentium sensibilium, quae sunt propria obiecta uniuscuiusque sensus. Sic mediante colore percipitur a visu superficies alicuius pomi, quae mediante sapore percipitur a gustu, et mediante resistentia percipitur a tactu. Insuper β) omne corpus physicum exigit trinam dimensionem ratione suae compositionis essentialis, ut infra ostendemus.

II. Prouti consideratur eius intrinseca compositio in linea essentiae corpus physicum recte vocatur *substantia materialis*, intelligendo nomine materiae puram potentiam passivam, quae simul cum actu aliquo substantiali constituat primo et simpliciter substantiam corpoream. Ut enim mox demonstrabimus quidquid in linea essentiae substantialis constat ex potentia et actu, est necessario *corpus.*

III. Prouti corpus physicum consideratur ut intrinsece constitutum ex talibus principiis, ratione quorum variari ad sensum conspicitur et nunc uno modo, nunc alio se habere, apte dicitur *ens physicum* seu *naturale;* accipiendo nomen *natura* limitate et specialiter ad denotandum *principium motus aut quietis sensibilis in eo in quo est talis motus vel quies.*

IV. Eamdem ob causam corpus dici potest etiam *ens mobile*. Ratione enim principiorum, ex quibus intrinsece constituitur corpus, est principium radicale et exigitivum motus sensibilis.

Nota. *Corpus mathematicum* vocatur ipsa trina dimensio, nempe aliqua figura solida considerata in abstractione a corpore physico, quod unice esse potest longum, latum atque profundum. Non enim potest actu dari corpus solidum, quod non sit vel aurum, vel lignum, vel aliquid huiusmodi.

PROBATUR THESIS.

7. Omnis substantia, cui competit trina dimensio (i. e. extensio partium extra partes continuas), est corpus. Atqui omni substantiae compositae ex actu et potentia substantiali competit extensio partium extra partes continuas, seu trina dimensio. Ergo omnis substantia composita ex actu et potentia substantiali est corpus.

Prob. min. Substantia composita ex actu et potentia substantiali est multiplicabilis per hoc, quod principium potentiale (i. e. materia prima) admittit plures partes eiusdem rationis ita ut formae multiplicari queant non per differentias specificas, sed per numericam multiplicationem receptibilium eiusdem rationis. Sed materia quae admittit plures partes eiusdem rationis debet necessario constituere cum forma compositum, quod admittat plures partes eiusdem rationis. Porro huiusmodi compositum, cum gaudere debeat vera et actuali unitate entitativa, eo ipso quod admittit plures partes eiusdem rationis, eas debet admittere inter se continuatas eo modo quem dicemus in quaestione de *Quantitate*. Ergo omni substantiae compositae ex actu et potentia substantiali competit extensio partium extra partes continuas.

OBIECTIONES.

8. **Obiect. 1ª.** Quod est forma tantum, est actus purus, sed tantum. Deus est actus purus. Ergo non omne compositum ex actu et potentia substantiali est corpus, quia praeter Deum et corpora dantur spiritus creati.

Resp. *Dist. mai.* Quod est forma tantum est *actus purus*, si sit perfectio pura subsistens, quae identificatur cum ipso esse per se subsistente, ita ut non solum careat compositione ex materia et forma, *sed etiam careat compositione ex essentia et esse*, *Concedo*.

Si sit tantum aliqua perfectio mixta subsistens, quae licet careat compositione physica ex materia et forma, *non careat compositione metaphysica ex essentia et esse, Nego.*

Etenim haec forma posset vocari actus *relative purus.* Actus autem relative purus *non est actus purus simpliciter et sine addito.*

Concedo minorem. Nego consequens, quia compositum ex actu et potentia substantiali importat compositionem non solum metaphysicam, i. e. in ipso ordine essendi, sed etiam physicam, i. e. in ordine ipsius essentiae.

Audiatur S. Thomas in 1. p. q. 50. a. 2. « Ad 3um dicendum, quod « licet in angelo non sit compositio formae et materiae, est tamen in « eo actus et potentia. Quod quidem manifestum potest esse ex consi- « deratione rerum materialium, in quibus invenitur duplex compositio. « Prima quidem formae et materiae ex quibus constituitur natura « aliqua. Natura autem sic composita non est suum esse, sed esse est « actus eius. Unde ipsa natura comparatur ad suum esse sicut po- « tentia ad actum. Subtracta ergo materia, et posito quod ipsa forma « subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formae ad ipsum « esse, ut potentia ad actum. Et talis compositio intelligenda est in « angelis. Et hoc est quod a quibusdam dicitur, quod Angelus est com- « positus ex *quo est et quod est*, vel ex *esse* et *quod est,* ut Boetius dicit. « Nam *quod est*, est ipsa forma subsistens: ipsum autem *esse* est *quo* « substantia est; sicut cursus est quo currens currit. Sed in Deo non « est aliud *esse* et *quod est,* ut supra ostensum est (q. 3. a. 4.). Unde « solus Deus est actus purus. » Cfr. etiam 1. p. q. 3. art. 3. et 4.

Obiect. 2^a. Forma proprie limitatur et finitur per materiam. Ergo forma, quae non est in materia, est forma infinita. Sed forma substantiae creatae spiritualis non est infinita. Ergo est in materia. Ergo non omnis forma in materia facit corpus.

Resp. *Dist. antec.* Forma limitatur per materiam in ordine essentiae, *Concedo*, in ordine existentiae, *Nego. Dist.* 1^m *Conseq.* Forma, quae non est in materia, est infinita vel *simpliciter,* vel tantum *secundum quid, Concedo*, qualibet forma, quae non est in materia, est *forma simpliciter infinita*, *Nego.* Similiter distincta minori, nego utrumque consequens. Forma est simpliciter infinita, si neque per potentiam subiectivam in linea essentiae, neque per actum essendi receptum limitatur, cuiusmodi est solus Deus: est autem secundum quid infinita, si quamvis non limitetur per potentiam subiectivam in linea essentiae, tamen limitatur prouti est potentia ad esse.

S. Thomas simili difficultati sic respondet in 1. p. q. 50. a. 2. ad 4um: « Dicendum quod omnis creatura est finita simpliciter, in quantum « esse eius non est esse absolute subsistens, sed limitatur ad naturam « aliquam, cui advenit. Sed nihil prohibet aliquam creaturam esse « secundum quid infinitam. Creaturae autem materiales habent infini-

« tatem ex parte materiae (quae est *infinitas privativa*), sed finitatem « ex parte formae, quae limitatur per materiam in qua recipitur. « Substantiae autem immateriales creatae, sunt finitae secundum suum « esse, sed infinitae secundum quod earum formae non sunt receptae « in alio; sicut si diceremus albedinem separatam existentem esse in- « finitam quantum ad rationem albedinis, quia non contrahitur ad « aliquod subiectum; esse tamen eius esset finitum, qui determinatur « ad aliquam naturam specialem. Et propter hoc dicitur in libro *de* « *Causis* (prop. XVI.), quod *intelligentia est finita superius,* in quantum « scilicet recepit esse a suo superiori, sed est infinita inferius, in quan- « tum non recipitur in aliqua materia ».

9. **Corollarium 1.** *Materia prima est radix quantitatis.* Quia, eo ipso quod est pura potentia subiectiva, dicit ordinem ad pluralitatem partium causandam in composito substantiali, ad cuius constitutionem concurrit.

Corollarium 2. *Quantitas dimensiva emanat a substantia materiali tamquam accidens proprium.* Illud enim est accidens proprium, ad quod necessarium ordinem dicit substantia aliqua, et quod, posita prima constitutione talis substantiae, resultare necessario debet ad hoc, ut substantia sit completa etiam ad actum secundum, i. e. ad suam connaturalem operationem. Atqui, posita prima constitutione substantiae corporeae ex materia prima et forma substantiali, iam habemus 1° necessarium ordinem ad partes extra partes continuas: 2° hae partes extra partes resultare actu debent, ad hoc ut substantia materialis sit completa ad actum secundum, nempe ad operationem suae naturae convenientem; sive haec operatio sit mere transiens, ut in non viventibus; sive sit etiam immanens, ut in viventibus. Ergo quantitas dimensiva emanat a substantia materiali tamquam accidens proprium. Haec et sequentia clariora fient ex dicendis in quaestione de *Quantitate.*

THESIS III.

a) Prima principia intrinseca corporis recte vocantur ab Aristotele (1), « ea quae neque ex alterutris neque ex aliis, et ex quibus omnia corpora esse vel fieri oportet » *b)* huiusmodi principia (si spectetur corpus ***in facto esse et universaliter)*** sunt tantum materia prima et forma substantialis.

PRAENOTIONES.

10. I. **Principium** universalissime sumptum dicitur id, a quo aliquid quocumque modo procedit. *Principiatum* autem dicitur id quod

(1) Physic. lib. 1. cap. 7. - cfr. S. Th. in h. l. lect. 10.

ab alio quocumque modo procedit. Sic dicimus punctum esse principium lineae, unitatem principium numeri, auroram principium diei, architectum principium aedificii, Aeternum Patrem principium Filii, Deum esse principium omnium creaturarum; et vicissim lineam, numerum, diem, aedificium etc. vocamus *principiata* respectu suorum principiorum (Cfr. Ont. n. 150.).

II. **Principium absolute primum** est id a quo aliud procedit, ipsum vero a nullo in quolibet rerum genere vel ordine. *Principium relative primum* est id, a quo aliud procedit, ipsum vero a nullo in suo tantum genere, quamvis in alio genere vel ordine ab alio procedat. Tandem *principium ne quidem relative primum* est id, quod in suo ipso genere vel ordine est principium simul et principiatum respectu diversorum (1).

III. **Prima principia distinguuntur in principia fiendi, essendi, cognoscendi.** Etenim omnes modi procedendi ab alio reducuntur ad istos: nempe vel secundum fieri, vel secundum esse, vel secundum cognosci, prouti consideramus in rebus vel esse reale quod habent in seipsis, vel esse intentionale quod habent in cognoscentibus eas — *Spectato esse intentionali*, ideo unum dicitur procēdere ab alio, quia ab hoc devenimus in cognitionem illius. Quae igitur in ordine cognitionis huiusmodi sunt, ut ex illis omnes scientiae deducant suas conclusiones, erunt *principia absolute prima in cognoscendo,* qualia sunt *axiomata* seu *dignitates.* Secus erunt *principia relative prima,* puta principia Geometriae. — *Spectato esse reali*, quod res habent in seipsis, hoc esse considerari poterit vel secundum ordinem suae processionis seu *in fieri,* vel secundum quod iam stabiliter perfectum est, seu *in facto esse.* Quidquid concurrit ad constituendum ipsum *fieri* alicuius rei, quae ab ipso aliquo modo procedit, dicitur *principium eius secundum fieri.* Quod autem concurrit ad constituendum *ipsum esse permanens* alicuius rei, ab ipso aliquo modo procedentis, dicitur *principium illius secundum esse* (cfr. S. Thomam in V. Metaph. lect. 8.).

IV. **Principia fiendi et principia essendi dividuntur in extrinseca et intrinseca.** *Extrinseca* dicuntur ea principia, quae sunt *externa* rei quae ab ipsis *fit*, aut quae per ipsa *est;* sic artifex est principium extrinsecum statuae. *Intrinseca* vero dicuntur ea principia, ex quibus, tamquam ex intimis constitutivis, vel componentibus, vel requisitis exsurgit *ipsum fieri* aut *ipsum esse rei:* sic marmor dicitur principium intrinsecum statuae. Ad principia extrinseca reducitur quaelibet causa efficiens et causa finalis. Ad principia intrinseca reducuntur causa formalis et causa materialis (Phil. Prim. q. IX.).

---

(1) Cfr. S. Th. 1. 2. h. 6. q. 1. - in Sent. Dist. 1. q. 1. a. 1. qq. dd. de Pot. q. 3. a. 6.

PROBATUR PRIMA PARS.

11. Illud est primum principium in aliquo genere, quod ita est principium omnium quae in eo genere continentur, ut ipsum in eodem genere careat principio. Atqui si principia intrinseca sive corporis considerati *in facto esse,* sive corporis considerati *in fieri*, essent vel ex alterutris, vel ex aliis, vel si ex ipsis non omnia corpora essent vel fierent, iam dici non possent prima principia intrinseca corporis. Ergo principia intrinseca corporis recte vocantur ab Aristotele: ea, quae neque ex alterutris, neque ex aliis, et ex quibus omnia corpora esse vel fieri oportet. *Prob. min.* Quoad principia intrinseca corporis considerati *in facto esse. a)* Si haec principia constarent ex alterutris, videlicet si in constitutione unius ingrederetur alterum, iam ambo non essent prima principia; quia vel unum vel aliud se haberet ad sua componentia tamquam principiatum ad sua principia, et proinde haec dicenda essent prima principia, non illud. Puta si aliquis diceret hydrogenium esse compositum ex forma substantiali hydrogenii et ex corpore, non designaret adaequate prima principia intrinseca hydrogenii *in facto esse;* nam in corpore hydrogenio continetur ipsa forma substantialis eius, et proinde ipsum corpus se habet ut principiatum ad materiam primam et ad formam hydrogenii tamquam ad sua principia. *b)* Quod si principia intrinseca constarent *ex aliis*, haec essent prima principia, non illa. *c)* Tandem nisi omnia corpora constarent ex eis, non possent dici principia corporis, sed alicuius speciei corporis tantum. — Neque dicas: dantur corpora mobilia specie diversa. Ergo etiam eorum intrinseca principia esse debent diversa. Nam, concesso antecedente, *distinguimus consequens:* eorum intrinseca principia debent esse generice diversa, *Negamus.* Debent esse specifice diversa, *Subdist.* Principium potentiale, *Negamus.* Principium formale, *Concedimus.*

Similis ratiocinatio instituatur quoad prima principia intrinseca corporis considerati *in fieri.* Cuiusmodi principia vocantur etiam *requisita ad fiendum* corporis (cfr. praenot.).

PROBATUR SECUNDA PARS.

12. Prima principia intrinseca corporis *in facto esse* sunt ea ex quibus ita constat corpus ut haec neque ex alterutris sint, neque ex aliis et ex quibus omnia corpora sint constituta. Atqui hae conditiones verificantur tantum de materia prima et forma substantiali. Ergo prima principia intrinseca corporis in *facto esse* sunt tantum materia prima et forma substantialis.

Verificatur prima conditio. Materia enim, quum se habeat ad formam ut potentia ad actum, nihil continet in se de ratione formae; neque forma quidquam continet in se de ratione materiae. Actus enim et potentia se invicem excludunt in eo ordine in quo accipiuntur (cf. Ont. n. 85.). — *Verificatur secunda conditio.* Nam forma substantialis advenit materiae primae, ut actus primus purae potentiae subiectivae; eo quod constituere debet cum ea compositum in esse primo, videlicet in esse substantiali, quod nullum supponit actum anteriorem (cf. Ont. n. 81.). Iamvero actus et pura potentia subiectiva in ordine essentiae nequeunt esse composita ex aliis, secus essent simul et non essent actus et pura potentia, quod contradictionem involvit. Ergo etc. — *Verificatur tertia conditio.* Nam, quum materia prima et forma substantialis (videlicet pura potentia subiectiva et actus primus eiusdem) sint de ratione essentiali entis mobilis (ut in Thesi I. demonstravimus), necesse est ut, si detur aliquod corpus, hoc resultet ex aliqua materia prima et ex aliqua forma substantiali. Quomodo autem materia dividatur et formae multiplicentur, dicemus inferius, agentes de individuatione substantiae corporeae.

13. **Corollarium 1.** *Prima principia intrinseca corporis nequeunt esse corpora*, quia et ipsa sunt principiata, cum essentialiter constent ex materia et forma (Thes. 1.).

Corollarium 2. *Prima principia intrinseca corporis nequeunt esse substantiae.* Nam substantia importat aliquid completum in ratione *essentiae cui competit per se esse.* Atqui neque principium potentiale, neque principium formale corporis esse possunt aliquid completum in linea essentiae exigentis esse per se. Etenim *materia prima,* utpote pura potentia, longe abest ab hoc, ut esse possit essentia completa, cui competat esse per se. *Forma substantialis,* i. e. principium formale corporis, vel habet esse independenter a materia, vel non:

Si non habet esse independenter a materia, longe abest ab hoc, ut possit esse essentia completa, quia ne quidem ut aliquid incompletum habere potest esse per se; sed existit tantum per esse compositi.

Si autem habet esse independenter a materia, eo quod sit spiritualis seu intellectiva, qualis est *anima humana*, quamvis possit esse per se, tamen non est *complete* substantia; quia non est aliquid completum in ratione essentiae, sed est pars seu principium formale essentiae humanae et ideo: α) naturaliter non creatur nisi in actuali informatione materiae sibi respondentis; β) prorsus repugnat ut creetur sine ordine ad aliquam materiam actuandam; γ) etiam post destructionem compositi humani, i. e. post mortem hominis, remanet ordinata ad illam materiam, cum qua compositum constituebat. Quocirca non ponitur

in praedicamento substantiae nisi reductive ad hominem, cuius est forma, et proprie loquendo vocari tantum potest *substantia incompleta.*

Quod autem huiusmodi forma substantialis habere possit etiam rationem *entis ut quod,* quando pergit existere separata a materia, nulla est repugnantia. Nam dummodo principium potentiale, i. e. materia prima, in statu unionis cum tali forma remaneat in linea purae potentiae; compositum inde resultans semper acquirit esse et unitatem ex parte formae, unde etiam in casu formae substantialis per se subsistentis unicum et idem esset *esse* formae et *esse* totius compositi. Caeterum haec manifesta fient in Psychologia.

Corollarium 3. *Principia intrinseca corporis sunt prima contraria.* Nam prima contraria sunt ea, quae sub eodem genere posita maxime inter se distant et medium admittunt, quod ex ipsis contrariis constat. Iamvero huiusmodi sunt materia prima et forma substantialis, quae ad idem genus corporis physici *reductive* pertinent, maxime inter se distant, quum una se habeat ad aliam ut potentia ad actum, quae in eodem ordine sunt extreme opposita, atque admittunt medium, videlicet corpus physicum, quod ex ipsis resultat (cfr. Ont. n. 85.).

THESIS IV.*

Principia intrinseca corporis in fieri, *nempe requisita ad ipsum fieri* corporis generabilis et corruptibilis sunt 1° materia, forma et privatio; 2° ita tamen, ut materia et forma sint principia *per se,* privatio sit principium per accidens.

PRAENOTIONES.

14. Principia entis mobilis *in fieri* sunt ea, ex quibus exsurgit *ipsum fieri* illius, tamquam ex requisitis ad eam *mutationem* habendam, quae est generatio novae substantiae corporeae.

Cum agamus tantum de generatione simpliciter dicta seu substantiali; non accipimus *a)* vocabulum *fieri* quatenus significare etiam potest *motum* stricte sumptum, nempe *actum entis in potentia ut in potentia;* in quo motu subiectum unum et idem *actu existens,* videlicet constans ex materia prima et forma substantiali, mutatur de opposito in oppositum, remanente eadem substantia; ut quum idem ferrum ex frigido fit calidum: neque *b)* accipimus vocabulum *fieri*, quatenus significare potest *aliquid creari,* videlicet aliquid nunc primo esse, postquam *nullo modo* (i. e. neque ratione sui, neque ratione subiecti) fuerit: quo sensu *fieri* non distinguitur a *facto esse* rei, nisi per hoc

quod importat habitudinem ad causam creantem *cum novitate essendi;* sed *d)* accipimus *fieri* quatenus importat *mutationem* illam, qua rei acquiritur per generationem substantialem τοῦ esse simpliciter, nempe talem transitum ab uno in alium terminum, ut idem subiectum, utrique termino commune, non sit *ens actu* sed ens *in pura potentia subiectiva,* videlicet *materia prima.* « Quandoque (ait S. Thomas qq. dd. *De Pot.* « q. 3. a. 2.) contingit, quod utrique mutationis termino est unum « commune subiectum actu existens; et tunc *proprie est motus;* sicut « accidit in alteratione et augmento et diminutione et loci mutatione. « Nam in omnibus his motibus subiectum unum et idem actu existens, « de opposito in oppositum matatur. Quandoque vero est idem com- « mune subiectum utrique termino, non quidem ens actu, sed ens in « potentia tantum, sicut accidit in generatione et corruptione simpli- « citer. Formae enim substantialis et privationis subiectum est materia « prima, quae non est ens actu: unde nec generatio nec corruptio pro- « prie dicuntur motus, sed *mutationes quaedam.* » Quae transmutatio fit in instanti, secus ac motus qui fit successive, quique mensuratur tempore. Attamen motus praerequiritur ad disponendam materiam in composito corrumpendo ad novam formam suscipiendam.

PROBATUR PRIMA PARS.

15. Aliquod corpus dicitur *fieri*, quando a non esse simpliciter transit ad esse simpliciter, ita ut idem subiectum pure potentiale, i. e. materia prima, quod *in termino a quo* huius mutationis carebat actu substantiali requisito ad illud corpus constituendum, acquirendo eum transeat *in terminum ad quem* eiusdem mutationis. Atqui ad huiusmodi transitum requiruntur tria, nempe 1° unum et idem subiectum pure potentiale commune utrique termino, nempe materia prima: 2° negatio formae substantialis acquirendae simul cum aptitudine ad illam ex parte materiae, quae negatio simul cum aptitudine in subiecto vocatur *privatio;* 3° forma substantialis acquirenda in termino huius mutationis. Ergo ad *fieri* corporis mobilis requiruntur materia, forma et privatio; quae idcirco iure dicuntur prima principia intrinseca corporis mobilis *in fieri.*

PROBATUR SECUNDA PARS.

16. Eo modo est aliquid principium intrinsecum alterius, quo concurrit ad illud constituendum. Atqui materia et forma concurrunt *ad fieri* corporis mobilis tamquam aliquid positivum et reale, privatio

autem tamquam aliquid negativum et solius rationis. Ergo materia et forma sunt *per se* principia corporis *in fieri,* privatio est principium *per accidens.* Minor constat tum ex dictis in 1ª parte, tum ex verbis Sancti Thomae allatis in nota ad Thesim praecedentem.

Quod si vocem *per se* usurpare quis vellet in sensu *necessitatis;* tunc privatio dici posset *per se,* i. e. *necessario,* requiri *ad fieri* corporis mobilis.

OBIECTIONES.

17. **Obiect. 1ª.** Non possunt esse eadem principia corporis in fieri et in facto esse. Sed materia et forma sunt principia corporis in facto esse. Ergo materia et forma nequeunt esse etiam principia corporis in fieri.

Resp. *Dist. mai.* Secundum eumdem respectum, *Conc.*, secundum diversum respectum, *Nego. Conc. min. Nego conseq.* Etenim materia et forma sunt principia corporis in facto esse tamquam partes essentiales constituentes corpus; sunt autem principia *ipsius fieri* corporis tamquam *requisita* ad eam mutationem, in cuius *termino ad quem* resultabit corpus in facto esse.

Obiect. 2ª. *Fieri* corporis est aliquid positivum; privatio autem est quoddam non esse. Sed *non esse* nequit esse principium alicuius positivi. Ergo privatio nequit esse principium corporis in fieri.

Resp. *Concedo* primum membrum maioris. *Dist.* secundum membrum: privatio est purum non esse, *Nego,* est non esse fundatum in aliquo positivo. *Conc. Contrad. min.* Purum *non esse, Conc.*, *non esse* fundatum in aliquo positivo, *Subdist.* Nequit esse *per se* principium alicuius positivi, *Conc.*, nequit esse *per accidens*, *Nego. Similiter distinguo consequens.*

Obiect. 3ª. Materia nequit transire ad novam formam, nisi praecedentem amittat. Ergo etiam cessatio praecedentis formae est aliud *fiendi* principium.

Resp. *Conc. antec. Nego conseq.* Nam non quaecumque mutatio dicitur stricto sensu *fieri*, sed mutatio *a non* esse *ad esse*, nempe a negato in affirmatum, a privatione formae ad formam et est *generatio.* Cessatio formae praecedentis quamvis necessario concomitetur *fieri*, pertinet ad mutationem ab esse ad non esse, ab affirmato in negatum, videlicet ad *corruptionem.* « Tres sunt species mutationis « (ait S. Thomas in 1.m Phys. Lect. 13.), scilicet generatio et corru- « ptio et motus. Quorum haec est differentia, quia motus est de uno « affirmato in aliud affirmatum, sicut de albo in nigrum: generatio

« autem est de negato in affirmatum, sicut... de non homine in ho-« minem; corruptio autem est de affirmato in negatum sicut... de « homine in non hominem etc. »

Obiect. 4ª. Ad hoc ut materia perveniat ad novam formam, requiruntur dispositiones accidentales praeviae. Ergo et istae adnumerari debent inter principia corporis in fieri.

Resp. *Dist. antec.* Requiruntur dispositiones accidentales, quarum *realiter* et *esse* distinguuntur a substantia, *Conc.*, quarum *realiter* et *esse* constituunt substantiam, *Nego. Nego conseq.* Quia hic agitur de *fieri* substantiae. Quae autem concurrunt ad *alterationem* substantiae, sicut dispositiones accidentales; nequeunt concurrere *intrinsece* ad *fieri* seu *generari* substantiae, sed *extrinsece* tantum. Generatio enim est utique terminus *alterationis*, sed extrinsecus; quia alteratio non est inchoatio substantiae, sed est *motus* secundum formam accidentalem, quae prorsus diversa est a forma substantiali.

Omnino falleretur qui putaret illas dispositiones esse accidentia immediata materiae primae. Sunt enim accidentia totius compositi corrumpendi, in quod causantur a naturalibus agentibus, ad hoc ut materia prima gradatim et mediate disponatur ut evadat subiectum proxime aptum mutationis imminentis. Nec valet dicere plures ex huiusmodi accidentalibus dispositionibus inveniri prorsus easdem etiam in novo corpore. Ergo debuerunt immediate attingere materiam. Respondemus enim huiusmodi accidentales dispositiones novi corporis, puta albedinem, figuram et similia, non esse easdem *numerice* sed *specifice.* Causantur enim in novo composito per efficientiam quidem a generante, per resultantiam autem a nova forma substantiali, per quam acquiritur composito esse et unitas, quaeque in multis aequivalet virtuti tum formae anterioris tum eorum agentium naturalium, quae materiam proxime disponebant ad ipsam. Sed de his suo loco agendum. Interim conferri possunt ex Opusculo S. Thomae de pluralitate formarum responsionis ad 5ªᵐ, 6ªᵐ et primam e *Difficultatibus ex Philosophia.* Cfr. etiam Phil. Prim. 139. « *De causalitate resultantiae* ».

QUAESTIO II.

DE GENERATIONE, CORRUPTIONE ET MIXTIONE.

PRAENOTIONES.

18. I. **Generatio et corruptio simpliciter dicta.** Corpus aliquod dicitur *simpliciter corrumpi* et aliud corpus *simpliciter generari*, quando principium potentiale (i. e. materia prima) quod sub una forma substantiali constituebat primum corpus, amittit per operationem naturalis agentis illam formam et incipit sub alia forma substantiali constituere novum corpus. Hoc novum corpus dicitur simpliciter generari, illud simpliciter corrumpi.

II. **Generatio definitur:** *Mutatio materiae a privatione alicuius formae ad illius acquisitionem.* Potest brevius cum Aristotele et s. Thoma vocari *via ad naturam, vel motus ad formam.* **Corruptio** autem definiri potest: *reditus rei ad potentiam ex qua est.*

III. **Corruptio unius est generatio alterius.** Siquidem materia prima, utpote pura potentia subiectiva, non habet actum proprium, sed indiget actuari a forma substantiali ad hoc ut existat per esse compositi, non *ut quod*, sed *ut quo;* pronum est inferre materiam primam eo ipso, quod amittit unam formam substantialem, acquirere aliam, quin detur ullum instans, in quo remaneat denudata omni forma, sicut ex. gr. virga quae ex recta fit curva, ita amittit rectitudinem et acquirit curvitatem, ut nullum sit assignabile instans, in quo nec recta sit nec curva. Unde effatum: *corruptio unius est generatio alterius.*

IV. **Alteratio.** Quando *materia secunda*, quo nomine venit ipsum compositum materiale, acquirit aliquam formam accidentalem, qua carebat, puta calorem, vel amittit aliquam formam accidentalem, quam habebat, puta sanitatem, dicitur *alterari.* Quae *alteratio* vocatur *generatio secundum quid,* vel *corruptio secundum quid*, prouti ens aliquod corporeum vel acquirit aliquam formam accidentalem, vel eam amittit. Etymon vocis *alteratio* provenit ex eo quod per ipsum non habemus *novam quidditatem* seu *aliud*, sed novam *qualitatem*, vi cuius subiectum non fit *aliud* a seipso, sed tantummodo *alterum* a seipso, accipiendo novam praedicationem *in quale contingenter* (cf. Logic. n. 196.). Sic qui ex virtuoso evasit vitiosus dicitur effectus *alter* a se ipso, et viceversa.

THESIS V.

Dantur corpora generabilia et corruptibilia.

PROBATUR.

19. Siquidem omnis substantia corporea essentialiter constat ex actu et potentia substantiali, si aliqua substantia corporea vegetalis mutatur ex. gr. in corpus animale, non aliud ex illa substantia inveniri poterit in corpore animalis, puta bovis, praeter principium potentiale, quod vocatur materia prima. Atqui hoc fit ex. gr. per nutritionem, per quam variae substantiae corporeae convertuntur in corpus animale, quod vicissim, praesertim vita recedente, convertitur in alias substantias corporeas. Ergo dantur corpora quae simpliciter corrumpuntur et generantur. *Minor* patet experientia. *Maior probatur* 1. Animal debet esse *unum per se et simpliciter* in ratione viventis sensitivi, quia esse vivens sensitivum est ipsa essentia animalis. Atqui si praeter formam, qua animal constituitur vivens sensitivum, in specie determinata, puta aquilae vel leonis, haberet aliam formam substantialem, qua constitueretur corpus, non esset *per se* vivens sensitivum, sed tantum *per accidens;* quia quidquid advenit substantiae in suo esse constitutae, est accidens. Ergo si aliqua substantia corporea transmutatur in corpus alicuius animalis, nihil aliud poterit ex ea remanere praeter materiam primam, quae, corrupto primo corpore, incipit concurrere in linea potentiae subiectivae ad constitutionem corporis illius, in quod operata est transmutatio.

Neque dicas essentiam vel naturam viventis sensitivi posse resultare ex coniunctione plurium corpusculorum retinentium propriam essentiam et proprium esse. Nam, ut omittamus tale compositum nullatenus fore ens per se unum, nec dici posse habere propriam essentiam substantialem, cum esset merum aggregatum non secus ac domus, navis vel machina; quaerimus per quid tale ens constituitur unum in ratione viventis sensitivi, ita ut revera sit unum sentiens?

Non potest afferri nisi triplex hypothesis nempe vel 1. quia huic aggregato plurium corpusculorum coniungitur aliqua substantia incorporea per se subsistens, quae sola percipiat sensationes, quae tantum vialiter per illa corpuscula determinato modo aggregata transmittuntur; vel 2. quia ex mutua et transeunte actione et passione unius corpusculi in aliud, resultet sensatio in integro composito ita ut ipsum compositum sit illud ens quod dicitur et est sentiens; vel 3. quia principium potentiale singulorum corpusculorum cesset actuari a distinctis

principiis formalibus non valentibus conferre subiecto perfectionem sentientis, et incipiat actuari ab unico principio formali perfectiori, ratione cuius resultet novum corpus in specie perfectiori quod virtute sui principii formalis sit tale corpus nempe vivens sensitivum. Iamvero prima et secunda hypotheses sunt reiiciendae. Ergo remanet tertia quae tandem aliquando coincidit cum nostra assertione et in qua unice salvatur unitas substantialis *sentientis.*

Prob. min. a) Prima hypothesis est reiicienda. Fundatur enim in falsa suppositione, quod substantia incorporea per se subsistens possit esse subiectum sensationum. Etenim sensatio est operatio compositi corporei, quae exercetur a potentia sensitiva cum organo materiali tamquam comprincipio operationis. Id suo loco demonstrabimus, et iam apparere potest ex eo, quod virtutes sensitivae immutantur et afficiuntur actionibus subiective extensis, videlicet actione *qualitatum tertiae speciei* magnitudini inhaerentium. Quae actio tam in ipsa sua origine, videlicet in corpore, quod sensibus obiicitur, quam in medio extenso, in quo recipitur et per quod propagatur, puta in aëre vel in aethere, est subiective longa, lata, profunda, est determinati situs atque caeteris materialibus conditionibus alligata. Iamvero id quod immutatur et afficitur actione subiective extensa, extensum sit oportet; quia *eiusdem rationis* esse debet *proximum activum* cum *proprio passivo.* Ergo impossibile est ut substantia incorporea per se subsistens possit esse subiectum sensationum.

b) Secunda hypothesis est etiam reiicienda. Nam impossibile est ut ex mutua et transeunte actione et passione unius corpusculi in aliud resultet sensatio in integro composito, ita ut ipsum compositum sit illud ens quod dicitur et est sentiens. Etenim sensatio est talis operatio, quae exigit ut unum et idem unitate perfectae identitatis sit id, quod 1. per sensationem habet repraesentationem alicuius integri obiecti sensibilis, quamvis diversae partes obiecti imprimant in diversas partes corporis sentientis; quod 2. discernit diversas partes obiecti ab invicem, puta caput a brachiis, et quod 3. discernit etiam unam sensationem ab alia. Atqui hoc fieri non posset, si sentiens non esset unica substantia operans, sed esset aggregatum plurium substantiarum partialiter operantium. Etenim in aggregato plurium entium per se subsistentium, qualia sunt plura corpuscula 1. unumquodque retinet propriam actionem et passionem; 2. illa mutua actio et passio esset actio transiens, non immanens qualis esse debet sensatio; 3. etiamsi concederemus (quod non concedimus) illam mutuam actionem et passionem posse constituere sensationem, haberentur tot sentientia, quot essent corpuscula, cum sit prorsus contradictorium asserere aliquod

ens non elicere nisi propriam actionem, non pati nisi propriam passionem, et simul elicere actionem alterius et pati passionem alterius.

Ergo remanet tantum tertia hypothesis, quae coincidit cum nostra assertione, nempe si aliquod corpus transmutatur in corpus alicuius animalis, id fieri per hoc quod eius pars potentialis cesset actuari a priori forma et incipiat actuari a forma substantiali illius animalis in quod corpus illud, puta herba vel caro, transmutatum est. Dantur igitur corpora corruptibilia et generabilia, siquidem corruptio unius est generatio alterius; et quamvis in assumpto exemplo, iam supponatur animal subsistens, tamen eaedem rationes multo magis valent, cum agitur de generatione totius animalis, ut suo loco declarabitur.

THESIS VI.

Una et eadem potentia subiectiva potest respicere plures actus successive suscipiendos ***intra latitudinem suae actuabilitatis.***

PROBATUR.

20. Plures actus possunt convenire in aliqua ratione generica, vi cuius referantur ad aliquam potentiam subiectivam *correspondentem illi rationi genericae.* Atqui in tali hypothesi poterit huiusmodi potentia referri omnibus actibus, qui pertinent *ad aliquam speciem* sub illa generica ratione contentam. Ergo, cum nullus ex iis actibus expleat potentialitatem seu capacitatem huius potentiae, haec modo actuabitur per unum actum, modo hunc deseret ut ab alio actuetur. Sicut ex. gr. cera, quae se habet ut potentia ad omnes species figurarum, quae continentur sub communi genere figurae, ita actuatur secundum figuram sphaericam ut remaneat in potentia ad alias figuras. Confer omnino quae diximus de *potentia pura* et de *potentia non pura* seu *mixta* in *Phil. Prim.* n. 90.

THESIS VII.

Una eademque numero potentia subiectiva non potest esse ***secundum idem immediate*** susceptiva plurum actuum simul, sive isti actus sint eiusdem ordinis cum potentia, sive non.

PROBATUR.

21. Actus, qui deberent simul secundum idem immediate actuare unam eamdemque potentiam subiectivam, vel essent eiusdem ordinis cum potentia, puta in ordine substantiae, vel non. Si essent eiusdem

ordinis, evidens est aliquam potentiam non posse simul secundum idem pluries actuari, cum nihil possit esse simul bis homo aut in eadem parte bis album. Quod si actus sint diversi ordinis a potentia, nempe extra ipsum genus ad quod potentia ordinatur, tunc prorsus impossibile est ut haec potentia ab eis *immediate* actuetur sive simul sive successive, cum ad illam non referantur. Sed requiritur prorsus diversa potentia, nam potentia specificatur ab actu, et actui diverso respondere debet diversa potentia. Attamen talis potentia potest *mediate* actuari ab actibus diversi ordinis. Ex. gr. materia actuata *immediate* a forma auri constituit compositum quod *immediate* substat quantitati, et, *quo mediante*, ipsa materia prima substat quantitati. Rursum substantia aurea *mediante quantitate* fit susceptiva aliorum accidentium, puta figurae, coloris etc., sicut explicabimus in Quaest. *de Quantitate.*

22. **Corollarium 1.** *Non repugnat corpus incorruptibile.* Etenim si aliqua pura potentia subiectiva exclusive ordinaretur ad aliquam formam *ita ut eius potentialitas adaequate expleretur per illam*, non posset amittere hanc formam et acquirere aliam. Atqui in hac hypothesi corpus resultans ex tali potentia et ex tali actu non posset amittere suam formam et per hoc corrumpi. Ergo non repugnat corpus incorruptibile. Cum autem generatio supponat corruptionem, corpus *incorruptibile* esset etiam *ingenerabile.* S. Thomas cum veteribus censuit corpora caelestia esse huius rationis. Nequaquam vero censuit ea non esse composita ex materia et forma, ut eius opera legenti manifestum est.

Corollarium 2. *Materia prima est ingenerabilis et incorruptibilis*, quia generatio et corruptio sunt mutationes compositi ratione formae non ratione materiae, quae est subiectum primum remanens tum in termino *a quo* tum in termino *ad quem* mutationis.

THESIS VIII.

Dantur corpora mixta tum animata, tum inanimata, ea videlicet in quibus elementa remanent virtualiter tantum.

PRAENOTIONES.

23. I. **Corpus mixtum** vocatur illud, quod licet sit *per se* unum ex pura potentia et ex unico actu substantiali, tamen *virtualiter* continet plura elementa, in quae resolvi potest.

II. « **Elementum** *est id ex quo componitur res primo et est in ea* et « *non dividitur secundum speciem* ». Quatuor requisita ad elementum

praeclare exponit S. Thomas (1) hisce verbis: « Ponit ergo (Aristoteles) « quandam elementi descriptionem, ex qua colligi potest, quod *quatuor* « sunt de ratione elementi. *a)* Quorum *primum* est, ut sit *causa sicut* « *ex quo:* per quod patet, quod elementum ponitur in genere causae « materialis. *b) Secundum* est, quod sit *principium ex quo aliquid fiat* « *primo.* Cuprum enim est ex quo fit statua, non tamen est elementum, « quia habet aliquam aliam materiam ex qua fit. *c) Tertium* est, quod « sit *inexistens* sive *intrinsecum:* per quod differt elementum ab omni, « ex quo fit aliquid sicut ex transeunte, sive sit privatio aut contra- « rium, sive sit materia contrarietati et privationi subiecta, quae est « materia transiens... Elementa enim oportet manere in his quorum « sunt elementa. *d) Quartum* est, *quod habeat aliquam speciem, quae* « *non dividatur in diversas species:* per quod differt elementum a ma- « teria prima, quae nullam speciem habet, et etiam ab omnibus ma- « teriis (secundis corporum mixtorum), quae in diversas species resolvi « possunt, sicut sanguinis et huiusmodi ».

III. *Elementa manere virtute in mixto*, non importat substantias elementares ex quarum copulatione mixtum generatur, remanere *formaliter* seu *actualiter* in corpore mixto (secus corpus, realiter mixtum, esset unum per accidens); sed importat virtutes seu proprietates elementorum ita attemperari in mixto, ut virtus propria mixti sit temperamentum aliquod sive resultantia virium, quae sunt propria elementorum. Quae virtualis permanentia elementorum est ratio cur mixtum corruptum resolvatur in sua elementa, puta aqua in oxygenium et hydrogenium. Hinc elementa possunt etiam bene definiri: *ea, quae ita insunt mixtis, ut ex eis mixta primo generentur, et in quae ultimatim resolvuntur* (2).

---

(1) In 5. Metaph. Lect. 4.

(2) *Modus generationis mixtorum* ex elementis ita ex Aristotele (De generat. et corrupt. lib. 1. cc. 7. 10.) describitur a cl. P. Ludovico de San S. I. viro apprime versato tum in moderna Chimica et Physica tum in Scholastica Philosophia: « Quum « omne agens agat sibi simile, unumquodque elementum, agendo in aliud elementum « nititur illud in similitudinem suae speciei transmutare. Ex quo fit, ut nonnisi ele- « menta diversa et virium quadantenus contrariarum esse substantialiter transmutare « valeant. Et quidem si relate ad actionem transmutativam alicuius elementi aliud « elementum se haberet mere passive, posterius hoc elementum in naturam prioris « migraret. Verum omnia relate ad se invicem sunt simul activa et passiva. Hinc « duorum elementorum contrariorum neutrum perfecte transmutari valet in alterum, « verum ipsa, in se invicem agendo, reducunt suas vires ad virtutem quamdam me- « diam, quae est propria virtus corporis mixti. Unde ex una parte in generatione « mixti fit substantialis transmutatio elementorum, in quantum videlicet impossibile « est vires elementorum specifice mutari, quin propter radicantiam virium in essentia, « etiam substantia specifice mutetur. Ex altera tamen parte elementa non totaliter « corrumpuntur, sed aliquo modo manent in mixto, in quantum videlicet corpus « mixtum per vires suas, quae sunt veluti mediae inter virtutes elementorum, de na- « tura singulorum elementorum, ex quibus generatur, participat. » (Cosmologia n. 110). Cf. S. Th. Opusc. 33.

IV. **Corpus simplex seu elementare** dicitur illud, quod ita est per se unum ex pura potentia et actu substantiali, ut virtualiter non contineat plura elementa, in quae possit resolvi. In corpora simplicia fit ultimatim resolutio corporis mixti. Ea hucusque numerantur a Chimicis sexaginta novem: oxygenium, hydrogenium, carbonium etc. Fieri tamen potest ut per accuratiora experimenta quaedam ex eis deprehendantur esse resolubilia. At quaedam esse debere simplicia seu elementaria certum est, secus procedendum esset in infinitum, quod est impossibile.

V. **Mixtio realis definitur** « miscibilium alteratorum, et corruptorum secundum formas, unio » (S. Th. in 1. De Generat. et Corrupt. lect. 25.), videlicet est unio eorum corporum elementarium, quae, amissis propriis formis, vitualiter remanent in corpore mixto quod constituunt, ita ut ex eorum unione nova substantia resultaverit. Haec *realis mixtio* est ea quae vocatur a modernis *chimica combinatio.*

VI. **Mixtio ad sensum** est ea quae habetur per iuxtapositionem minimarum partium corporum elementarium vel corpusculorum mixtorum suas formas retinentium. Vocatur a Modernis *mixtura* (miscuglio). Subdividitur in *mere mechanicam,* quae habetur, quum plura corpuscula solida coacervantur, ut varia grana pulveris; et *physicam*, quae hebetur, quum aliquod solidum solvitur in aliquo liquido absque chimica combinatione, ex. gr. quum sal solvitur in aqua. Aggregatum ex talibus mixtionibus resultans vocatur *corpus mixtum ad sensum.*

VII. **Mixtio considerari potest vel materialiter vel formaliter.** Materialis eius consideratio limitatur ad investigandum numerum et proportionem elementorum, quae uniuntur, atque ad Chimiam experimentalem pertinet. Formalis consideratio extenditur ad investigandum, utrum facta mixtione, sit in corpore mixto una vel multiplex forma. Quae consideratio Chimiae experimentalis fines transgreditur et unice ad Philosophiam naturalem pertinet.

PROBATUR PRIMA PARS.

24. Corpus mixtum est illud quod licet sit per se unum ex pura potentia et unico actu substantiali, tamen *virtute* continet plura elementa; quorum proprietates remanent attemperatae in eo, et in quae ultimatim resolvitur, quum corrumpitur. Atqui tale est corpus animale. Etenim experientiâ constat corpus animale huiusmodi esse, ut, eo vivente, proprietates plurium elementorum attemperatas in se manifestet, post mortem vero resolvitur successive in varia corpora usque ad elementa. Atqui, ut in Thesi praecedenti demonstravimus, et suo loco

adhuc uberius demonstrabimus, animal est substantia corporea sensitiva, quae constat ex materia prima et ex unica forma substantiali, videlicet anima sensitiva, quae virtute continet perfectiones formarum inferiorum. Ergo datur corpus mixtum animatum. Idem argumentum confici posset de corpore vivente sola vita vegetativa, suppositis iis quae suo loco *de Plantis* demonstrabimus.

PROBATUR SECUNDA PARS.

25. I. Post mortem animalis, dum eius corpus resolvitur, non devenitur statim ad ultima elementa, sed fit transitus per plura corpora intermedia, quae manifestant proprietates tum a corpore vivo tum ab elementis diversas: hoc tamen ordine, ut in initio resolutionis manifestent proprietates similiores proprietatibus corporis animalis, in fine autem manifestent proprietates similiores elementorum proprietatibus. Atqui si hae substantiae intermediae essent eiusdem speciei cum substantiis elementorum, manifestare deberent proprietates omnino aequales proprietatibus elementorum. Ergo huiusmodi substantiae sunt diversae speciei tum a corporibus elementaribus tum a corpore animali. Cum autem et contineant virtualiter formas elementorum in quae ultimatim resolvuntur, et careant anima, quae est principium vitae, dicenda sunt corpora mixta inanimata.

II. *Ex chimica synthesi et analysi* manifeste apparet plures substantias inanimatas, puta aquam, acidum sulphuricum etc. ita resultare ex elementarium corporum copulatione, ut ipsis definitio *corporis mixti* omnino competat. Etenim, si essent tantum *mixturae ex elementis*, i. e. merae aggregationes substantiarum elementarium, non posset quaelibet vel minima pars talis mixturae, etiam per accuratiora experimenta considerata, habere propriam naturam totius, etiamsi unum elementum actuale proportione valde excederet aliud. Nam deberent tunc manifestari proprietates elementi praeponderantis. Atqui oppositum omnino accidit; etenim ex. gr. quamvis in compositione aquae hydrogenium et oxygenium se habeant in proportione *unius* ad *octo,* tamen quaelibet vel minima particula aquae ita retinet proprietates aquae, ut proprietates tum hydrogenii tum oxygenii, quae omnino cessaverunt in toto, cessaverint etiam in qualibet minima aquae particula in qua ne leviter quidem praevalent proprietates oxygenii proprietatibus aquae vel hydrogenii. Porro huius perfectae homogeneitatis compositi simul cum novitate proprietatum, nulla alia sufficiens ratio assignari potest nisi haec, quod propriae formae elementorum cessaverunt actu esse in materia, quae transivit sub nova forma in unitatem

novi corporis compositi, quod *virtute* continet elementa, nempe quod sit *verum mixtum.*

III. Quaelibet forma substantialis requirit determinatas dispositiones et qualitates, quibus per alterationem remotis, non poterit perseverare in actuatione materiae sed locum dabit diversae formae. Iamvero quando duo corpora elementaria habent actionem ad invicem, contingit in utroque alteratio secundum qualitates ipsorum. Quae alteratio, ratione proportionis in qua elementa sumuntur, poterit eo usque procedere, ut removeantur propriae singulorum dispositiones, et resultet quaedam dispositio media, quae neutri conveniat. Quo in casu neutra forma poterit actu manere, sed incipiet nova forma respondens illi mediae dispositioni, atque proinde resultabit nova substantia, in qua virtus elementorum salvatur, quatenus dispositiones ipsorum inveniuntur ad medium reductae; videlicet habetur *corpus mixtum inanimatum* (1).

OBIECTIONES.

26. **Obiect. 1ª**. Inter potentiam et actum non datur medium. Atqui formae elementorum in mixto non remanent in potentia. Ergo remanent actu.

Resp. *Dist. mai.* Si potentia et actu ssumantur generalissime, *Conc.*, si sumantur determinate pro aliqua particulari potentia, vel pro aliquo particulari actu, *Nego.* Nam dantur potentia proxima et potentia remota, potentia pura et potentia non pura. Similiter dantur varii gradus actuum, ut ex dictis in Phil. Prim. Quaest. VIII. n. 90. constat. *Dist. min.* Formae elementorum in mixto non remanent in potentia remota, *Conc.*, non remanent in potentia proxima, seu *virtute*, *Nego.* *Nego cons.* Ex. gr. pullus gallinaceus non est *actu* neque in ovo foecundato, neque in ovo nondum foecundato. Attamen in ovo foecundato est *in virtute,* quia iam est in eo principium intrinsecum requisitum

(1) Quae in Thesi demonstravimus, tanta veritate gaudent, ut quo magis *Chimia experimentalis* progreditur, eo evidentiora appareant hominibus in ea versatis. Hac de causa cl. Girardin in suis Lectionibus Chimiae anno 1878. (Vol. 1. p. 18.) scribebat *de corporibus elementaribus:* « On remarque qu'ils s'unissent de manière *à produire* « *une substance nouvelle,* dans laquelle, chose surprenante! *on ne retrouve plus aucune* « *des proprietés distinctives des composants* ». Anno autem 1877. cl. doctor Sainte-Claire Deville in Parisiensi Academia aiebat: « La nature des éléments, change nécessai- « rement par suite de la combinaison (chimique)... Aussi peut-on dire, qu'il n'y a ni « oxigène, ni souffre, ni phosphore, ni arsenic, au moins comme nous les connaissons, « dans l'acide sulfureux, l'hydrogène phosphoré et l'hydrogène arsenié, et peut-on « faire toutes les hypothèses que l'on voudra sur la densité dans la combinaison, sans « avoir recours à l'hypothèse des atomes et des molecules (Compt. rendu 21. Mai 1877, « p. 1112.) ». Quamplurima afferri possent testimonia, sed haec attigisse sufficiat. Cfr. Cl. P. Cornoldi in Opusc. « La sintesi chimica secondo i principii di S. Tommaso ».

ad pulli existentiam, quae necessario resultabit, si accedat exterior influxus convenientis calefactionis. In ovo autem non foecundato pullus ne quidem *virtualiter* invenitur, quia non est in ovo principium requisitum ad pulli exsistentiam. Unde quantumvis convenienter calefiat, nunquam a tali ovo pullus nascetur.

Obiect. 2ª. In mixto remanet actu pondus elementorum, quod est eorum proprietas. Atqui si actu remanent proprietates elementorum, remanent etiam eorum formae substantiales. Ergo elementa remanent actu in mixto.

Resp. *Dist. mai.* In mixto remanet elementorum pondus, quod est proprietas se tenens etiam ex parte materiae (utpote consequens quantitatem), *Trans.*, est proprietas se tenens tantum ex parte formae, *Nego. Contrad. min. Nego. cons.* Quum quantitas in composito resultet ex parte materiae, necesse est ut, manente eadem materia elementorum in corpore mixto, remaneat eadem quantitas et ea quae consequuntur quantitatem. Quare ex hac et similibus obiectionibus non infirmatur nostra Thesis, sed corroboratur integra Sancti Thomae doctrina de natura et proprietatibus entis mobilis. Caeterum ad pondus quod attinet, quemadmodum ad caeteras genericas corporum proprietates, notandum est eas mensuram recipere in variis subiectis *proportionatam diversae formarum exigentiae.* Hinc fit ut quamvis plerumque conserventur in mixtis pondera vel massae elementorum; hoc non ita necessarium est, ut leges quorumdam Chimicorum, duce Antonio Lavoisier, *de conservatione ponderum* vel *massarum* habendae sint ceu universaliter certae. Quinimmo recentissimi chimici magni nominis gravissima rationum momenta attulerunt contra harum legum universalitatem.

Obiect 3ª. Elementa retinent actu easdem qualitates in mixto. Atqui qualitates se tenent ex parte formae substantialis. Ergo elementa remanent formaliter seu actualiter in mixto.

Resp. *Dist. mai.* Retinent easdem qualitates *genericas*, quae conveniunt omni corpori physico in quantum huiusmodi, *Conc.*, retinent easdem qualitates *specificas*, *Subdist.* Attemperatas et reductas ad medium, *Conc.*, omnino easdem, *Nego. Contrad. min.* Qualitates se tenent ex parte formae substantialis, vel quantum ad eius perfectiones *genericas,* vel quantum ad eius perfectiones *differentiales*, *Conc.*, unice quantum ad eius perfectiones *differentiales, Nego.*

Obiect. 4ª. In compositis chimicis inveniuntur *a) affinitates chimicae elementorum*, ut patet ex factis *mutuae substitutionis*, et *b)* colores characteristici eorumdem, ut apparet ex analysi spectrali. Atqui hae sunt proprietates specificae elementorum. Ergo elementa remanent formaliter in mixto.

Resp. *Dist. mai. Durante synthesi, Nego, incipiente et facta analysi chimica*, videlicet quando mixtum iam incepit resolvi in elementa, *Conc. Transeat minor. Nego cons.* Facta allata non nobis sed adversariis contradicunt. Elementa enim non exercent suas affinitates caeterasque aptitudines activas et passivas, nisi corpus mixtum inceperit dissolvi in ea per actionem valde alterativam alterius corporis agentis in ipsum. Ex. gr. ad efformandum hydratum potassii (i. e. Kalii), prius proiicitur potassium in aquam, ut eius virtute caustica et maxime alterativa corrumpatur aqua et transformetur in sua elementa, quae in actum reducta incipiunt exercere suas affinitates ad efformandum hydratum Kalii. Confer chimicam experimentalem, in qua plura exempla invenies. Ad *spectrum* proprium elementorum quod attinet, hoc tunc tantum apparet, quum calefactio solvere inceperit mixtum in elementa, ita ut spectrum lineare elementorum tunc appareat quum evanescit spectrum proprium compositi.

Obiect. 5ª. In mixto, tum in mixtione, tum post resolutionem reperitur illud idem, quod erat ante mixtionem. Ergo signum est in mixto manere elementa actu.

Resp. *Dist. antec.* Reperitur illud idem materialiter, *Conc., formaliter, Nego.* Quamvis materia ex. gr. oxygenii et hydrogenii remaneat eadem ante mixtionem, in mixtione, et post resolutionem; tamen in mixto forma substantialis est *specifice* diversa, nempe est forma aquae. Post resolutionem autem formae substantiales oxygenii et hydrogenii, quamvis sint *specifice* eaedem cum formis substantialibus, quae actuabant eamdem materiam ante mixtionem, sunt tamen *numerice* diversae

Obiect. 6ª. Elementa in mixto inter se mutuo agunt et patiuntur. Atqui operatio sequitur esse actu. Ergo sunt actu in mixto.

Resp. *Dist. mai.* Elementa mutuo agunt et patiuntur, si mixtum spectetur *in fieri, Conc.*, si spectetur *in facto esse, Nego. Conc. min. Nego cons.*

THESIS IX. *

Corpora simplicia seu elementaria sunt diversae speciei inter se.

PROBATUR.

27. I. Corpora elementaria, in quae resolvitur corpus animale, constant propria materia et propria forma substantiali, quia haec compositio est de essentia omnium corporum, ut in Thesi 1[a] probatum est. Atqui forma substantialis in variis elementis debet esse diversae speciei. Ergo corpora simplicia sunt diversae speciei inter se.

Prob. min. Si materia, quae erat sub unica forma animalis, assumpsisset per operationem resolutivam i. e. per analysim chimicam in corporibus pluribus, quae resultaverunt, unam eamdemque in specie formam; *nulla esset ratio sufficiens diversitatis*, quae inter ipsa apparet, puta inter hydrogenium et carbonium. Si enim diversitas non procedit ex specifica diversitate principii actuantis, i. e. formae substantialis, procedere deberet vel ex diversitate principii passivi, i. e. materiae primae, vel ex diversitate modi, quo haec varia corpora producta sunt. Atqui tota materia, quae inveniebatur in animali, est eiusdem rationis; modus etiam productionis fuit identicus, quia vi eiusdem analysis chimicae varia illa corpora resultaverunt. Ergo horum corporum diversitas repetenda est a diversitate formae substantialis qua talis. Sed diversitas, procedens ex forma substantiali, est diversitas specifica. Ergo corpora elementaria sunt specifice diversa.

II. Diversitas proprietatum procedit a diversitate naturarum. Sed corpora elementaria habent quasdam proprietates omnino diversas, ut ex Chimica constat. Ergo sunt specifice diversa.

OBIECTIONES.

28. **Obiect. 1[a].** Materia in corpore animali erat in diversis partibus diversimode disposita. Sed haec diversa dispositio potest esse causa sufficiens diversitatis elementorum. Ergo ad hanc explicandam non debemus confugere ad formarum substantialium diversitatem.

Resp. *Dist. mai.* Materia erat in diversis partibus animalis diversimode disposita ratione formae substantialis animalis, *Conc.*, independenter ab ea, *Nego. Dist. min.* Haec diversa dispositio potest esse causa sufficiens diversitatis elementorum, *mediantibus* novis formis

substantialibus, quae pro varietate dispositionum resultaverunt in materia ad cessationem animae, *Conc.*, independenter a novis formis, *Nego.* Nam materia prima nequit esse immediatum subiectum accidentium, inter quae sunt dispositiones. *Nego cons.*

Materiam non posse esse immediatum subiectum accidentium, satis superque constat ex Thesib. 1ª et 2ª. Insuper, suo loco videbimus, materiam non esse susceptivam unius formae potius quam alius, nisi mediantibus dispositionibus inductis in composito, et, eo mediante, in ipsam, vel a formis praeviis, vel ab agente naturali.

Obiect. 2ª. Diversitates causatae in materiam a dispositionibus praeexistentibus in mixto sunt tantum accidentales; ita ut corpora elementaria, quae resultant, non sint nisi diversae syntheses corpusculorum eiusdem speciei, in quae divisa fuit materia, cessante informatione animae.

Resp. *Nego assertum.*

Nam, ut omittamus *proprietates diversas arguere naturas diversas*, impossibile est ut diversae dispositiones materiae, dum actuabatur ab anima, influant in accidentalem diversitatem eorum corporum, quae per analysim resultaverunt, *nisi in quantum sunt dispositiones ad diversas forma substantiales.*

Etenim, ut supra diximus, materia non est susceptiva accidentium, nisi mediante forma substantiali; cum nihil habere posset hoc vel illud accidens, nisi prius sit substantia. Materia autem prima non est substantia, sed *est principium potentiale quo* substantiae corporeae.

Si igitur nulla esset diversitas substantialis per diversas formas, nulla haberetur ratio diversitatis accidentalis ex diversa dispositione materiae.

Nota. Si quis impugnaret ipsam possibilitatem corporis simplicis, hoc argumento: Corpus est substantia composita ex actu et potentia in ipsa linea essentiae. Sed substantia composita ex actu et potentia nequit esse simplex. Ergo impossibile est corpus simplex. *Respondebis Conc. mai. Dist. min.* Substantia composita ex actu et potentia nequit esse simplex simplicitate excludente compositionem materiae cum forma, *Conc.*, nequit esse simplex simplicitate excludente mixtionem elementorum, *Nego. Nego cons.*

QUAESTIO III.

DE SYSTEMATIBUS CORPORUM INTRINSECA PRINCIPIA ERRONEE EXPLICANTIBUS.

PRAENOTIONES.

29. I. **Duplex systema : Atomismus et Dynamismus.** Erronea systemata de corporum intrinsecis principiis ad duplicem classem reduci possunt, quarum una est *Atomistarum* asserentium corpora nostris sensibus pervia resultare ex synthesi quadam corpusculorum ob suam parvitatem effugientium aciem nostrorum sensuum, propriam habentium essentiam et existentiam, inalterabilium, indivisibilium, atque simplicium simplicitate excludente compositionem ex potentia subiectiva et actu; altera *Dynamistarum* asserentium corpora nostris sensibus pervia constare ex punctis vel viribus inextensis, per se subsistentibus et sphaeram quamdam activitatis habentibus, quae per mutuam attractionem et repulsionem phaenomenon producunt corporis sensibiliter extensi.

II. **Atomismus subdividitur in mechanicum et chimicum.** *Mechanicus* praeter extensionem et impenetrabilitatem negat caeteras proprietates et virtutes atomis, quas esse inter se eiusdem speciei affirmat. Cartesius autem et Baco a Verulamaio autumarunt essentiam uniuscuiusque atomi esse ipsam eius extensionem seu quantitatem dimensivam. *Atomismus* vero *chimicus* singulis atomis, praeter extensionem atque impenetrabilitatem, virtutes quasdam activas et passivas tribuit, praesertim vires *cohaesionis et affinitatis*, vi quarum diversimode uniuntur ad corpora composita efformanda. Utrum autem omnes atomi primigeniae sint eiusdem vel diversarum specierum, quidam affirmant, quidam negant.

III. **Principium materiale et formale iuxta Atomistas.** In Atomico Systemate corpuscula, quae atomi vocantur, se haberent in corporibus compositis ut principium materiale, formale vero esset atomorum numerus, dispositio, symmetria, distantia, motus, quibus explicare conantur non solum phaenomena sensibilia lucis, caloris, electricitatis, magnetismi etc., sed etiam specificam substantiarum diversitatem, quinimo nonnulli ipsam vitam vegetativam; nec desunt qui absurde simul et impie velint ipsam vitam sensitivam et rationalem ex varia atomorum concursantium dispositione et motu explicare.

IV. **Discrimen inter atomum et moleculam** in eo quidem ponunt, ut atomi idest indivisibilia (ex graeco ἀ privativo et τέμνω divido) dicantur primigenia corpuscula elementaria, ex quorum diversa aggregatione corpora mixta resultant; *moleculae* autem dicantur minimae corporum mixtorum partes, quae licet sint indivisibiles hoc sensu ut, salva eorum natura, in minores particulas dividi nequeant, tamen per analysim chimicam in atomos primigenias dividi possunt. Alii alio sensu haec nomina accipiunt. Omnes tamen aeque affirmant atomorum et molecularum dimensiones adeo exiguas esse, ut quaecumque minima particula visibilis alicuius corporis (ex. gr. guttula quaedam aquae) dici possit se habere quoad magnitudinem ad aliquam atomum vel moleculam, sicut se habet totus terrae orbis ad guttam aquae. Ipsa quoque distantia quae inter atomos et moleculas intercedit in corpore ex eis constituto est sensibus impervia.

V. **Valor Atomismi et Dynamismi.** Ex dictis sub n. IV. *apparet atomisticam sententiam*, aeque ac *dynamicam*, nulla *immediata* experientia comprobari unquam potuisse, sed tamquam hypothesim inductam fuisse ad explicanda phaenomena sensibilia. Attamen *a) neque omnia phaenomena explicat; b) ea vero quae explicat, non explicat quatenus doctrinae peripateticae de corporum constitutione opponitur.*

a) Quod non omnia phaenomena explicet, fatentes habemus ipsos atomismi fautores modernos (1).

b) Quae phaenomena explicat, non explicat quatenus doctrinae *peripateticae* S. Thomae de corporum constitutione opponitur. Etenim,

1. *Quod elementarium corporum divisio in minutissimas partes et determinatae quaedam leges ad chimicam synthesim et analysim requirantur*, et a nobis aeque ac ab atomistis admittantur, in Thesi 4. satis declaravimus. Quinimo sive considerentur corpora elementaria et mixta *in facto esse*, sive considerentur corpora mixta *in fieri*, nos ipsa *atomorum* et *molecularum* nomina rite intellecta admittimus, et propugnamus utiliter adhiberi in Physicae et Chimiae experimentalis pertra-

---

(1) Ipse Ad. Wurtz in fine sui operis « La Théorie Atomique » (1880), ait: « Est-ce « à dire que cette hypothèse s'impose, parce qu'elle explique tant de choses en chimie « et en physique? Il n'en est pas ainsi. Dans sa forme actuelle, elle est bien loin « d'être parfaite, et si elle interprète à merveille certains phenomènes de mesure, « qui à la vérité sont fondamentaux en chimie, elle laisse dans l'ombre d'autres phé- « nomènes etc. (pag. 240). » Hanc atomismi insufficientiam vehementius proclamant A. Schiff (Introduz. allo stud. della Chimica, Firenze 1879, pagg. 86, 123, 124); Wirouboff (Philos. Posit. Paris, Mai-Juin 1882). « On a beau reduire par la pensée toutes les « propriétés physique à un simple mouvement de la matière etc. » J. Hirn (anno 1883) experimentis probavit absurditatem *theoriae cineticae* reponentis calorem in simplici motu mechanico, et consequenter absurditatem atomismi, qui huic theoriae innititur. Plura testimonia afferri possent, sed haec innuisse sufficiat.

ctatione. Nomine enim *atomi* designare iuvat minutissimas corporum simplicium partes designabiles, sensibus nostris impervias, sed ad invicem continuatas et divisibiles, non autem actu ex omni latere divisas, ita ut in hac continuitate constituere possint molem aliquam sensibilem corporis simplicis. Nomine autem *moleculae* designamus minutissimas corporis mixti partes designabiles sensibus nostris impervias, sed ad invicem continuatas etc. ad constituendam molem aliquam sensibilem corporis mixti. Quae atomi et quae moleculae, quum agitur de aliqua mixtione in fieri, virtute agentium naturalium a massa corporis corrumpendi disgregantur ad hoc ut melius ad mutuum contactum accedentes, eas actiones et passiones ad invicem exercere valeant, quae ex eorum affinitatibus caeterisque proprietatibus activis passivisque procedunt, et ad novum mixtum constituendum deserviunt.

2. *Si modo dicta conferantur cum demonstratis in Thesi 4, quisque intelliget leges proportionum determinatarum et multiplorum, quibus reguntur combinationes chimicae ad mixta efformanda, non solum non obesse doctrinae peripateticae hylemorphismi, sed ab ea probari.* Ex eis enim melius apparet ratio sufficiens tum generationis substantialis unius corporis mixti potius quam alterius, tum homogeneitatis partium similium, tum radicalis principii quantitatis quod est materia prima, tum constantis ordinis, quem in mutua actione et passione habere debent elementa in generatione mixti.

Lex proportionum determinatarum in eo est, ut in omni corpore mixto ratio inter pondera componentium semper sit eadem, ita ut ex. gr. in quantacumque aquae massa analysis chimica instituatur, semper resultet hydrogenium esse ad oxygenium, sicut unum ad octo. *Lex multiplorum* in eo est, ut in diversis combinationibus earumdem substantiarum, quaelibet diversarum quantitatum, quibus una substantia componit cum alia, semper sit multiplum minimae quantitatis, quae combinari potest. Ex. gr. pondus aliquod chlori quod componi potest cum determinato pondere oxygenii nequit ulterius cum maiori oxygenii pondere componi, nisi hoc sit triplum, quadruplum, quintuplum etc., prioris ponderis; quaelibet fractio superexcedens incomposita relinquitur.

3. *Ad phaenomena Polymorphysmi, Allotropismi* et *Isomerismi quod attinet, ea optime explicantur in Doctrina Peripatetica.* Etenim *Polymorphismus* vocatur proprietas qua unum idemque corpus exhibere potest diversos characteres physicos, puta quoad calorem, figuram, fusibilitatem. Iamvero haec phaenomena sunt huiusmodi, ut non requirant discontinuitatem partium, sed tantum accidentales quasdam mutationes in subiecto. *Allotropismus* vocatur proprietas, qua idem

corpus exhibere potest diversos characteres chimicos. Iamvero haec diversitas successiva, quam praecedit alteratio, si praeseferat proprietates diversas, signum est mutationis substantialis, quae a nobis propugnatur. Tandem *Isomerismus* vocatur illa proprietas, qua corpora quaedam diversae speciei componuntur ex eisdem elementis iuxta eamdem proportionem. Quae diversitas procedit ex diversitate agentis naturalis. Iamvero haec proprietas confirmat sententiam peripateticam, quae docet corpora non esse mera aggregata atomorum, quae a quolibet agente mechanice disponi possent, sed constare ex materia prima et ex forma substantiali, quae educitur de potentia materiae *in similitudinem generantis* (1).

THESIS X.

Atomismus sub quacumque forma proponatur, quatenus asserit substantias corporeas resultare ex aggregationibus atomorum per se subsistentium, tamquam erroneus et absurdus est reiiciendus.

PROBATUR.

30. I. Erroneum est systema, quod principia intrinsece constitutiva substantiae corporeae ponit corpora. Principia enim sunt ea, quae neque ex alterutris, neque ex aliis, et ex quibus omnia corpora esse vel fieri oportet (cfr. Thes. 2.). Iamvero huiusmodi est systema atomicum. Nam Atomistae asserunt atomos esse corpuscula minutissima, per se subsistentia etc. (cfr. Praenot.), easque aiunt esse principia intrinseca substantiarum corporearum. Ergo systema atomicum est erroneum.

II. Erronea et absurda est doctrina quae essentiam spiritualem cum essentia corporea confundit. Atqui huiusmodi est Atomismus, qui asserit atomos primigenias esse substantias simplices excludentes a sua essentia intrinsecam compositionem ex potentia subiectiva et actu. Etenim haec est notio substantiae spiritualis. Ergo Atomismus tamquam erroneus et absurdus est reiiciendus. Minor constat ex demonstratis tum in Phil. Prim. Quaest. VIII., tum in 1. Thesi huius Tract. Et sane definitio substantiae spiritualis est eam esse quidditatem simplicem per se subsistentem seu actum in suo ordine purum.

---

(1) Atomistarum sententias optime exposuit et refutavit, atque doctrinam peripateticam invicte propugnavit cl. *D. Benedictus Lorenzelli*, Philos. Theoret. Vol. 2. Phil. rat. Part. 1. et 2. — Utillime etiam confertur cl. *D. Albertus Farges Sac. Sulpic.* ÉTUDES PHILOSOPHIQUES, vol. 2. *Matière et forme en présence des sciences modernes* (74, rue de Vaugirard, Paris).

IV. Doctrina quae contradictoria enuntiat, est absurda. Atqui Atomismus dum asserit ex aggregatione substantiarum simplicium per se subsistentium et inalterabilium (cuiusmodi in eorum sententia sunt atomi) resultare aliquod ens extensum et alterabile, contradictoria enuntiat. Ergo Atomismus est absurdus. Et sane ex unione eorum quae sunt extra genus quantitatis dimensivae (cuiusmodi sunt substantiae simplices per se subsistentes) repugnat ut resultet aliquod dimensionatum seu extensum; similiter ex unione inalterabilium repugnat ut resultet aliquod alterabile. Ergo etc.

V. Erroneum est systema quod, ad vitandas absurditates, vel novas in medium absurditates inducit, vel veritatem systematis oppositi admittere cogitur. Atqui huiusmodi est Atomismus. Si enim ad vitandas absurditates procedentes ex eo quod atomi dicantur substantiae simplices per se subsistentes, dicat eas esse extensas, vel *a)* intelligit unamquamque atomum esse substantiam simplicem extensione affectam, vel *b)* cum Cartesio eam esse puram extensionem, vel *c)* cum Lokio eam esse complexum qualitatum, vel tandem *d)* eam esse intrinsece compositam ex potentia pura subiectiva et ex actu primo seu substantiali. Si primum, adhuc remanet absurditas substantiae simplicis per se subsistentis quae concurrat cum alia substantia simplici per se subsistenti ad constituendum aliquod corpus; cui absurditati additur substantiam simplicem per se subsistentem posse esse extensam. Si secundum affirmet cum Cartesio, confundit extensionem cum extenso et accidens cum substantia. Etenim quantitas non est substantia sed accidens. Si dicat tertium cum Lokio, contradictionem substantiae resultantis ex accidentibus instaurabit (cfr. Phil. Prim. n. 104.). Tandem si dicat atomum esse intrinsece compositam ex potentia pura subiectiva et ex actu primo seu substantiali veritatem nostri systematis admittere cogitur.

VI. In sententia atomistarum homo, bruta, plantae et mixta inanimata non constarent ex materia prima et ex unica forma substantiali. Atqui in Quaest. 2ª demonstravimus supradicta entia constare necessario debere ex materia prima et ex unica forma substantiali. Ergo sententia Atomistarum est falsa.

VII. In sententia Atomistarum substantiae corporeae compositae seu mixta, sive animata sive inanimata, essent *unum per accidens*. Atqui contradictionem implicat aliquid esse substantiam et unum per accidens, nam synonima sunt *substantia* et *unum per se*. Ergo sententia Atomistarum est absurda. Et sane unumquodque eo modo est ens quo est unum, nam unum et ens convertuntur. Unde ens (quod ab actu essendi denominatur), dicitur ens simpliciter seu ens per se, quando

habet primum esse, quod non praesupponit subiectum iam per esse praevium actuatum. Hoc autem *ens simpliciter* vel *per se* vocatur substantia quia substat actualitatibus supervenientibus, seu accidentibus: quae quum supervenerint, compositum inde resultans vocatur *ens secundum quid* vel *ens per accidens*, seu quod idem est *unum secundum quid* vel *unum per accidens.* Ex qua animadversione, praesertim si revocentur in mentem ea, quae tum in Logica Maiori tum in Philos. Prima diximus de substantia et de accidente, quisque intelliget quam sunt absurdi qui ad defensionem Atomismi asserunt aggregata atomorum posse habere rationem *unius per se.*

Nec valet effugium eorum, qui aiunt ex pluribus substantiis completis per se subsistentibus resultare posse unam naturam, si earum vires conspirent ad quamdam vim resultantem, quae sint principium operationis compositi resultantis. Nam, nisi verbis ludere in re seria velint, quid intelligunt nomine *naturae?* Profecto aut ipsam essentiam seu quidditatem absolute acceptam, aut quidditatem substantialem quatenus est *primum principium quo* operationis, aut tandem stricto sensu *principium intrinsecum quo substantiale motus et quietis in corporibus.* Iamvero in quacumque ex his acceptionibus, praeter quas nullam aliam unquam agnovit sive Philosophia sive Theologia, longe abest, ut ex duabus substantiis actualibus exurgere possit una natura. Nam in prima et secunda acceptione natura non significat aliud, quam ipsam substantiam seu quidditatem: quapropter si substantiae multiplicentur, necesse est multiplicari etiam naturas. In tertia autem acceptione natura significat materiam primam et formam substantialem quatenus ea sunt corporis principia substantialia *quibus* motus vel quietis (ut in Quaest. de Natura demonstrabimus). Ergo in tertia acceptione multo longius abest, ut ex pluribus substantiis resultare possit una natura, videlicet *unum principium intrinsecum quo motus vel quietis;* sequeretur potius oppositum. Si vera esset sententia adversariorum, plures homines trahentes unam navim, vel plures rotae constituentes unum horologium, efformarent unam naturam. Neque hoc inconveniens effugient, si dicant unam naturam non exurgere quidem quum coniunguntur plura corpora iam formata, exurgere autem quum coniunguntur atomi, quae sensus nostros effugiunt, quaeque constituunt aliquod compositum stabile. Non enim est quaestio de maiori vel minori stabilitate compositi (quae ceteroquin haberi posset maior in machina quadam metallica, quam in musca vel formica), neque est quaestio utrum substantiae corporeae, quae simul uniuntur, sint maioris vel minoris molis ita ut effugiant aciem nostrorum sensuum; sed quaestio est utrum constituant compositum in ratione entis *primo* et *simpliciter* vel *secun-*

dario et *secundum quid.* Huiusmodi autem non posse esse atomos in sensu adversariorum acceptas ex hucusque demonstratis manifestum est. Nec hilum proficiunt Atomistae, quum ad experimenta confugiunt. Ea enim nostrae doctrinae non officere iam satis demonstravimus et iterum ostendemus in solutione difficultatum. Neque magis eos iuvant aequivocationes circa subsistentiam animae humanae, quas iam in Coroll. 2. Thes. III. disiecimus et uberius dissolvemus quum sermo erit de unione animae humanae cum corpore.

THESIS XI.

Specialis refutatio Atomismi Dynamicî.

PROBATUR.

31. **Atomismus Dynamicus** praeter supradicta inconvenientia caeteris atomismi formis communia, peculiaria quaedam habet, quae attigisse iuvabit. Etenim, quatenus Dynamistae asserunt substantiam corpoream resultare ex viribus simplicibus, atque ita phaenomena cuiusdam entis extensi nostris sensibus manifestari, plura coacervant impossibilia. Et sane in eorum sententia 1°. sequeretur substantiam resultare ex accidentibus. Quo nihil absurdius. Vis enim est quaedam qualitas, quae supponit substantiam, non constituit. Quod si dicant huiusmodi vires simplices esse per se subsistentes, reincidunt in absurdum *a)* substantiae resultantis ex substantiis per se subsistentibus, *b)* substantiae corporeae resultantis ex substantiis spiritualibus, *c)* substantias spirituales ad integrandam substantiam corpoream debere ad invicem agere et pati actionibus et passionibus rei materialis propriis. — 2°. Sequeretur corpus realiter extensum seu continuum formale reale constare ex indivisibilibus. Atqui hoc est impossibile, ut in Quaest. de Quantitate demonstrabimus. Quod si ad hanc absurditatem vitandam, negent dari a parte rei continuum formale, sed contendant dari tantum continuum virtuale, explicando sensationem quam de corpore continuo, idest formaliter extenso, habemus, per aliqua puncta indivisibilia, quae ad determinatam distantiam operantur unum in aliud, et omnia simul in sensus nostros; pugnantia dicerent.

Nam puncta haec vel sunt in genere quantitatis, vel non. Si primum, non sunt nisi limites vel termini alicuius corporis extensi continui et ideo non possunt subsistere, cum non habeant aliud esse praeter esse corporis continui, quinimmo non sunt nisi privationes ulterioris expansionis corporis extensi, ut in Quaest. de Quant. dicemus.

Si sunt extra genus quantitatis, cum ex hypothesi adversariorum,

ne quidem ordinem exigentiae habere possint ad extensionem intrinsecam, quia haec extensio intrinseca esset incompossibilis cum eorum simplicitate; huiusmodi puncta simplicia essent actus seu formae immateriales per se subsistentes, nempe substantiae spirituales seu angeli, ut ex iis, quae in Philos. Prima q. VIII., diximus satis manifestum est.

Ergo in qualibet hypotesi haec puncta indivisibilia admitti nequeunt. Nemini enim in mentem venit angelos esse illa puncta simplicia, quibus constarent corpora extensa.

Sed etiamsi permitteremus adversariis possibilitatem horum punctorum simplicium per se subsistentium, quae neque corpora essent neque spiritus; adhuc eorum theoria demonstraretur falsa. Ponamus itaque haec puncta indivisibilia in spatio imaginario: huiusmodi puncta vel distant unum ab alio vel non. Si primum, non poterunt agere unum in aliud nec utrumque in sensus alicuius hominis, qui ea v. g. adspicere vellet, quia ipsa actio transiens repugnat ut fiat in distans. Nam in hac actione agens et patiens coniungi debent ut possit haberi *motus*, qui est agentis, *ut a quo*, et patientis, ut *in quo*. Qui motus unus et idem, prouti est ab agente, dicitur actio, prouti est in patiente, dicitur passio. De repugnantia actionis in distans agemus suo loco.

Sed si, ad hoc ut unum punctum agat in aliud, non potest distare ab illo, atque ad hoc ut ambo agant in oculum, non possunt distare ab oculo; impossibile est ut constituant ullam obiectivam extensionem in qua una pars in spatio possit quocumque modo distare ab alia, et percipi ut magna in aliqua magnitudine molis. Nam, ut in Quaest. de Quant. demonstrabimus, non potest ex indivisibilibus resultare aliquod extensum. Interim placet ipsis S. Thomae verbis id probare (1). « Omne quod « tangit alterum, aut totum unum tangit totum aliud: aut pars unius « partem alterius: aut pars unius totum alterius. Sed cum indivisibile « non habeat partem, non potest dici, quod pars unius tangat partem « alterius, aut pars totum. Et sic necesse est, si duo puncta se tangant, « quod totum tangat totum. Sed ex duobus, quorum unum totum tangat « aliud totum, non potest componi continuum, quia omne continuum « habet partes seiunctas (i. e. partes extra partes continuatas), ita quod « haec sit una pars (designabilis et divisibilis) et haec alia ; et dividitur « in partes diversas et distinctas loco i. e. positione, in his quae posi- « tionem habent; quae autem secundum se tota tangunt, non distin- « guuntur loco vel positione (sive sermo sit de positione intrinseca sive « de extrinseca). Relinquitur ergo quod ex punctis non possit componi « linea per modum contactus ».

---

(1) In lib. VI. Physic. lect. 1.

Praeterea extensio, quam circa corpus experimur, talis est, ut excludat ab eodem spatio quodlibet aliud extensum, eique penetrare conanti resistat. Porro puncta inextensa, cum se tangerent ex se totis, essent simul in eodem puncto spatii; et ideo dicendum esset quod se invicem excluderent et non excluderent ab eodem spatio, quod est contradictorium.

Dices: Ens aliquod simplex, puta angelus, poterit inveniri in spatio aliquo toto et extenso.

Respondeo: poterit inveniri in spatio aliquo toto *ratione sui*, *Nego*, *ratione alterius*, quod primo sit et ratione sui extensum et spatiosum, et cui ens simplex faciat suae virtutis applicationem, *Conc.* Sic angelus qui applicaret suam virtutem monti, ut eum transferret de uno loco in alium, non esset in spatio occupato a monte *ratione sui*, sed *ratione montis.* Haec in quaestionibus de loco et spatio pertractantur.

Nec minus inutile esset effugium adversariorum ad sphaeram quandam activitatis, quae in absurda hypothesi alicuius puncti simplicis per se subsistentis, protenderetur ex hoc puncto tamquam a proprio centro. Nam haec sphaera vel esset quaedam emanatio seu protractio substantiae puncti usque ad aliquam distantiam, vel esset aliqua atmosphaera diversa a puncto et circumdans punctum, vel nihil esset. Si esset quaedam emanatio seu protractio substantiae puncti usque ad aliquam distantiam, iam punctum esset aliquod ens obiective extensum, habens partes extra partes continuatas, videlicet continuum divisibile in semper divisibilia. Si illa sphaera esset aliqua atmosphaera diversa a puncto, quaerimus utrum constaret ex indivisibilibus, vel ex divisibilibus seu extensis. Si constaret ex extensis, iam haberemus, quod volumus, nempe obiectivam extensionem et continuum formale in extensis, quae componerent atmosphaeram. Si autem constaret ex punctis simplicibus indivisibilibus, haec vel agere deberent in distans, quod repugnat vel compenetrari et reduci in unicum punctum; quo in casu haec sphaera activitatis resolvitur in nihil. Quae est tertia hypothesis, videlicet hanc sphaeram activitatis non existere.

OBIECTIONES.

32. **Obiect. 1ª.** Corpora naturalia sunt divisibilia in corpuscula semper minutiora. Sed omne divisibile constat ex iis, in quae dividitur. Ergo corpora naturalia constant ex corporibus minutissimis.

Resp. *Dist. mai.* Corpora naturalia sunt ita divisibilia divisione *quidditativa*, idest tamquam in principia constitutiva essentiae, *Nego*, divisione *quantitativa*, idest tamquam in partes integrantes, *Subdist.*

In corpuscola semper extensa, et ideo *per se* quantitative divisibilia *in infinitum*, *Conc.*, in corpuscula extensione carentia, et ideo *per se* quantitative indivisibilia, *Nego. Contr. min.* Omne divisibile constat ex iis, in quae dividitur, vel tamquam ex partibus quidditativis (videlicet ex materia et forma), vel tamquam ex partibus integrantibus, in quas substantia extenditur vi quantitatis, *Conc.*, tantummodo tamquam ex partibus integrantibus, *Nego. Dist. Cons.* Corpora naturalia constant ex corporibus minutissimis, tamquam ex partibus integrantibus continuis, quae non sunt plura corpora, sed constituunt *unum simpliciter corpus*, *Conc.*, tamquam ex partibus *quidditativis, Nego.*

Diximus corpora naturalia, licet minutissima, remanere semper quantitative divisibilia *per se*, idest ratione suae extensionis, de cuius essentia est divisibilitas in partes. Etenim *quantum* definitur ab Aristotele (Metaph. lib. 5. c. 13.) « quod est divisibile in insita quorum utrumque aut singula unum quid et quodquid apta sunt esse ». Attamen *per accidens* ACTUALIS DIVISIO in corpore physico limites habet, quia unaquaeque natura corporea exigit dimensiones intra quosdam limites, ultra quos non potest connaturaliter existere ; destrueretur enim propria dispositio suae naturae specificae. Hinc S. Thomas (1) ait: « Substantia « panis potest corrumpi ex parte qualitatis, ut alteratione; et ex parte « quantitatis; quia, cum unaquaeque res naturalis habeat quantitatem « determinatam, in tantum poterit fieri divisio, quod non remanebit « species » (2).

Obiect. 2ª. Extensum formari debet ex extensis. Atqui neque materia prima neque forma substantialis sunt extensae, sed atomi. Ergo vera est sententia Atomismi mechanici et physici.

Resp. *Dist. mai.* Extensum formari debet ex *virtualiter* extensis, *Conc.*, ex *formaliter* extensis, *Subdist.* Si sit *simpliciter unum* extensum, videlicet *quantum continuum*, *Nego*, si sit *secundum quid unum* extensum, videlicet aggregatum plurium extensorum *contiguorum, Conc. Contrad. 1. p. min.* Materia prima et forma substantialis non sunt *formaliter* et *per se* extensae, *Conc.*, non sunt unaquaeque suo modo *virtualiter* et *per accidens* extensae in composito *formaliter* per quantitatem extenso, *Nego, Dist. 2. partem minoris.* Atomi sunt extensae, si nomine atomorum intelligas substantias simplices per se subsistentes, *Nego suppositum*, si nomine atomorum intelligas partes minutissimas designabiles et divisibiles alicuius corporis sensibus nostris pervii, *Subdist.* Post divisionem actualem corporis maioris in minutissimas par-

---

(1) In IV. Sent. Dist. 12. q. 1. a. 2. Sol. 3.
(2) Cfr. etiam Summ. 3. p. q. 77. a. 4.

ticulas *per se* adhuc divisibiles, *Conc.*, ante actualem divisionem, *Iterum subdist.* Sunt extensae *in potentia*, videlicet possunt per divisionem acquirere proprios terminos, vi quorum singulae evadant totidem *quanta*, *Conc.*, sunt extensae *in actu*, quasi habentes proprios terminos, *Nego. Nego cons.* Haec solutio aeque ac praecedens plenam lucem accipiet ex dicendis in Quaestione de Quantitate.

Obiect. 3[a]. Si minutissimae partes corporum sensibilium essent inter se continuae, non posset explicari porositas corporum quoad partes parvas sensibus nostris pervias, neque alia phaenomena hanc porositatem requirentia, ex. gr. diaphaneitas. Ergo dicendum est corpora constare ex atomorum discontinuarum aggregatione.

Resp. *Dist. antec.* Si ad hanc porositatem explicandam requireretur discontinuitas ex omni parte, *Conc.*, si sufficit discontinuitas ex aliqua tantum parte, *Nego. Nego cons.* Sicut in Praenotionibus diximus, ad unitatem substantialem alicuius corporis sufficit continuitas unilateralis, vi cuius ex. gr. corpora quaedam se habent quasi minutissimo quodam reticulato contexta, ita ut minutissimus quidam filus continuus et multoties conversus, poros multiplices relinquat, salva continuitate, quam unitas entis simpliciter dicti omnino requirit. Etenim quoniam ens eo modo est unum quo est indivisum; ens quod esset simpliciter divisum, non posset esse amplius ens simpliciter unum. Unde actualis divisio corporis continui destrueret eius unitatem simpliciter dictam. Et ideo abscissa tabula in duas partes discontinuas habemus duas simpliciter tabulas, non unam.

Obiect. 4[a]. Raritas et densitas corporum, eadem existente massa, explicari tantum possunt per maiorem vel minorem atomorum distantiam. Ergo saltem corpora sensibus nostris pervia sunt aggregata atomorum per se subsistentium.

Resp. *Nego antec. et cons.* Nam sive agatur de raritate et densitate *apparente*, sive de raritate et densitate *reali*, nullatenus opus est confugere ad aggregationes atomorum discontinuarum. Etenim in rarefactione et condensatione apparente remanet idem *volumen reale*, idest eadem quantitas circa eamdem materiam, et variatur tantum *volumen apparens.* Iamvero ad id sufficit porositas supraexplicata. Si enim pori vel ob calorem, vel ob immissionem corporis extranei, vel ob aliam causam dilatentur, eo ipso apparens volumen corporis augetur, salva continuitate partium et manente eodem volumine reali. In rarefactione autem et condensatione reali, mutatur ipsum volumen reale seu ipsa densitas realis per hoc quod ob novas qualitates ab agente exteriori in substantiam corpoream inductas mutatur ipsa eius quantitas dimensiva. Iamvero mutatio quantitatis dimensivae circa eamdem materiam

nequit auferre continuitatem, quum haec sit de essentia quantitatis, sed efficit ut corpus sit intrinsece rarius vel densius, prouti, eadem materia manente, est secundum maiores vel minores dimensiones extensum. Verum atomistis, qui non valentes explicare raritatem et densitatem realem, admittunt unice apparentem, per primam partem huius solutionis satisfactum est.

Obiet. 5a. Diversi status eiusdem corporis, nempe solidi, liquidi et aeriformis explicari nequeunt, nisi per maiorem vel minorem cohaesionem inter moleculas vel atomos corporis, ut scilicet hae constringantur in solidis, disgregentur in liquidis et adhuc magis in aeriformibus. Ergo admittenda est hypothesis Atomica de discontinuitate atomorum saltem in corpore sensibili.

Resp. *Dist. mai.* Si nomine cohaesionis intelligitur virtus innata omni corpori, qua connaturaliter resistit separationi partium actu unitarum in toto continuo, *Conc.*, si intelligitur vis actu exercita inter moleculas et atomos actu distinctos, *Nego* et *nego cons.* Adeo falsum est cohaesionem respondere maiori atomorum propinquitati, ut possit esse corpus liquidum magis densum quam solidum, sicut aqua densior est quam glacies. Idem dicas de bismuto solido et liquido etc.

Obiect. 6a. Calor non datur absque motu. Atqui motus non esset possibilis in corpore absque discontinuitate partium. Ergo corpora calefactibilia constant partibus minimis discontinuis seu atomis.

Resp. *Conc. mai. Nego min.* Nam continuatio partium non excludit poros, sicut superius explicavimus in Resp. ad 3.am Obiect. Motus autem non requirit ut partes sint quaquaversus discontinuatae. Sic funis moveri potest, si agitetur ex uno vel alio capite, quin eius partes dividantur ab invicem.

Obiect. 7a. Lex calorum specificorum ostendit in atomis cuiusque corporis specifice diversi determinatam capacitatem caloris. Sed non esset ratio huius determinatae relationis inter pondus atomicum et calorem specificum, nisi in corporibus esset discontinuitas secundum multitudinem atomorum. Ergo etc.

Resp. *Nego maiorem.* Nam haec lex, caeteroquin valde incerta, nihil aliud ostendit, nisi substantias corporeas habere determinatam capacitatem thermicam, quae nihil officit continuitati partium. Nam proportio inter pondus atomicum et calorem specificum supponit tantummodo quantitatem continuam secundum varias eius partes in infinitum designabiles mensurari per quantitatem discretam. Et ideo proportio inter pondus atomicum et calorem specificum semper remanet, etiamsi pondus atomicum non exprimat proprie pondus alicuius corpusculi minimi actu divisi a caeteris, sed exprimat pondus quod conveniret

uni parti ex illis quae considerantur sub determinato numero, prouti quantitas continua calculo subiicitur.

Ex dictis in hac et in praecedenti solutione, facili negotio solvuntur omnes obiectiones, quas Atomistae congerere solent sive ex absorptione caloris in analysibus chimicis et in aliquibus chimicis synthesibus, sive ex caloris productione in plerisque chimicis synthesibus. Nam caloris absorptio, quae respondet augmento motus, caloris autem exhalatio, quae respondet motus diminutioni, supponunt quidem mobilitatem partium, non autem earum omnimodam discontinuitatem. Insuper quum agitur de mixtionibus in fieri non repugnat ut tenuissimae partes (quas atomos et moleculas vocari posse diximus) ab invicem dividantur, sicut explicavimus sub n. 23. VI.

Obiectiones autem, quas Atomistae ex *polymorphismo*, *allotropismo* et *isomerismo* opponunt, iam praeoccupavimus in Praenotionibus n. 29. V.

Obiect. 8ª. (fautorum hipothesis Dynamicae). Prima principia intrinseca corporis esse debent entia simplicia. Atqui huiusmodi nequeunt esse alia entia nisi vires quaedam. Ergo vera est hypothesis Dynamica.

Resp. *Dist. mai.* Esse debent entia simplicia per se subsistentia seu *entia ut quae, Nego*, entia simplicia non per se subsistentia, seu *entia ut quibus*, reductive pertinentia ad praedicamentum substantiae, utpote se habentia unum ut potentia alia ut actus in linea quidditatis corporeae, *Conc. Nego minorem* et *conseq.* Solutio patet ex dictis in Quaestione 1ª. Caeterum si nomine *virium* quis intelligeret principia prima intrinseca corporeae substantiae, nempe materiam primam et formam substantialem, male quidem loqueretur, quia *vis* significat potentiam activam, materia autem est potentia passiva, forma vero substantialis est principium radicale potentiarum activarum, re tamen veritatem doctrinae scholasticae fateretur.

Obiect. 9ª. Materia et forma non sunt principia notificabilia per experientiam. Atqui nostra cognitio innititur experientiae. Ergo non habemus ius asserendi ea esse principia prima corporis.

Resp. *Dist. mai.* immediate, *Conc.*, mediante ratiocinio, *Nego Dist. min.* tamquam fundamento ex quo, mediante ratiocinatione, novas veritates addiscimus, *Conc.*, tamquan unico obiecto in quo nostra cognitio consistat, *Nego. Nego conseq.* Solutio patet ex dictis in Logica Mai. Parte III. de Demonstratione scientifica, deque eius principiis. Et sane, quum materia et forma pertineant reductive ad genus substantiae, nequeunt *per se* attingi a sensu. Unde cognosci non possunt per *solam experientiam*, quae tantummodo versatur circa *qualia quanta singularia* et *concreta*. Qui igitur vult physicam scientiam acquirere, uti debet inductione, ratiocinio, et intellectu principiorum. Quod si prae-

stiterit, materiam et formam in experientia fundari intelliget. Atomi contra, quales ab Atomistis ponuntur, neque experientia cognosci neque recta ratiocinatione inferri possunt.

Obiect. 10a. Materia dicitur *non ens.* Sed *non ens* nequit esse principium intrinsece constitutivum ullius rei. Ergo perperam a Scholasticis ceu talis affirmatur.

Resp. *Dist. mai.* Dicitur *non ens*, quatenus est principium primum determinabile, quod in sui ratione nullum importat actum, *Conc.*, dicitur *non ens*, quatenus non sit aliqua realitas, *Nego. Contrad. min. Non ens.*, quod neque sit *ens ut quo* ex partes actus, neque *ens ut quo* ex parte potentiae subiectivae, *Conc.*, *non ens*, quod sit *ens ut quo* ex parte potentiae subiectivae, *Nego. Nego cons.* Recole dicta in Quaest. de Entis significatione et divisione (Phil. prim. Quaest. 1.).

Obiect. 11a. Si materia esset in potentia ad omnem formam, posset quodlibet corpus trasmutari in aliud, puta ferrum in aurum. Atqui hoc est falsum. Ergo perperam a Scholasticis materiae ratio assignatur.

Resp. *Dist. mai.* A causa prima, nempe a Deo, *Conc.*, a causis secundis, *Subdist.* Eo modo et ordine, qui exiguntur tum a dispositionibus praerequisitis in composito corrumpendo, tum a variis naturis corporum, quae dividuntur in elementaria et mixta, tum a proportionato agente, *Conc.*, aliqua ex his conditionibus praetermissa, *Nego. Contrad. min.* Falsum est quodlibet corpus posse converti in aliud a Causa prima, *Nego*, a causis secundis, *Subdist.* Salvis conditionibus supradictis, *Nego*, aliquâ ex eis posthabita, *Conc. Nego cons.* Ad rem S. Thomas (1) ait: « Quamvis autem generatio fiat ex non ente, quod est in potentia; non « tamen fit quodlibet ex quocumque, sed diversa fiunt ex diversis ma- « teriis (videlicet ex corruptione diversorum compositorum, in quibus « materia est diversimode actuata). Unumquodque enim generabilium « habet materiam determinatam, ex qua fit, quia formam oportet esse « proportionatam materiae. Licet enim materia prima sit in potentia « ad omnes formas; tamen *quodam ordine* suscipit eas. Per prius enim « est in potentia ad formas elementares: et eis mediantibus secundum « diversas proportiones commixtionum, est in potentia ad diversas formas. Unde non potest ex quolibet *immediate* fieri quodlibet etc. ».

Nota. Praecipuae obiectiones, quae moveri possunt a chimica synthesi et analysi, iam allatae et solutae sunt in Quaest. praec. (Thes. VIII. n. 26.). Eae vero, quae procedunt ex praepostera intellectione unionis animae humanae cum corpore, afferentur suo loco.

---

(1) In XII. Metaph. lect. 2.

SCHOLION.

33. Ex hucusque demonstratis et ex disiectis Adversariorum obiectionibus unicuique sincero animo veritatem inquirenti manifestum est, quanta iniuriâ a modernis Atomismi propugnatoribus Sistema Peripateticum tanquam oppositum Physicae et Chimicae experimentalis progressui exhibeatur. Si enim essentialia principia et essentiales conclusiones huius systematis secernantur ab accidentalibus quibusdam assertionibus, quae imperfectis vetustiorum aetatum experimentis nitebantur; nihil in doctrina Peripatetica de corporum principiis inveniri poterit, quod recentioribus inventis opponatur. Quinimmo dum Atomismus eis intime explicandis adhuc se imparem fatetur: nostra doctrina, inconcussis Logicae et Metaphysicae principiis suffulta, intima corporeae naturae principia modo naturali rationis lumini et christianae revelationi conformi asserit.

Praecedentes quaestiones absolvere placet verbis cl. P. CORNOLDI, *qui in opusculo* « LA SINTESI CHIMICA SECONDO I PRINCIPII DI S. TOMMASO » postquam demonstraverit principia et conclusiones doctrinae scholasticae non opponi Chimiae experimentalis progressui, haec habet: « Ond' è che agevolmente si può trasformare un corso moderno di Chimica in un corso di Chimica fondata sopra i principii filosofico-fisici di S. Tommaso. E di vero

a) Si accetta da noi l'oggetto della chimica, che sono le mutazioni sostanziali dei corpi e le leggi secondo le quali avvengono. Il carattere della combinazione chimica, il quale consiste nella specifica mutazione dell'operare del composto rispetto all'operare dei componenti elementari, onde s'inferisce che la *natura* (principio reale di operazione) è mutata, è da noi propugnato. Una operazione specificamente differisce da un'altra quando la differenza non istà nel più e nel meno, ma bensì quando la diversità è totale. La mutazione poi specifica può farsi senza che si cangino le proprietà generiche, comecchè tal fiata queste subiscono mutazioni nel più od anche nel meno. Così la sola mutazione dell'acqua in vapore non è specifica, perchè spetta a sostanze specificamente diverse; è proprietà generica ed è un solo cangiamento di stato.

b) Si accetta pure da noi la definizione del semplice (quae caeteroquin est Aristotelis, videlicet *primum in syntesi, ultimum in analysi*) cioè dell'elemento, o dell'indecomposto ed altresì del composto chimico.

c) Si accetta la definizione della sintesi chimica e dell'analisi, e si accettano tutte le condizioni nelle quali debbono aver luogo.

d) Si accetta, come ipotesi, tutta la teoria atomica (non quidem *scientifica*, sed *experimentalis*, in qua atomus accipi potest sensu a nobis declarato in Praenot. V. n. 29.) con tutte le formule che riguardano gl'indecomposti e i composti; in quanto ciò spetta alla scienza chimica (melius forte: *alla chimica puramente sperimentale*). Ma qui avverto che non è compito dei chimici filosofare sopra la essenza del semplice e la essenza del composto, ma è loro compito mostrare come cada sotto i nostri sensi, cioè sotto la nostra esperienza l'uno e l'altro; e come i semplici si uniscano a

dare il composto. Per la qual cosa le formule chimiche riguardano 1º il numero degli atomi elementari ch' entrano nella chimica composizione; 2º il peso loro; 3º il loro volume; 4º il sito (diasi ancor questo) che debbono occupare per generare il composto. Ebbbene! Noi pur tutto questo concediamo. Diciamo dunque:

1º A generare il composto si richiedono semplici disciolti in certo numero determinato di atomi. Che importa al chimico se noi diciamo che qualche tempo prima della combinazione v'era una quantità *continuata* p. e. di ossigeno e d'idrogeno, e ch'esso è diviso realmente nei suoi atomi, cioè nei suoi minimi (estesi anch' essi), immediatamente prima della combinazione?

2º Siccome la quantità di ciascun atomo è determinata, così deve essere determinato di ciascun atomo il peso specifico. Concediamo adunque le mutue proporzioni dei pesi.

3º Ad una determinata temperatura e a determinata pressione è fisso il volume reale di ciascun atomo: adunque pure concediamo in proporzioni dei volumi.

4º Per certo, per unirsi, debbono gli atomi venire a mutuo contatto, ed è però giuocoforza che occupino un determinato sito. Così p. e. se facciamo che un atomo di ossigeno venga in composizione con due di idrogeno, dovrà quello trovarsi tra questi due od altramente. Non abbiamo quindi difficoltà di accettare, come ipotesi, quello che ci dicono i chimici rispetto al sito.

5º Ond'è che accettiamo tutte le formule adoperate dai Chimici, le quali riguardano il momento della combinazione, ossia il composto *in fieri.* Ma i chimici non hanno diritto di trasferire le formule stesse al composto *in fatto esse:* cioè dopo la chimica combinazione. Che se lo vogliono fare, ne dimostrimo la necessità. Nè possono dimostrarla; perchè essendo certa la mutazione *sostanziale,* è già dimostrata la necessità del contrario, cioè che non *formaliter,* ma solo *in virtute* stanno le sostanze elementari nel vero composto chimico, cioè nel misto perfetto.

6º Ma non solo non hanno il diritto, come chimici, di applicare quelle formule al composto *in facto esse,* bensì hanno il dovere di non applicarle. Imperocchè il chimico si deve appoggiare alla sola sperienza. Ora se il chimico si appoggia alla sola sperienza, non ha veruno argomento da dire che agli elementi, anche dopo la combinazione, debbansi applicare quelle formole: perchè la operazione del composto è specificamente diversa da quella dei componenti. Dunque diverso è il principio, cioè la natura, onde pullula la operazione stessa, nè vi sarebbe diversità di natura se nel composto chimico esistessero le elementari sostanze così da potersi accordare alle medesime le formule predette.

e) Che cosa adunque vuolsi rigettare recisamente da un corso moderno di chimica per aggiustarlo ai nostri principii? Quello soltanto che non è affatto necessario al corso stesso; quello che è recato senza verun fondamento o di ragione o di fatto, ch'è in realtà in contraddizione con ciò che si dà come certo nel corso stesso ».

QUAESTIO IV.

DE PRINCIPIIS INTRINSECIS CORPORIS PHYSICI SEU DE MATERIA PRIMA ET DE FORMA SUBSTANTIALI

THESIS XII.

Quum materia prima nequeat habere proprie dictam definitionem, multiplices eius descriptiones adsignantur.

34. **Prob. 1ª. pars.** Quum definitio proprie dicta fiat per genus proximum et differentiam ultimam, competere potest solum iis, quae sunt *directe* sub aliquo genere et exhibent integram aliquam essentiam. Atqui materia prima pertinet tantum *reductive* ad genus substantiae corporeae, in qua rationem habet principii pure potentialis. Ergo impossibile est assignare eius proprie dictam definitionem.

Prob. 2ª. pars. « Materia (ait S. Thomas Quodlib. IX. a. 6. ad 3ᵘᵐ) « si eius essentia definiretur, haberet pro differentia ipsum suum or- « dinem ad formam et pro genere ipsam suam substantiam. » Et sane id cuius tota ratio ordinatur ad aliud, nonnisi per illud definiri aut declarari potest. Unde quatenus materia prima consideratur sive in ordine ad compositum, cuius est pars quidditativa, sive in ordine ad mutationes substantiales quarum est principium intrinsecum, sive in ordine ad formam, varias suscipit late dictas definitiones seu descriptiones. Etenim.

I. Considerando ipsam rationem corporeae substantiae, cuius materia est pars essentialis potentialis, definiri potest *principium intrinsecum primum potentiale substantiae corporeae.*

II. Considerando mutationes substantiales corporum, quarum materia est subiectum, definiri potest *subiectum mutationum substantialium.*

III. Considerando materiam habere rationem purae potentiae subiectivae in ordine entis, describi ea poterit per *remotionen omnium notionum*, quae propriae sunt *entis in actu*, quales sunt *categoriae*; ita tamen ut intelligatur esse *potentia realis* ad substantiam, et, *mediante substantia,* ad omnia quae possunt accidere substantiae, nempe ad accidentia, quae classificantur per reliquas novem categorias. Hic modus

considerandi materiam exhibetur ab Aristotele, qui in 7um Metaph. text. 8. ait materiam primam esse, *quae per seipsam neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur; neque etiam negationes eorum: est autem quoddam de quo horum quodlibet praedicatur* (non quidem *praedicatione directa,* quasi dicere possemus, *materia est substantia, materia est quanta* etc. Sed praedicatione *denominativa,* dicendo: *materiatum,* nempe ens materiale est substantia, est quantum, est quale etc.).

IV. Considerando simul materiam tum in ordine ad intrinsecam compositionem corporis, tum in ordine ad substantiales mutationes quarum est subiectum, describitur ab materia eodem Aristotele 1° Phys. text. 82. *primum uniuscuiusque subiectum, ex quo insito, non per accidens aliquid fit, et in quod, si quidpiam interit, ulimum abit.*

SCHOLION.*

De appetitu materiae.

35. Accipiendo latissime appetitum naturale pro naturali ordinatione omnium, quae quocumque modo (nempe, sive *ut quod*, sive *ut quo*) rationem entis possident, in bonum sibi proportionatum et conveniens; dici debet materia prima *appetere* formam substantialem, ad quam transcendentaliter ordinatur ut ad suam perfectionem. Audiatur S. Thomas, qui (in 1. Phys. Lect. 15.) distincto appetitu elicito, qui sequitur in appetente cognitionem, quam appetens acquirit boni sibi convenientis ab appetitu innato, qui non sequitur cognitionem ipsius appetentis, sed ponitur in eo ab Auctore naturae cognoscente quid boni conveniat illi; docet quid sit appetitus materiae: « Sciendum est, quod omne, quod « appetit aliquid, vel cognoscit ipsum et se ordinat in illud; vel tendit « in ipsum ex ordinatione et directione alicuius cognoscentis, sicut « sagitta tendit in determinatum signum ex directione et ordinatione « sagittantis. Nihil est igitur aliud appetitus naturalis quam ordinatio « aliquorum secundum propriam naturam in suum finem. Non solum « autem aliquid ens in actu per virtutem activam ordinatur in suum « finem; sed etiam materia, secundum quod est in potentia, nam « forma est finis materiae. *Nihil igitur est aliud materiam appetere « formam, quam eam ordinari ad formam ut potentia ad actum.*

« Et quia sub quacunque forma sit, adhuc remanet in potentia ad « aliam formam, inest ei semper appetitus formae: non propter fa« stidium formae quam habet, nec propter hoc, quod quaerat contraria « habere simul; sed quia est in potentia ad alias formas, dum unam « habet in actu ».

THESIS XIII.

Materia prima non habet proprium esse existentiae, sed existit per esse compositi, dependenter a forma substantiali.

PROBATUR.

36. I. Materia prima sub forma substantiali concurrit in ratione purae potentiae ad constituendum compositum per se unum. Atqui, si materia prima haberet proprium esse non posset concurrere cum forma, ut principium pure potentiale, ad constituendum compositum, quod sit ens per se unum. Ergo materia prima non habet proprium esse independenter a forma. *Maior* probata est in quaestione praecedenti.

Probatur minor. Si materia prima haberet proprium esse existentiae, esset independenter a forma ens actu per se existens. Sed quidquid advenit enti actuali per se existenti, accidentaliter advenit illi. Ergo si materia prima haberet proprium esse existentiae, non posset concurrere cum forma ad constituendum compositum per se et simpliciter unum, sed unum tantum per accidens et secundum quid.

II. Contradictorium est asserere id, quod rationem habet purae potentiae subiectivae in linea essentiae posse per se existere independenter ab eo, quod in linea eiusdem essentiae habet rationem actus. Atqui in Quaestione 1ª ostensum est materiam primam habere rationem purae potentiae subiectivae in linea essentiae corporeae. Ergo contradictorium est asserere materiam primam habere posse propriam existentiam.

Prob. mai. Pura potentia subiectiva in linea essentiae vocatur illud principium intrinsecum essentiae, quod ex se nullam habet determinationem, sed eam recipere debet ab actu seu forma, ad quam transcendentaliter ordinatur, ut constituat sub illa substantiam aliquam physice compositam. Atqui nihil quocumque modo existere potest nisi sit determinatum. Ergo dicere puram potentiam subiectivam in linea essentiae habere propriam existentiam independenter a forma, est asserere eam esse in linea essentiae simul determinatam et indeterminatam, quod est contradictorium et repugnans.

III. Cum esse existentiae sit ultima actualitas omnis perfectionis, non potest immediate per existentiam actuari nisi id, quod est perfectum prima perfectione. Atqui materia prima, cum sit pura potentia subiectiva in linea essentiae substantialis, non est ex seipsa perfecta prima perfectione. Ergo materia prima non potest immediate actuari

ab existentia, sed indiget antecedenter perfici ab actu primo, nempe a forma substantiali; sub qua actuata concurrit ad constituendum compositum perfectum perfectione prima nempe substantiali, quod idcirco est susceptivum ultimae actualitatis i. e. existentiae.

IV. Nullum esse existentiae potest competere alicui, nisi huic prius competat esse in se, non in alio. Atqui tantummodo *enti ut quod* competit esse in se non in alio. Ergo neque materiae, quae est *ens ut quo* pure potentiale, neque formae substantiali non intellectivae, quae est *merum ens ut quo* formale compositi corporei, competit proprium esse existentiae, sed existunt per esse compositi.

Prob. mai. Esse existentiae vel est esse substantiale, videlicet *subsistere*, vel esse accidentale. Si primum, non poterit actuare nisi *substantiam aliquam primam*, quae sit indivisa in se et divisa a quolibet alio. Si secundum, non poterit accidere nisi enti iam in suo esse substantiali constituto. Ergo nullum esse existentiae potest competere alicui, nisi huic prius competat esse in se, non in alio.

Prob. min. Ens, cui competit esse in se, non in alio, est suppositum denominative sumptum, nempe individuum, cui secundum aliquam essentiam substantialem competit esse in se, non in alio, ita ut nulli prorsus sit communicatum. Atqui *ens ut quod* est individuum, cui secundum aliquam essentiam substantialem competit esse in se, non in alio, nempe est suppositum denominative sumptum. Ergo *tantummodo enti ut quod* competit esse in se, non in alio.

37. **Quaeres.** Quaenam sit ratio disparitatis inter principium potentiale et principium formale relate ad esse existentiae, ita ut principium pure potentiale *in nulla hypothesi* habere possit propriam existentiam, principium autem formale, in hypothesi quod sit intellectivum, habere eam possit etiam post separationem a materia, quam informabat ideoque possit esse *per se subsistens* et possidere extra compositum proprium actum existentiae ut *id quod est?*

Respondeo rationem hanc iam a nobis iudicatam fuisse in Coroll. 2°. Thesis 3ª. et melius intelligetur, ubi sermo erit de anima humana, quae, *cum sit principium operationis cui non communicat corpus*, nempe *intellectionis*, habere debet esse independenter a materia prima et a composito corporeo quod cum materia constituit; ita ut materia prima et compositum corporeum humanum non actuentur per aliud esse existentiae quam per esse existentiae animae rationalis. Attamen ad praeoccupandas quasdam obiectiones pauca innuamus.

Ratio igitur disparitatis est, quia principium formale, quamvis indigeat principio potentiali ad constituendum aliquid completum in ratione essentiae et speciei; non tamen indiget eo, tamquam inferente

aliquam perfectionem seu auctualitatem specificam, quae non procedat a forma: *sed solum ad id, in quo forma exhibeat suum formalem effectum*, sive forma sit dependens in esse a materia, sive sit independens. Unde si aliquod *principium quo formale* alicuius essentiae, non pendet in esse a materia, cum qua constituit completum in specie, sed extra compositum habet esse *ut ens quod est;* nulla in hoc apparet repugnantia. Contra, *principium quo potentiale* alicuius essentiae, nihil involvit actualitatis et perfectionis speciei, ad quam per formam determinatur, sed est mera subiectiva capacitas illius recipiendae. Atqui id, quod in ipso ordine essentiae, *qui est primus ordo*, *qui in ente concipitur, cum sit radix caeterorum*, nihil actualitatis dicit; non potest non pendere in suo esse ab altero principio, per quod actuatur: nihil enim potest esse, nisi aliquo saltem pacto iam actualitatem dicat in ordine essentiae.

V. Confirmatur auctoritate S. Thomae, qui (l. p. q. 7. a. 2. ad 1um) ait: « Materia prima non existit in rerum natura per seipsam, cum « non sit ens actu sed potentia tantum. Unde potius est concreatum, « quam creatum », et (qq. dd. Pot. q. 4. a. 2.): « Materia prima non « potest in rerum natura existere, quin aliqua forma formetur. Quid- « quid enim in rerum natura invenitur, actu existit: quod quidem « non habet materia, nisi per formam, quae est actus eius. Unde non « habet (i. e. non potest) sine forma in rerum natura inveniri. » Cfr. 1. p. q. 66. a. 1. — q. 115. a. 1. ad. 2um. Contr. Gent. Lib. 2. c. 43.

OBIECTIONES.

38. **Obiect. 1^{a}**. Quorum diversa est entitas, diversa esse debet existentia. Sed entitas materiae diversa est ab entitate formae et ab entitate compositi. Ergo materia prima debet habere propriam existentiam, independentem ab existentia formae et ab existentia compositi.

Resp. *Dist. mai.* Quorum diversa est entitas *adaequate* sumpta nempe *ut quod*, *Conc.*, quorum diversa est entitas *inadaequate* sumpta nempe *ut quo* aliquid est, *Nego.* — *Dist. min.* Si nomine *entitatis* intelligatur *realitas* mere potentialis, concedimus eam distingui *adaequate* a forma et *inadaequate* a composito, cuius est pars essentialis. Si autem nomine *entitatis* intelligatur ratio *entis ut quod*, Negamus: et negamus conseq.

Obiect. 2^{a}. Si materia existeret per existentiam compositi aut formae, quando cessat esse compositum vel forma, etiam materia deberet amittere esse. Sed cessante forma et composito, adhuc materia remanet et transit ad aliam formam. Ergo materia existit per propriam existentiam.

Resp. *Dist. mai.* Si cessaret compositum per annihilationem, *Conc.*, si cessaret per corruptionem, *Subdist.* Amittit esse, quod in composito corrupto habebat, per hoc quod incipit participare esse novi compositi, *Conc.*, amittit absolute omne esse, ita ut in nihilum cedat, *Nego. Conc. min. Nego cons.* Eo ipso quod materia prima per generationem incipit actuari a nova forma, cessat actuari a praecedenti. Sicut, eo ipso quod virga fit curva, cessat esse recta. Porro ex dictis in Quaest. 2ª, praesertim in solutione obiectionum, satis superque apparet generationem fieri in istanti, et ideo in eodem subiecto generatio unius et corruptio alterius, utpote *relativa,* sunt *simultanea.*

Obiect. 3ª. Quibus diversa actio productiva competere potest, non habent necessario unum et idem esse existentiae. Sed materia prima nequit produci nisi per creationem, formae substantiales, excepta anima humana, et composita producuntur etiam per generationem. Ergo materia habet existentiam propriam.

Resp. *Dist. mai.* Si haec diversitas actionis productivae potest aliquando verificari in uno independenter ab alio, *Conc.*, secus, *Nego. Dist. min.* Materia prima nequit produci nisi per creationem, eo quod est subiectum passivum omnium generationum, *Conc.*, eo quod habere potest propriam existentiam, *Subdist.* Si posset creari absque ulla forma, *Conc.*, secus, *Nego. Nego conseq.* Ut saepe innuimus, materia nequit esse sine forma, et concreatur cum forma in ipsa creatione compositi. Et ideo in ipsa actione creativa compositum est terminus *per se* creationis; neque potest creatio verificari de materia independenter a forma. Simile dicatur de forma, quae non est spiritualis. Quod si forma sit spiritualis, poterit quidem *per se* creari, sed creatur in ipso composito, ita ut *esse* quod est formae, sit etiam totius compositi propter unionem formae cum materia, quae trahitur ad esse formae in quantum haec forma spiritualis seu intellectiva est virtualiter etiam sensitiva, vegetativa et corporea.

Composita autem et formae non spirituales possunt etiam produci per generationem, quia a primis compositis in prima mundi constitutione a Deo creatis possunt primae formae amitti et aliae acquiri ratione potentialitatis materiae ad plures formas.

Materia autem *generari non potest.* Nam generatio habetur ex praesupposito eodem subiecto potentiali, quod incipiat actuari a nova forma, amissa anteriori. Sed id quod est primum subiectum potentiale, nempe materia, nullum potest praesupponere subiectum. Ergo repugnat materiam primam posse generari aut corrumpi, sed tantum potest concreari sub aliqua forma et similiter adnihilari ad adnilationem totius, si hoc totaliter destruatur *secundum utrumque principium ma-*

teriale scilicet et *formale.* Quae totalis destructio non potest causari a causis secundis quae agunt per motum stricte dictum, sed tantum a Causa prima, quae quemadmodum prima composita creavit illis tribuendo esse, et omnia composita conservat, illis iugiter conservando esse, potest eadem per cessationem huius conservationis adnihilare. Causae autem secundae sive *alterando* sive *generando* composita corporea, non possunt in ipsis nisi causare mutationes sive accidentales sive substantiales, nempe vel generare secundum quid vel generare simpliciter.

Obiect. 4ª. Prius est esse quam causare. Sed materia prima est causa materialis tum respectu formae, quam sustentat, tum respectu compositi, quod intrinsece constituit tamquam eius principium potentiale. Ergo materia prima habet esse antecedenter ad formam et compositum, ideoque habet esse proprium.

Resp. *Dist. mai.* Cum sermo est de causa efficienti vel finali, *Conc.*, cum sermo est de causa materiali vel formali, *Nego.* Haec enim utpote transcendentaliter ad invicem relata, sunt necessario simul: *relativa enim, qua talia, sunt simul natura et in intellectu, in quantum unum est in definitione alterius. Conc. min.* et *Nego cons.* Insuper notandum est materiam et formam habere prioritatem naturae relate ad compositum adhuc in linea essentiae consideratum: ex qua prioritate naturae perperam quis inferret earum prioritatem in ipso ordine essendi relate ad compositum. Hoc enim prius intelligi debet constitutum ex suis principiis in linea essentiae, ad hoc et evadat susceptivum ultimae actualitatis nempe actus essendi. Unde simul tempore sunt materia, forma et compositum.

Obiect. 5ª. Materia prima est quaedam potentia subiectiva et non pure obiectiva. Sed quidquid non habet existentiam est potentia pure obiectiva. Ergo materia prima habet propriam existentiam.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Si neque existentiam neque coexistentiam habeat, *Conc., secus, Nego et nego conseq.*

Obiect. 6ª. Quemadmodum ens per se unum potest constitui essentialiter ex duabus essentiis incompletis; ita poterit constitui in existendo ex duabus existentiis incompletis, quae se mutuo compleant in ratione existentiae totius. Ergo non repugnat materiam habere proprium actum existendi et formam habere suam.

Resp. *Nego paritatem* et *nego conseq.* Nam nulla est repugnantia, ut in eo, quod non est ultima actualitas, inveniatur aliquod principium potentiale et aliquod principium actuans. Sed quoniam ratio existentiae in eo est, ut sit ultima actualitas omnis rei et omnis perfectionis, si aliqua existentia posset habere relate ad aliam existentiam rationem

potentiae, iam simul esset et non esset ultima actualitas, quod repugnat. Omnes sententiae oppositae huic nostrae, quae est Sancti Thomae, originem ducunt et fulcimenta ex confusione conceptuum, quos earum fautores habent de essentia et existentia et consequenter de actu et potentia. Quare hi frustra nituntur defendere systema scholasticum de materia prima et forma substantiali, deserendo prima principia Metaphysicae Sancti Thomae. Haec enim si per summam iniuriam tum Angelico Doctori tum rectae rationi deserantur, impossibile est solidis rationibus veram sententiam de corporum constitutione tueri.

Obiect. 7^a^. Materia potior est accidente; quia materia est pars substantiae. Sed Deus potest facere quod accidens sit sine subiecto; ut patet in Sacramento Altaris. Ergo potest facere quod materia existat sine forma.

Resp. *Dist. mai.* Materia est potior accidente sub hoc respectu, quod est pars substantiae, *Conc.*, sub respectu, quod in sui ratione dicit actum, *Nego. Conc. min. Nego cons.* « Dicendum, quod accidens, cum « sit forma, est actus quidam; materia autem secundum id quod est, « est ens in potentia. Unde magis repugnat materiae esse in actu sine « forma, quam accidenti sine subiecto. » (1. p. q. 66. a. 1. ad 3um).

Obiect. 8^a^. Si potest Deus supplere causalitatem materialem, poterit etiam formalem, efficiendo ut materia existat sine forma. Sed in Sacramento Altaris Deus supplet causalitatem materialem substantiae. Ergo.

Resp. *Nego sequelam maioris. Dist. min.* Deus supplet causalitatem materialem per modum subiecti, *Nego*, per quamdam *efficientiam*, *Conc. Nego cons.* Negavimus sequelam maioris, quia contradictionem implicat Deum supplere causalitatem formae substantialis, deficiente forma. Nam quum nihil possit esse susceptivum actus essendi nisi sit determinatum, saltem prima determinatione; repugnat ut pura potentia subiectiva, de cuius ratione est non habere ex seipsa primam determinationem; remaneat pura potentia et actuetur ab actu essendi. Etenim simul esset indeterminata et determinata, quod repugnat. Neque dicant adversarii Deum posse auferre hanc indeterminationem a materia. Nam vel intelligunt Deum hanc indeterminationem a materia auferre per hoc quod ponat in materia aliquem actum eam primo determinantem ita ut evadat capax existendi; vel nihil in ea ponendo; vel per seipsum eam formaliter determinando. Tertium est absurdum et impium. Secundum est inefficax; nam si Deus nihil facit circa materiam, haec remanet sicuti erat. Primum est illud ipsum quod nos contendimus; nempe materiam indigere aliquo actu primo eam determinante in linea essentiae, videlicet aliqua forma substantiali; ut possit existere.

Ut paucis declaremus distinctionem minoris; reiecta absurditate Dei sustentantis ad modum subiecti accidentia in Sacramento Eucharistiae, dicimus Deum causalitatem materialem in hoc Sacramento supplere per modum efficientiae, importare, ut dimensiones et, his mediantibus, caetera accidentia panis et vini, quae suum esse acceperunt per causalitatem resultantiae a substantia panis et a substantia vini; *miraculosa operatione* pergant conservari in esse a Deo, absque actuali inhaerentia substantiae. Qua in re non apparet repugnantia, quum esse accidentis sit diversum ab esse substantiae. *Exigentia* autem inhaerendi substantiae semper perseverat in esse accidentali, licet accidens miraculose conservetur a Deo absque actuali inhaerentia substantiae. Dum contra *esse*, quo materia exsistit, quodque non est aliud ab esse formae, prorsus repugnat ut in subiecto indeterminato recipiatur.

THESIS XIV.

Definitio et divisio formae substantialis.

39. I. Forma substantialis definitur ab Aristotele (Lib. 2. *de Anima*) *actus primus corporis physici. a)* Nomine *actus* adsignatur quodammodo genus: nam nomine *actus* importatur *perfectio,* porro cuiuscumque formae, sive substantialis, sive accidentalis, est perficere id, cuius est forma. *b)* Per additum *primus* discernitur forma substantialis tum a formis accidentalibus, tum ab esse existentiae, quod est ultima actualitas cuiuslibet essentiae. *c)* Per vocabulum *carporis* distinguitur forma substantialis a puris formis per se subsistentibus ex. gr. ab Angelis. *d)* Tandem additur vocabulum *physici*, ne quis putet eam dici actum corporis mathematici, vel corporis artificialis qua talis.

II. Aliquando forma substantialis vocatur ab Aristotele *ratio ipsius quod quid erat esse corporis*, scilicet ratio quidditatis corporeae seu *id per quod substantia corporea est id quod est.* Nam forma substantialis est principium specificativum substantiae corporeae, et quamvis etiam materia prima pertineat ad rationem essentiae corporeae, tamen et ipsa indiget specificari a forma, ut faciat esse hoc vel illud corpus in specie, et ideo fontalis ratio totius determinationis specificae, quae reperitur in corpore, petitur a forma.

III. Forma substantialis, quae est mera determinatio materiae, ita ut tota eius virtus perfectiva *absorbeatur* a materiali potentia, quam actuat in hoc vel illud corpus, puta argentum vel elephantem; vocatur *forma substantialis materialis* vel *pure corporea;* quia non est capax proprii esse, neque propriae operationis; sed participat in ratione *principii*

formalis quo de esse et de operatione, quae sunt exclusive *propria* compositi resultantis, puta auri, vitis, aquilae, leonis etc.

IV. Forma substantialis, quae non est mera determinatio materiae, cum eius virtus perfectiva non absorbeatur a materiali potentia, quam actuat in corpus humanum; vocatur *forma substantialis immaterialis* seu *spiritualis* seu *non mere corporea.* Haec est anima humana, quae est per se capax propriae existentiae et propriae operationis, nempe intellectivae, cui non communicat corpus. Et ideo non solum est ratio cur composito acquiratur existentia (nam hoc est commune omnibus formis substantialibus, quae determinando materiam ad primam perfectionem, eo ipso sunt ratio cur constituatur compositum materiale, cui primo competit existere); sed trahit materiam ad suum *esse existentiae*, ita ut materia et compositum humanum non existant per aliam existentiam, quam per illam, qua immediate, proprie, et per se actuatur anima humana. Sed de his agemus in *Psychologia.*

THESIS XV.

Formis substantialibus materialibus, nempe non intellectivis, competit fieri tantum per accidens non per se.

PRAENOTIONES.

40. Quidquid fit ratione sui, ad hoc ut ipsum proprie sit *tamquam id quod est*, dicitur *fieri per se.* Quae autem fiunt tantum ratione alterius, ita ut *ipsis* aliquid sit, ipsa autem ex se esse nequeant, dicuntur *fieri per accidens.* Et hoc valet sive sumatur vocabulum *fieri* in sensu *creandi*, sive sumatur in sensu *generandi.* (Confer S. Thomam 1. p. q. 45. art. 4° et 8°).

PROBATUR.

41. Quoniam *fieri* ordinatur ad *esse* rei, illis proprie et per se competit fieri, quibus proprie et per se competit esse. Atqui tantum *enti ut quod* competit proprie et per se esse. Ergo tantum enti *ut quod* competit proprie et per se fieri. Sed solum composita corporea et formae substantiales intellectivae possunt habere esse *ut quod est*, eo modo et ordine quem suo loco indicamus. Formae autem substantiales materiales possunt tantum habere esse ut *quibus* compositum est. Ergo formis substantialibus materialibus non competit fieri per se, sed per accidens, nempe *confieri*, ut coexistant per esse compositi.

« Creari proprie est rei subsistentis, cuius est proprie esse et fieri: « formae autem non subsistentes, sive substantiales sive accidentales « non proprie creantur, sed concreantur: sicut nec esse habent per se,

« sed in alio: et quamvis non habeant materiam *ex qua,* quae sit pars « eorum; habent tamen materiam *in qua,* a qua dependent, et per « cuius mutationem in esse educuntur (quando contingit generatio); « ut sic eorum fieri sit proprie subiecta eorum transmutari. Secus « autem est de anima rationali, quae est forma subsistens; unde pro- « prie ei creari convenit ». S. Thomas *de Verit.* q. 27. a. 3. ad 9um. Confer etiam 1. p. q. 110. a. 2.

OBIECTIONES.

42. **Obiect. 1^{a}.** Saltem in generatione quaelibet forma fit per se. Nam. In generatione non fit materia, sed tantum forma. Sed quod exclusive fit, proprie et per se fit. Ergo saltem in generatione quaelibet forma fit per se, non per accidens.

Resp. Nego assertum. Ad rationem, *dist. mai.* In generatione fit proprie et per se compositum, quod generatur ex materia in talem formam, *Conc.,* fit proprie et per se forma, *Nego, Concedo min. Nego conseq.* « Sciendum, quod licet in littera (aristotelici textus) dicatur « quod forma *fit* in materia, non tamen *proprie* dicitur. Forma enim « proprie *non fit,* sed compositum. Sicut etiam dicitur forma *esse* in « materia, licet forma non sit, sed *compositum per formam.* Ita etiam « proprius modus loquendi est, ut dicamus *compositum generari ex « materia in talem formam.* Formae enim proprie non fiunt, sed edu- « cuntur de potentia materiae, in quantum materia, quae est in. po- « tentia ad formam, fit actu sub forma, quod est facere compositum ». S. Thomas in 7um. Metaph. lect. 7^{a}.

Obiect. 2^{a}. Prius est esse formae, quam uniri praeexistenti materiae. Sed nequit forma esse antequam materiae uniatur, nisi ipsa forma habeat per se fieri. Ergo forma omnis habet fieri per se.

Resp. *Dist. maior.* Si sermo sit de forma non intellectiva, *Nego,* si sermo sit de forma intellectiva, nempe de anima humana, *Subdistinguo:* prius est esse formae prioritate naturae, *Conc.*, prioritate temporis, *Nego. Concedo minorem et nego consequens.*

Etenim unum et idem est materiam virtute agentis proportionati actuari secundum aliquam formam, fieri hanc formam, fieri compositum. Quocirca cum haec tria sint unum et idem, *simul omnino* fieri necesse est. Insuper cum materia et forma materialis sint mera principia *quibus* corpus intrinsece constituitur, non solum sunt ex seipsis insufficientia ad accipiendum esse, sed in ipso composito nequeunt acquirere proprium esse, sed existunt per esse totius. Nam eo ipso quod mutuo se complent in ratione potentiae et actus, constituunt aliquod ens primo et per se unum, nempe corpus, quod proprie aptum est ad existendum.

THESIS XVI.

In generationibus compositorum materialium formae non subsistentes educuntur de potentia materiae.

PRAENOTIONES.

43. I. Res aliqua nondum existens dicitur esse *in alio*, quatenus continetur in eo tamquam in sua causa. Pro diversitate autem causarum diversimode hoc dicitur. Et ideo *in causa finali* dicitur praecontineri effectus; quatenus finis, qui movet causam agentem ad ponendum effectum, est prima ratio cur effectus ille aliquando producatur.

In causa efficiente praecontinetur effectus tanquam in potentia activa, quatenus in ea est virtus illum producendi: sic omnes creaturae praecontinentur in Deo, quia in Deo est virtus illas creandi.

In causa materiali praecontinetur effectus tanquam in potentia passiva, quatenus nempe ex ea fieri potest ab aliquo agente proportionato: sic in metallo praecontinetur statua Mercurii, quia ex metallo ab artifice fieri potest.

Similiter loqui possumus *de causa exemplari*, in qua iam habetur *intentionaliter* effectus producendus: sicut dumus praecontinetur in idea architecti.

II. Id, quod continetur in sua causa aliquo ex supradictis modis, quando actuatur modo sibi convenienti, dicitur *educi ex causa.* Quocirca effectus aliquis, quatenus producitur a causa efficiente, dicitur *educi ab agente,* non *a nihilo* vel *a nullo.* Quatenus aliquis effectus fit ex praeiacente materia, dicitur *educi de potentia* (passiva) *materiae,* non *fieri ex nihilo.* Quaproter *formam educi de potentia materiae* significat aliquid reduci de potentia in actum ita, ut actus non habeatur ex nihilo, sed ex materia per virtutem proportionati agentis. Aliquale exemplum habes in statua, quae dicitur educi de potentia metalli per virtutem artificis.

III. *Non est confundenda actio eductiva* formae de potentia materiae, *cum actione creativa* compositi materialis. Haec enim non praesupponit materiam, sed creat simul materiam et formam, creando prima composita materialia, nempe prima corpora. Actio autem eductiva formae de potentia materiae, praesupponit materiam praexistentem sub alia forma. Quae prioritas non est solum naturae sed etiam temporis: secus haberemus in eodem instanti duas formas substantiales actuantes eamdem materiam, quod repugnat.

IV. Educuntur de potentia materiae tantummodo formae, quae sunt purae determinationes materiae, nempe quarum virtus perfectiva est ita proportionata materiae, ut hanc nullatenus excedat. Tales sunt omnes formae substantiales inferiores anima humana: quia etiam nobiliores inter illas, quales sunt animae brutorum perfectiorum, ita determinant materiam ad corpora in sua specie constituenda, ut in huiusmodi substantiis nullum inveniri possit principium operationis *prorsus immaterialis*. Quocirca dicuntur *plus minusve absorberi a materia seu immergi in ea*. Quamvis enim brutorum operationes non sint ita depressae in materia sicut operationes vegetalium, neque operationes vegetalium sint ita depressae sicut operationes mineralium; temen non transcendunt ordinem materialium principiorum, sine quibus tamquam *ex propriis principiis* operationes illae non fiunt. « Huius« modi animae (ait S. Thomas qq. dd. *de Potentia* q. 3. a. XI.) ordi« nem principiorum naturalium non excedunt. Et hoc patet eorum « operationes considerantibus. Nam secundum ordinem naturarum sunt « etiam ordines actionum. Invenimus autem quasdam formas, quae « se ulterius non extendunt, quam ad id, quod per principia materialia « fieri potest; sicut formae elementares et mixtorum corporum, quae « non agunt ultra actionem calidi et frigidi (et similium qualitatum); « unde sunt penitus materiae immersae. Anima vero vegetabilis, licet « non agat nisi mediantibus qualitatibus praedictis, attingit tamen « operatio eius ad aliquid in quod qualitates praedictae se non exten« dunt, videlicet ad producendum carnem et os, et ad praefigendum « terminum augmento, et ad huiusmodi; unde et adhuc retinetur infra « ordinem materialium principiorum, licet non quantum formae prae« missae. Anima vero sensibilis non agit per virtutem calidi et fri« gidi de necessitate, ut patet in actione visus et imaginationis et « huiusmodi; quamvis ad huiusmodi operationes requiratnr determi« natum temperamentum calidi et frigidi ad constitutionem organorum « sine quibus actiones praedictae non fiunt; unde non totaliter tran« scendit ordinem materialium principiorum, quamvis ad ea non tan« tum deprimatur, quantum formae praedictae. Anima vero rationalis « etiam agit actionem ad quam virtus calidi et frigidi non se extendit; « nec eam exercet per virtutem calidi et frigidi, *nec organo etiam « corporali;* unde *ipsa sola* transcendit ordinem naturalium principio« rum; non autem anima sensibilis in brutis vel vegetabilis in plantis. »

V. Siquidem formae, quae educuntur de potentia materiae, sunt eae, quae habeant esse dependenter a materia, nec diversum ab esse compositi; necesse est, ut per illam eamdem actionem, per quam educuntur de potentia materiae, uniantur materiae et constituatur com-

positum. Haec enim sunt prorsus relativa ita ut unum non possit esse vel concipi sine alio. De formarum eductione de potentia materiae agit S. Thomas in Summa Theologiae 1. p. q. 45. a. 8. q. 65. a. 4. q. 91. a. 2. q. 110. a. 2. q. 118. a. 1. 2. in 1ae. 2ae. q. 63. a. 1. Contra Gent. Lib. 2. cap. 86.; Lib. 3. cap. 69. in 2um. Sent. Dist. 1. q. 1. a. 4. ad 4um. Dist. 18. q. 2. a. 3. qq. dd. *de Verit.* q. 11. a. 1. *de Potent.* q. 3. a. 8. et 11. etc.

PROBATUR.

44. I. In generatione corpus generans agit in corpus corrumpendum ita ut virtute sua naturali pertingat ad actuandam seu determinandum materiam, quae erat sub forma corporis corrumpendi, secundum formam propriae similem et per hoc producat novum compositum corporeum sibi specifice identicum. Atqui hoc est educere formam non per se subsistentem de potentia materiae. Ergo in generatione formae non subsistentes educuntur de potentia materiae.

Prob. mai. Unumquodque agit secundum quod est actu per suam formam, ita ut si inveniat potentiam susceptivam suae actionis, et sufficienter ei coniungatur, actuet eam secundum formam seu perfectionem secundum quam agit. Porro generans agit non solum secundum suas formas accidentales, sed etiam, his mediantibus tamquam instrumentis, agit secundum suam formam substantialem in compositum corrumpendum. Quatenus agit secundum formas accidentales, alterat illud ita ut materia gradatim, mediante composito, dum acquirit dispositiones proportionatas formae inducendae, amittat dispositiones proportionatas formae amittendae. In qua alteratione, quae est extrinseca generationi, generans adiuvatur etiam ab aliis agentibus. Statim autem atque haec alteratio eo usque pervenerit, ut novae dispositiones inductae sint incompossibiles cum forma compositi corrumpendi et prorsus conformes illis, quas exigit forma compositi generandi: materia prima recipiet influxum virtutis naturalis activae generantis, et determinabitur secundum formam eiusdem speciei cum forma generantis, id est fiet novum compositum corporeum, corrupto anteriore.

Prob. min. Educere formas de potentia materiae est ita determinare materiam, iam sub alia forma praeexistentem, ad novam formam, ut haec determinatio a virtute agentis naturalis in linea causae secundae *adaequate* procedat. Atqui, si forma esset per se subsistens, haec determinatio non posset *adaequate* procedere a naturali agente in linea causae secundae; quia forma per se subsistens, utpote habens esse proprium independenter a materia, nequit produci nisi per crea-

tionem, quae est opus solius Causae primae, nempe Dei. Ergo in generatione solae formae non per se subsistentes educuntur de potentia materiae.

II. Confirmatur ex S. Thoma (qq. dd. *de Potentia* q. 3. a. 8). «Circa « istam quaestionem diversae fuerunt opiniones. Quarum omnium vi- « detur radix fuisse unum et idem principium, secundum quod natura « non potest ex nihilo aliquid facere: ex hoc enim aliqui crediderunt, « quod nulla res fieret aliter nisi per hoc quod extrahebatur a re alia « in qua latebat, sicut de Anaxagora narrat Philosophus (in 1. Phys. « com. 32. et 33.), qui ex hoc videtur fuisse deceptus, quia non di- « stinguebat inter potentiam et actum; putabat enim oportere quod « actu praeextiterit illud quod generatur. Oportet autem quod prae- « existat potentia, et non actu: si enim non praeexisteret potentia, « fieret ex nihilo; si vero praeexisteret actu, non fieret; quia quod « est, non fit.

« Sed quia res generata est in potentia per materiam et in actu « per suam formam; posuerunt aliqui quod res fiebat quantum ad « formam, materia praeexistente. Et quia operatio naturae non potest « esse ex nihilo, et per consequens oportet quod sit ex praesupposi- « tione, non operabatur secundum eos natura, nisi ex parte materiae « disponendo ipsam ad formam. Formam vero, quam oportet fieri et « non praesupponit aliquid, sed potest ex nihilo facere; et hoc est « agens supernaturale, quod Plato posuit datorem formarum. Et hoc « Avicenna dixit esse intelligentiam ultimam inter substantias sepa- « ratas. Quidam vero moderni eos sequentes, dicunt hoc esse Deum. « Hoc autem videtur esse inconveniens. *Quia, cum unumquodque na-* « *tum sit simile sibi agere*, nam unumquodque agit in eo quod actu « est, hoc scilicet quod est in potentia id quod agendum est (i. e. « causa efficiens est in actu vel formaliter vel eminenter id quod « effectus producendus est in potentia); *non requireretur similitudo* « *secundum formam substantialem in agente naturali, nisi forma* « *substantialis geniti esset per actionem agentis.* Ex quo etiam id « quod in genito acquirendum est, actu in generante naturali inve- « nitur, et unumquodque agit secundum quod actu est; inconveniens « videtur, hoc generante praetermisso, aliud exterius inquirere.

« Unde sciendum est, quod istae opiniones videntur provenisse ex « hoc quod ignorabatur natura formae, sicut et primae provenerunt « ex hoc, quod ignorabatur natura materiae. Forma enim naturalis « non dicitur univoce esse cum re generata. Res enim naturalis ge- « nerata dicitur esse per se et proprie, quasi habens esse, et in suo « esse subsistens; forma autem non sic esse dicitur, cum non subsi-

« stat, nec per se esse habeat; sed dicitur esse vel ens, quia *ea aliquid est;* sicut et accidentia dicuntur entia quia substantia eis est « vel qualis vel quanta, non quod eis sit simpliciter sicut per formam « substantialem: unde accidentia magis proprie dicuntur entis, quam « entia, ut patet in Metaphysica (lib. 7. com. 2.). Unumquodque autem « factum, hoc modo dicitur fieri, quo dicitur esse. Nam esse est terminus factionis: unde illud, quod proprie fit per se, compositum « est. Forma autem non proprie fit, sed est id quo fit, idest per cuius « acquisitionem aliquid dicitur fieri. Nihil ergo obstat per hoc quod « dicitur quod per naturam ex nihilo nihil fit, quin formas substantiales ex operatione naturae esse dicamus. Nam id quod fit non est « forma sed compositum; *quod ex materia fit et non ex nihilo.* Et « fit quidem ex materia, inquantum materia est in potentia ad ipsum « compositum per hoc quod est in potentia ad formam. Et sic non « proprie dicitur quod forma fiat in materia, *sed magis quod de materiae potentia educatur.* Ex hoc autem ipso, quod compositum fit « et non forma, ostendit Philosophus (in VII, Metaph. text. 26. et 27.) « quod formae sunt ex agentibns naturalibus. Nam, cum factum oporteat esse simile facienti, ex quo id quod factum est, est compositum, oportet id quod est faciens esse compositum, et non forma « per se existens, ut Plato dicebat; ut sic, sicut factum est compositum, quo autem fit est forma in materia in actum reducta, ita « generans sit compositum non forma tantum: sed forma sit quo generat: forma, inquam, in hac materia existens, sicut in his carnibus « et in his ossibus et in aliis huiusmodi. »

III. **Declaratur exemplo.** Sicut in ordine accidentali, per hoc dicitur fieri rotunditas in cera, quod cera, quae erat prius sub alia figura, ita tractatur et immutatur ab agente exteriori, puta a digitis, ut constituatur actu secundum rotunditatem, ad quam erat in potentia, dum esset sub alia figura; ita in ordine substantiali tunc dicitur fieri forma in materia, quando materia, quae erat prius sub alia forma substantiali, ita transmutatur ab agente naturali, sub cuius influxu sufficienter est constituta, ut constituatur actu secundum novam formam substantialem, ad quam erat in potentia, dum esset sub alia forma. Et quemadmodum agens exterior causat formam accidentalem similem formae, secundum quam ipsum vel *formaliter* vel *eminenter actuatur,* sicut apparet ex. gr. in nummis, in quibus imago Caesaris imprimitur a sigillo iam actuata secundum illam; ita agens naturale causat in materia formam substantialem similem illi, secundum quam ipsum primo et simpliciter actuatur. Itaque forma non ex seipsa est aliquid, quod terminet actionem agentis et dein materiae uniatur; non enim

ex. gr. prius fit rotunditas et deinde ponitur in cera, sed actio agentis terminatur ad proprium compositum, quod proprie fit, forma autem educitur ex ipsa materia (forma quidem substantialis ex ipsa materia prima, forma autem accidentalis ex materia secunda nempe a corpore in suo esse substantiali iam constituto), prouti materia cogitur ab agente proportionato exire in actum cuius est capax, sicut rotunditas educitur a cera et figura Caesaris a nummo: unde s. Thomas (in 1. p. q. 90. a. 2. ad 2um) ait: « Actum extrahi de potentia materiae, nihil aliud est, quam aliquid fieri in actu, quod prius erat in potentia (non mere obiectiva sed subiectiva et reali). »

IV. **Breviter.** Ad eductionem formae de potentia materiae, tria requiruntur: 1° ut materia praesupponatur; 2° ut contineat in sua potentia formam producendam; 3° ut concurrat ad ipsum fieri formae *hoc sensu*, quod agens non producat eam nisi dependenter a materia concurrente per modum subiecti praesuppositi ad eius actionem. Atqui haec tria verificantur in generatione formarum non per se subsistentium; quia 1° Materia praeexistit in composito corrumpendo; 2° forma non per se subsistens adaequate dicit ordinem ad materiam, a qua tanquam a principio potentiali totaliter *quoad esse* dependet, cum non habeat operationem quae transcendat principia materialia (cfr. praenot. 4.); et ideo 3° materia debet concurrere ad ipsum fieri formae, quae ne quidem per accidens fieri potest ab agente nisi ad effectionem compositi: compositum autem fit eo ipso quod materia recipit influxum generantis, quatenus agit naturaliter secundum suam formam substantialem. Ergo in generatione formae non per se subsistentes educuntur de potentia materiae.

OBIECTIONES.

45. Quamplurimas difficultates propositas et solutas habes in locis citatis S. Thomae, praesertim in QQ. dd. *de Potentia* q. 3. a. 8. et 11. Eas facili negotio solves, si prae oculis habeas hucusque dicta in hac nostra Quaestione et praesertim in Praenotionibus huius Thesis. Attamen nonnullas afferemus et solvemus in forma dialectica.

Obiect. 1ª. Id quod non habet materiam partem sui, non potest ex materia fieri. Sed formae non habent materiam partem sui: quia forma distinguitur et contra materiam et contra compositum. Ergo, cum formae fiant, quia de novo esse incipiunt, videtur quod non fiant ex materia; et sic fiunt ex nihilo, et per consequens creantur.

Resp. *Dist. mai.* Non potest fieri ex materia tamquam ex principio intrinsece constitutivo sui, *Conc.* non potest educi ex potentia ma-

teriae, quod est eius fieri per accidens, *Nego. Conc. min.* et *nego cons.* « Ad sextum dicendum, quod ex hoc quod forma non habet materiam « partem sui, sequeretur quod ei creari competeret, si proprie fieri « posset sicut res per se subsistens. » (*de Pot.* q. 3. a. 8.).

Obiect. 2ª. Nihil educitur de aliquo, quod non est in eo. Sed ante finem generationis forma, quae est generationis terminus, non erat in materia; alias essent formae contrariae in materia simul. Ergo formae naturales non educuntur de materia.

Resp. *Dist. mai.* Nihil educitur de aliquo, quod non est in eo aliquo ex modis indicatis in Praenotionibus, nempe vel tamquam res existens in re existente, ut pecunia in arca, vel tamquam effectus in causa sive efficiente, sive finali, sive materiali, ut actus in potentia sibi adaequate proportionata ante influxum causae efficientis; *Concedo.* Tantummodo tamquam res existens in re exitente, *Nego. Distinguo primam partem Minoris.* Forma est generationis terminus *inadaequatus et per accidens; Concedo: Adaequatus et per se, Nego;* quia integrum compositum est terminus proprius, adaequatus et *per se* generationis. *Dist. secundam partem minoris.* Forma ante finem generationis non erat in materia tamquam res existens in re existente, *Conc.* tamquam actus in potentia sibi adaequate proportionata ante influxum causae efficientis, *Nego et nego conseq.* Quemadmodum in probatione diximus, formam praecontineri in materia non importat aliud nisi materiam praeexistentem sub alia forma esse subiectum aptum, quod actuetur ab ea tamquam ab eius mera determinatione prima, si subdatur actioni agentis naturalis proportionati. « Ad octavum dicendum, quod forma, « quae est generationis terminus (inadaequatus), erat in materia ante « generationem completam, non in actu sed in potentia. Non est autem « inconveniens duorum contrariorum unum esse actu et aliud in po- « tentia ». (*de Pot.* ibid.).

Obiect. 3ª. Si forma aliquo modo est in materia ante terminum generationis, est ibi secundum aliquid sui. Si autem non est ibi complete secundum aliquid sui, non praeexistit. Habet ergo forma aliquid et aliquid, et sic non est simplex; cuius contrarium in libro sex principiorum habetur.

Resp. *Dist. mai.* Si esset in materia tanquam pars in toto, *Conc.*, si est in materia eo modo, quo dicitur esse actus in potentia, quam nullatenus excedit, et a qua proinde pendet in suo esse, ante infíxum agentis, *Nego. Dist. min.* Non praeexistit per existentiam propriam, *Conc.*, non praeexistit per existentiam potentiae, a qua pendet in suo esse, quaeque sub alia forma praeexistit per esse compositi, *Nego, et nego conseq.* « Ad decimum dicendum, quod forma praeexistit in materia imper-

« fecte; non quod aliqua pars eius sit ibi in actu, et alia desit; sed « quia tota praeexistit in potentia, et postmodum tota producitur in « actu. » (*de Pot.* ibid.). Id quod non est aliud, nisi *determinatio alterius*, totam rationem sui esse habet ab eo, tamquam a causa materiali, et a producente compositum, tamquam a causa efficiente. Ita fiet, ut resultet in actu *subiectum determinatum*, nempe compositum corporeum existens, ex. gr. aliquis ursus vel aquila.

Obiect. 4ª. In natura inferiori non invenitur aliquod activum principium, nisi accidens: nam ignis agit per calorem, qui est accidens; et similiter de aliis. Sed accidens non potest esse causa activa formae substantialis, quia nihil agit ultra suam speciem; effectus autem non praeeminet causae, cum tamen forma substantialis praeemineat accidenti. Ergo forma substantialis non producitur per actionem naturae inferioris; et ita oportet, quod sit per creationem.

Resp. *Dist. mai.* Est principium activum *quod*, *Nego*, est principium activum *quo*, *Subdist.* Proximum, *Conc.*, remotum, *Nego. Dist. min.* Si accidens non ageret instrumentaliter, *Conc.*, si accidens agit instrumentaliter in ratione *principii quo proximi* operationis naturalis, *Nego, et Nego conseq. Principium quod* est ipsum generans, *principium quo remotum* est eius forma substantialis, *principium quo proximum* sunt varia accidentia, quae in generatione agunt instrumentaliter in virtute formae substantialis. « Ad decimumtertium dicendum, quod forma ac« cidentalis agit in virtute formae substantialis, quasi instrumentum « eius; sicut etiam in 2°. de Anima (com. 50.) calor ignis dicitur « esse instrumentum virtutis nutritivae; et ideo non est inconveniens, « si actio formae accidentalis ad formam substantialem terminetur. » (ibid.).

Obiect. 5ª. Imperfectum non potest esse causa perfecti. Sed in semine bruti animalis vel plantae non est vis animae nisi imperfecte. Ergo anima bruti vel plantae non producitur per actionem naturalem virtutis seminalis: et ita oportet quod sit per creationem, et pari ratione omnes aliae formae naturales.

Resp. *Dist. mai.* Si imperfectum agat virtute propria, *Conc.*, si agat in virtute alicuius perfecti, *Nego. Dist. min.* Virtus in semine fuit immediate impressa ab ipso generante, puta ab arbore, quando semen nondum fuerat decisum ab illo, *Conc.* virtus in semine non processit ab ipso generante, *Nego, et nego consequens.* Quamvis in semine materia nondum sit actuata a forma, quae respondere debet ultimo generationis termino, tamen ante decisionem seminis, a generante, materia accepit immediatum generantis influxum, qui perseverat in semine et ad ultimam perfectionem perveniet per adiumentum etiam

exteriorum agentium. Ex. gr. materia ovi gallinacei accepit influxum immediatum virtutis generantis antequam ovum foecundatum emitteretur a gallina, et non requirit sub forma ovi emissi nisi extrinseca fomenta determinati processus caloris ad hoc ut actuetur a forma quae respondere debet ultimo generationis termino: quo in termino habebitur pullus gallinaceus. « Ad decimumquartum dicendum, quod « etiam in semine calor seminis agit ut instrumentum virtutis ani- « mae, quae est in semine: quae quidem licet imperfecta sit, tamen « est impressio quaedam animae perfectae relicta: est enim in semine « ab anima generantis, et agit etiam in virtute corporis coelestis, « cuius est quasi instrumentum: et propter hoc non dicitur quod « semen generet, sed quod anima et sol. » (*de Pot.* ibid.) Quae ultima verba de influxu corporis coelestis non debent accipi nisi eo sensu, ut sol ex. gr. tamquam agens extrinsecum per calorem, electricitatem et alias qualitates activas dicatur concurrere ad eas alterationes producendas in corpus corrumpendum, sine quibus non posset disponi materia ad recipiendum influxum generantis. Ea vero quae obiiciuntur ex generatione animalium imperfectorum ex putrefactione, nullam amplius facessunt difficultatem. Recentiora enim Scientiae Naturalis inventa demonstrant per accuratissima experimenta nullam dari generationem viventis a vivente nisi per semina et ova, quibus noster planeta est refertus adeo ut vel in minima gutta aquae plura eorum millia deprehendi possint. Cfr. Pasteur, *Annales des Sciences Naturelles*, 1861, T. XVI. p. 5. et seqq.

Obiect. 6ª. Esse est per creationem. Hoc autem non esset, nisi formae crearentur: nam forma est essendi principium. Ergo forma est per creationem.

Resp. *Dist. mai.* Esse, quod non praesupponit praeexistentem potentiam subietivam, *Conc.*, esse quod praesupponit potentiam subiectivam praeexistentem, *Subdist.* Est per creationem hoc sensu quod omnis causa secunda dans esse composito generato, hoc habet in quantum agit in virtute primae Causae creantis, *Conc.,* hoc sensu, quod primo ponatur extra causas potentia subiectiva compositi generati, *Nego.* — *Dist. min.* Si formae essent per se subsistentes, *Conc.*, secus, *Nego.* — *Dist. rationem additam:* forma est essendi principium, *ut quo* compositum est, *Conc.* potest se habere etiam *ut quod*, *Subdist.* Si sit forma per se subsistens ut anima humana, *Conc.*, si non sit forma per se subsistens, *Nego.* « Ad decimumnonum dicendum, quod esse per creationem dicitur, in quantum omnis causa secunda dans esse, hoc habet in quantum agit in virtute primae causae creantis, cum esse sit primus effectus nihil aliud praesupponens. » (*de Pot.* ibid.). Cae-

terum haec fient clariora ex iis, quae de divino concursu ad omnes creaturarum operationes requisito suo loco dicenda sunt. Interim cfr. S. Thom. C. G. lib. 3. c. 66.

THESIS XVII.

In generatione hominis anima rationalis non educitur de potentia materiae sed creatur immediate a Deo.

PROBATUR.

46. I. Quidquid habet esse *ut quod* ita ut non sit intrinsece compositum ex actu substantiali et pura potentia subiectiva, sed sit simplex actus per se subsistens, nequit produci nisi per proprie dictam creationem, quae est opus immediatum solius Dei. Atqui huiusmodi est anima rationalis. Ergo in generatione hominis anima rationalis non educitur de potentia materiae, sed creatur immediate a Deo.

Prob. mai. Ideo aliquid, quod habet esse *ut quod* produci potest per generationem, quia cum sit compositum in linea suae essentiae ex actu et potentia subiectiva, potuit eius potentia subiectiva praeexistere sub alia forma, antequam ipsum generaretur; cuiusmodi sunt omnia corpora corruptibilia. Sed impossibile est, ut id quod est simplex actus per se et proprie subsistens fiat ex aliqua potentia subiectiva praeexistente; quia esset simul actus per se subsistens et non esset. Ergo contradictorium esset dicere actum, cui competit esse *ut quod*, produci posse per generationem sive *per accidens*, sive *per se*. Nam *per accidens* generantur actus, quibus non competit esse proprium ut *quae sunt*, sed ut *quibus* compositum proprie est, ac proinde non existunt nisi per esse compositi. *Per se* autem generantur ipsa entia composita intrinsece ex actu et potentia subiectiva in linea essentiae. Ergo omnis actus simplex per se subsistens necessario produci debet immediate a Deo per creationem, quae est *productio rei ex nihilo sui et subiecti.*

Prob. min. Anima humana est talis forma, quae virtute continens omnes perfectiones formarum inferiorum, excedit illas et omnia principia materialia, eo quod est principium operationis, cui non communicat corpus, nempe operationis intellectivae. Sed id quod habet propriam operationem prorsus independentem a materia, habet esse proprium et prorsus independens a materia; quia operari sequitur esse. Ergo anima humana ita est forma corporis humani, ut habeat proprium et *per se esse* ratione cuius ei competit esse *etiam ut quod* in ratione simplicis actus per se subsistentis. Sed id, cui competit esse ut quod in ra-

tione actus per se subsistentis, nequit produci nisi per creationem. Ergo in generatione hominis anima humana non educitur de potentia materiae per virtutem proportionatam et sufficientem naturalis agentis, sed creatur immediate a Deo.

II. Illa forma educitur de potentia materiae, quae cum sit mera determinatio materiae, pendet quoad suum esse tanquam a causis secundis adaequatis, a materia prima tamquam a causa materiali et a generante tamquam a causa efficiente; cuius generantis efficientia, quemadmodum omnes efficientiae agentium naturalium, non potest extendi ultra immutationem subiecti iam praeexistentis *in novam determinationem mere materialem.* Atqui anima humana, utpote essentialiter intellectiva, non est mera determinatio materialis; sed excedit tum materiae capacitatem tum naturalium agentium virtutem. Ergo anima rationalis nequit educi de potentia materiae; et ideo creari postulat immediate a Deo.

Nota. De hac re agit S. Thomas in 1. p. q. 90. a. 2. q. 118. a. 2. in 2.um Sent. dist. 18. q. 2. a. 1. — Contra Gent. Lib. 2. cap. 86. 87. 88. 89. — *De Pot.* q. 3. a. 9. — Quodlib. 12. a. 10. — Quibus in locis quamplures obiectiones propositas et solutas invenies.

OBIECTIONES.

47. **Obiect. 1a.** Omne agens agit sibi simile. Sed omne agens naturale agit per virtutem formae. Ergo illud quod agit agens naturale est forma. Sed generans est agens naturale. Ergo forma generati est per actionem generantis. Cum ergo homo generet hominem, et anima rationalis sit forma hominis, haec generatur, non creatur.

Resp. *Conc. maior.* — *Dist. min.* tanquam *per principium quo* remotum, *Conc.* — tamquam per *principium quo proximum, Nego* — *Dist. prim. conseq.* Id quod agens naturale causat *per accidens* est forma, *Conc.* — id quod agens naturale causat *per se* est forma, *Nego;* quia totum compositum est id quod *per se* fit. — *Concedo secundam minorem. Dist. secund. conseq.* Forma quae *per accidens* fit, est per actionem generantis, *Conc.* — Forma, quae exigit fieri *per se, Nego* — *et nego tertium consequens.* — « Ad 5um dicendum quod homo « generans generat sibi simile in specie per virtutem formae suae, « scilicet animae rationalis; non quod ipsa sit immediatum principium in generatione humana agens, sed quia vis generativa, et ea « quae in semine agunt, non disponerent materiam ut fieret corpus « perfectibile anima rationali, nisi quatenus agerent ut instrumenta « quaedam rationalis animae. Et tamen ista actio non potest pertin-

« gere ad factionem animae rationalis, rationibus praedictis ». S. Thomas, *De potentia*, q. 3. a. 9.

Obiect. 2ª. Causa efficiens univoca incidit in idem specie cum suo effectu. Sed homo sortitur speciem per animam rationalem. Ergo id quod facit homo generans in genito est anima rationalis.

Resp. *Concedo maior. et minor. — Dist. conseq.* Homo generans in genito facit animam rationalem hoc sensu, quod ratione suae formae per cuius virtutem agit, disponit materiam ita, ut haec exigat informari anima rationali, *Conc.* — hoc sensu, quod producat ipsam animam rationalem, *Nego.* « Ad sextum dicendum, quod generans generat sibi « simile in specie, in quantum generatum per actionem generantis pro- « ducitur ad participandam speciem eius; quod quidem fit per hoc « quod generatum consequitur formam similem generanti. Si ergo « forma illa non sit subsistens, sed esse suum sit solum in hoc quod « uniatur ei cuius est forma, oportebit quod generans sit causa ipsius « formae, sicut accidit in omnibus formis materialibus. Si autem sit « talis forma, quae subsistentiam habeat, et non dependeat esse suum « totaliter ex unione ad materiam, sicut est in anima rationali, tunc « sufficit quod generans sit causa unionis talis formae ad materiam « per hoc quod disponit materiam ad formam; nec oportet quod sit « causa ipsius formae ». S. Thom. ibid.

Obiect. 3ª. Homo est homo per animam rationalem. Si ergo anima non exit in esse per generationem, nec erit verum dicere quod homo generetur; quod patet esse falsum.

Resp. *Concedo antec. Dist. conseq.* Si anima rationalis non crearetur in materia ad exigentiam dispositionis inductae in materia ab homine generante, *Conc.* — si anima creatur ad exigentiam huius dispositionis, *Nego.* « Ad 19ᵐ dicendum, quod licet anima rationalis « non sit a generante, unio tamen corporis ad eam est quodammodo a « generante, ut dictum est. Et ideo homo dicitur generari. » S. Th. ibid.

Obiect. 4ª. Corpus hominis exit in esse per actionem generantis. Si ergo anima non exit in esse a generante, erit in homine duplex esse: unum corporis, quod facit generans; et aliud animae, quod non facit; et sic ex anima et corpore non fit unum simpliciter, cum secundum esse differant.

Resp. *Dist. antec.* Corpus hominis exit in esse per actionem hominis generantis quantum ad dispositionem materiae, et per actionem Dei creantis quantum ad creationem animae in materia, *Conc.*, per actionem generantis tantum, *Nego.* Etenim eo ipso quod dicimus *corpus humanum* iam includimus in eo animam rationalem, quae essentialiter est eius forma et sine qua corpus non esset corpus humanum in actu sed

in potentia plus minusve remota. — *Nego conseq.* « Ad 20[um] dicen- « dum, quod pro tanto in homine non est duplex esse quia non est sic « intelligendum corpus esse a generante et animam a creante, quasi « corpori acquiratur esse separatim a generante, et separatim animae « (acquiratur esse) a creante; sed quia creans dat esse animae in cor- « pore, et generans disponit corpus ad hoc ut huius esse sit particeps « per animam sibi unitam. » S. Th. ibid.

Obiect. 5[a]. Impossibile est ut actio unius agentis terminetur ad materiam, et alterius ad formam; alias ex forma et materia non esset unum simpliciter, cum unum factum sit per unam actionem. Sed actio naturae generantis terminatur ad corpus. Ergo terminatur etiam ad animam rationalem, quae est forma corporis humani.

Resp. *Dist. mai.* Si essent duo agentia omnino disparata, *Conc.*, si sunt duo agentia subordinata, *Neg. Dist. min.* idest terminatur ad compositum, *Conc.*, ad solam materiam, *Nego. Dist. cons.* Actio generantis terminatur ad animam ut producendam a Deo per creationem, *Conc.*, ut producendam ab ipso generante, *Nego.* « Ad 21[um] dicendum « quod duo agentia omnino disparata non possunt hoc modo se ha- « bere quod actio unius terminetur ad materiam, et alterius ad for- « mam; hoc tamen contingit in duobus agentibus ordinatis, quorum « unum est instrumentum alterius. Actio enim principalis agentis se « extendit quandoque ad aliquid ad quod non potest se extendere « actio instrumenti. Natura autem est sicut instrumentum quoddam « divinae virtutis, ut supra, art. 8. ad 16. arg., et art. 7. in corp. « ostensum est. Unde non est inconveniens, si virtus divina sola fa- « ciat animam rationalem, actione naturae solum se extendente ad « disponendum corpus ». S. Th. ibid.

Obiect. 6[a]. Materia prima est in potentia etiam ad animam rationalem. Sed omnis actus, ad quem materia est in potentia, dicitur praeexistere in potentia materiae, a qua educi dicitur quando generatur compositum ex materia et illa forma. Ergo etiam anima rationalis educitur de potentia materiae.

Resp. *Dist. mai.* Materia prima est in potentia ad animam rationalem ut ad meram sui determinationem, *Nego,* ut ad formam determinantem et excedentem materiam, quam anima rationalis proprio esse actuat et excedit, *Conc. Dist. min.* Dicitur praeexistere in potentia materiae et ab ea educi ille actus, qui est mera determinatio materiae, a qua pendet ut sit, cum non habeat aliud esse nisi compositi resultantis, *Conc.* — Dicitur praeexistere in potentia materiae et ab ea educi ille actus, qui non est mera determinatio materiae, sed ita habet esse proprium, ut per eius esse tum materia tum compositum existant, *Nego.*

Obiect. 7ª. Materia et forma sunt sibi invicem causa. In homine autem anima est forma. Ergo materia utpote causa materialis debet praecontinere in sua potentia animam rationalem, quae idcirco quando fit educitur de potentia materiae.

Resp. *Dist. mai.* Materia et forma sunt sibi invicem causa, si spectetur eorum *unio, Nego;* nam ambo indigent causa efficiente, ab ipsis distincta, ut uniantur. Si spectetur eorum *entitas, Subdist.* Materia et forma sunt sibi invicem causae, quando tum materia pendet a forma, tum forma pendet a materia ad hoc ut sint per esse compositi, *Conc.*, quando forma utpote capax proprii esse non pendet a materia ad hoc ut sit per esse compositi, *Nego. Dist. min.* Anima rationalis est forma independens a materia in essendo, utpote capax proprii esse, *Conc.*, est forma dependens a materia in essendo, *Nego*, et *Nego conseq.*

TRACTATUS SECUNDUS

DE PROPRIETATIBUS COMMUNIBUS CORPORUM.

QUAESTIO V.

DE QUANTITATE.

48. **Quid sit quantitas.** *Quantitas est accidens extensivum substantiae materialis*, videlicet est accidens cuius *formalis effectus* est tribuere substantiae materiali ut habeat partes extra partes continuas, et consequenter ut subiectum extensum *sit divisibile* in partes eiusdem rationis. Quocirca

Quantum continuum definitur ab Aristotele (1): *quod est divisibile in ea quae insunt, quorum utrumque aut singulum unum quid et quodquid aptum est esse.* Videlicet quantum seu totum continuum est tale ens, quod in unitate sui esse exhibet realitatem suam extensam in aliquam magnitudinem molis, cuius extensionis magnitudinalis proprium sit, ut corpus ipsa affectum sit divisibile in minora extensa, quae, divisione peracta, evadant et ipsa tota continua videlicet talia, quae habendo proprium esse et proprios terminos sint divisibilia in extensa adhuc minora, quae et ipsa, divisione peracta, evadant *tota extensa* seu *quanta stricte dicta*, atque ita sine fine.

Corollarium. *Corpus quantum quantitate continua est unum actu et multiplex potentiâ.* Etenim quum ens eo modo sit unum, quo est indivisum, substantia materialis extensa seu affecta quantitate continua, videlicet corpus physicum quantum, remanet unum simpliciter et per se, donec eius partes quantitativae non sunt actu ab invicem divisae, sed communi termino continuatae perseverant. Quod si actuali divisione separentur, puta si tabula dissecetur in quatuor partes, resultabunt *plura corpora simpliciter,* puta quatuor tabulae; et unum secundum quid, *unitate aggregationis*, puta unum aggregatum ex quatuor tabulis, quae quantitas dicitur *discreta*, utpote resultans ex disgregatione alicuius quanti continui. Quapropter ita est unum actu

---

(1) Metaph. lib. 5. cap. 13.

ut sit multiplex potentia. Quae corporis quanti ratio exhibetur definitione Aristotelis aientis: Quantum dicitur id « quod est divisibile in ea « quae insunt, quorum utrumque aut singulum unum quid et quod- « quid aptum est esse ».

Quantitas discreta. Multitudo quae resultat ex divisione seu disgregatione unius corporis continui in multas partes ab invicem seiunctas constituit quantitatem discretam. Et ideo

Quantum discretum dicitur ab eodem Aristotele: « Quod est di- « visibile secundum potentiam in partes non continuas, seu quae ante « divisionem erant realiter divisae. » Unde quantitas discreta *non est divisibilis secundum rem*, quippe quae est iam realiter divisa, sed solum *secundum rationem*, nempe per operationem intellectus componentis et dividentis. Et sane, quantitas discreta importat *multitudinem*. Porro multitudo non praecedit, sed *sequitur divisionem*.

Contigua dicuntur *ea quorum extrema sunt simul* (Arist. Physic. lib. VI. c. 1). Sic duo solida, quorum unumquodque propriis superficiebus terminatur, cum ita iunguntur, ut superficies unius immediate tangat superficiem alterius, dicuntur *contigua*. Similiter duae superficies e. g. duo quadrata, quarum unaquaeque propriis lineis terminatur, dicuntur contiguae cum aliqua lateralis linea unius immediate contingit lateralem lineam alterius. Item duae lineae, quarum unaquaeque propriis punctis extremis terminatur, si immediate per alterutram ex suis extremitatibus seu punctis contingantur, dicuntur contiguae.

Continua dicuntur *ea quorum extrema sunt unum*, (Arist. ibid.) videlicet ea quae carent limitibus seu extremitatibus propriis quibus immediate tangantur et mutuo contactu coniungantur, sed plena et nullo limite interrupta continuatione constituunt aliquod unicum totum extensum, quod unice limitibus seu extremitatibus propriis gaudet.

Termini seu limites quantitatis continuae sunt superficies respectu solidi, lineae respectu superficiei, puncta respectu lineae. *Formaliter* sub ratione limitis important privationem ulterioris expansionis corporis continui. *Realiter* autem, quemadmodum quilibet terminus intrinsecus, non sunt formaliter negationes sed sumunt positivam entitatem ab eo cuius dicuntur extrema nempe a quantitate continua. Sunt igitur accidentia substantiae quantae, sed non sunt positive distincta ab ipsa magnitudine, quae etiam est accidens substantiae quantae, quaeque iis terminatur; denotant autem *in recto* hanc ipsam magnitudinem, connotando simul privationem secundum quam ulterius non extenditur. Cum igitur solidum ibi cesset expandi

ubi habet superficiem, haec erit eius terminus actualis; superficies autem cum ibi cesset expandi ubi adest linea, haec erit terminus superficiei; cum tandem linea sistat in puncto, punctum erit terminus lineae.

Corollarium. *Ex triplici termino quantitatis continuae resultant tres species in genere eiusdem quantitatis,* nempe longitudo, latitudo et profunditas, quae Aristoteles (III. Metaph. cap. 8.) sic describit: « Magnitudinis, quae quidem ad unum continua est, longitudo; quae « vero ad duo, latitudo; quae autem ad tria, profunditas est ». Sub prima specie sunt lineae, sub secunda superficies, sub tertia sunt solida.

Corpus physicum, quod solum existere potest in rerum natura in ratione corporis actualis, est substantia materialis cui competit trina dimensio.

Corpus mathematicum est ipsa trina dimensio. Haec autem naturaliter existere nequit abstracta a qualibet substantia materiali. Non enim potest actu dari corpus solidum quod non sit vel aurum, vel argentum, vel lignum etc. *Limes corporis mathematici* est bina dimensio, nempe superficies. *Limes superficiei* est una dimensio nempe linea. *Limes lineae* est punctum, quod nullam habet dimensionem, sed est merus limes (1).

Termini quantitatis continuae sunt indivisibiles sub ea ratione sub qua sunt termini, et ideo alii sunt simpliciter indivisibiles alii tantum secundum quid. Nam indivisibilia in genere quantitatis sunt ea quae in partes dividi nequeunt. Quapropter superficies, quamvis non posset dividi in partes solidi, cum non sit extensa secundum profunditatem, potest tamen dividi in partes superficiei, cum sit estensa secundum latitudinem. Similiter linea, quamvis non possit dividi in partes superficiei, cuius est limes, potest tamen dividi in

---

(1) Varias species quantitatis enumerat S. Th. ex Aristotele (in V. Metaph. Lect. 15): « Ponit (Philosophus) species quantitatis: inter quas primae sunt duae: scilicet mul- « titudo sive pluralitas, et magnitudo sive mensura. Utrumque autem eorum habet « rationem quanti, inquantum multitudo numerabilis. Mensuratio enim propria per- « tinet ad quantitatem. Definitur autem multitudo sic. Multitudo est, quod est divi- « sibile secundum potentiam in partes non continuas. Magnitudo autem quod est « divisibile in partes continuas. Quod quidem contingit tripliciter: et secundum hoc « sunt tres species magnitudinis. Nam, si sit divisibile secundum unam tantum di- « mensionem in partes continuas, erit longitudo. Si autem in duas, latitudo. Si autem « in tres, profunditas. Ulterius autem, quando pluralitas vel multitudo est finita, « dicitur numerus. Longitudo autem finita, dicitur linea. Latitudo finita, corpus. Si « enim esset multitudo infinita, non esset numerus; quia quod infinitum est, numerari « non potest. Similiter, si esset longitudo infinita, non esset linea. Linea enim est « longitudo mensurabilis. Et propter hoc in ratione lineae ponitur, quod eius extre- « mitates sunt duo puncta. Simile est de superficie et corpore ».

partes lineae, cum sit extensa secundum longitudinem. Punctum tandem, cum sit limes lineae, non potest dividi in lineas sed neque secundum aliam dimensionem est divisibile, cum non supersit alia dimensio secundum quam punctum sit divisibile. Itaque punctum est *indivisibile simpliciter*, superficies et linea sunt *indivisibilia secundum quid.*

Indivisibilia qua indivisibilia non sunt partes continui quia limes non est pars, sed est terminus tum totius tum partium; neque sunt aliquid extra continuum, cui superaddantur ad illud concludendum, sicut anphora concludit aquam vel circulus ferreus rotam ligneam, sed sunt accidentia continui, nempe sunt ipsum continuum quatenus ulterius non extenditur.

Indivisibilia actualia sunt ea quae actu inveniuntur in continuo. Huiusmodi sunt termini seu limites, quibus actu terminatur aliquod totum extensum integrum. Ex. gr. si suminus unum solidum dimensionum cubicarum, inveniemus in eo sex indivisibilia actualia secundum profunditatem videlicet sex superficies quadratas, quibus terminatur solidum cubicum, duodecim indivisibilia actualia secundum latitudinem, videlicet duodecim lineas quibus terminantur sex superficies et simul copulantur, octo indivisibilia actualia simpliciter indivisibilia, videlicet puncta terminantia et copulantia lineas.

Indivisibilia potentialia non sunt actuales termini quantitatis continuae, sed sunt termini designabiles vel mente, vel manu, vel alio modo in aliquo toto continuo: puta, si mente fingam lineam dividentem quamdam superficiem continuam e. g. discum in duas partes. Cum discus actu non sit divisus, eius medietates obiective non limitantur ulla linea. Et ideo huiusmodi lineae quae non sunt nisi potentialiter in superficie vocantur indivisibilia potentialia. Simile dicatur de punctis imagiuatis respectu sive lineae, sive superficiei, sive solidi, et de superficiebus imaginatis respectu solidi. Indivisibilia potentialia vocantur etiam continuantia quia ipsis imaginamur partes continuari et connecti inter se in toto extenso. Manifestum est nos in praesenti quaestione agere de indivisibilibus in genere quantitatis, quae reductive pertinent ad hoc praedicamentum, non autem de indivisibilibus, quae sunt extra praedicamentum quantitatis qualia sunt substantiae spirituales.

Ratio fomalis partium totius continui consistit in hoc ut integrent totum ita ut careant proprio esse et propriis terminis actualibus adeoque non possint accipi per se actualiter ut stricto sensu quantae in toto, sed solum potentialiter. Etenim quando totum est actu divisum in plura, haec non sunt amplius partes, sed plura tota;

quando autem totum est indivisum, partes non sunt actu quantae stricto sensu, quum non habeant singulae proprium esse et proprios terminos actuales, sed habeant esse et terminos totius. Quare dici debent et sunt plura quanta solum in potentia, quum actu unum quantum sit solum totum. Si secus quis diceret, confunderet partes corporis *continui* cum partibus corporis *discreti*.

Partes continui educi possunt in ratione quanti de potentia in actum vel realiter et simpliciter vel apparenter et secundum quid. Primum fit per realem scissionem, ut cum scinditur lignum in duas vel plures partes. Secundum fit per designationem vel *mentalem* tantum, ut cum supponimus tellurem dividi in duas partes a linea aequatoriali; vel *sensibilem*, puta cum aliqua sphaera ex una parte illuminatur, ex alia non, sicut quotidie contingit in illuminatione telluris a Sole, aut cum aliqua trabs ferrea partialiter calefit et incandescit, etc.

Continuum dividitur in permanens et successivum. Permanens est cuius partes sunt simul sub unica actualitate et terminatione totius existentes, successivum est cuius partes non sunt simul sub unica actualitate et terminatione totius existentes; sed in continuo fluxu una post aliam absque interruptione sibi mutuo ita succedunt, ut numquam possit accipi actu una pars quae sit divisibilis in alias, tales sunt e. g. partes unius diei.

THESIS XVIII.

Formalis ratio seu effectus formalis quantitatis consistit in extensionene, quae tribuit substantiae materiali ut habeat partes extra partes continuas, adeoque designabiles et divisibiles, videlicet ut materialis substantia sit aliquid longum latum et profundum.

PROBATUR.

49. Formalis ratio alicuius essentiae vel formae ea est, qua posita ceterae eius proprietates sub ea dimanare intelligantur, ipsa vero a nulla dimanet. Atqui posita extensione in substantia materiali, qua habeat partes extra partes continuas, hoc ipso omnes aliae proprietates corporis quanti reduplicative ut quanti in ea inveniuntur; ea sublata, nulla amplius invenitur. Ergo formalis ratio quantitatis consistit in extensione, qua tribuit substantiae materiali ut habeat partes extra partes continuas. Et sane omnes alii effectus quantitatis et proprie-

tates corporis quanti reducuntur 1° *ad extensionem extrinsecam* seu commensurationem partium corporis extensi partibus loci ambientis, 2° *ad impenetrabilitatem*, vi cuius una dimensio non potest esse naturaliter in eodem situ cum alia dimensione puta unum metrum cubicum cum alio metro cubico, 3° *ad rationem mensurae* sive activae sive passivae, sive actualis sive aptitudinalis, 4° *ad divisibilitatem.*

Iamvero 1° Nihil potest occupare locum et commensurari dimensionibus loci ambientis, nisi habeat in seipso formalem extensionem molis, in qua designari possint partes in ordine ad se (quae vocatur extensio intrinseca). Etenim prius est esse in se aliquid spatiosum seu longum, latum, profundum, quam esse coextensum alteri spatioso. Insuper etiamsi existeret unicum corpus, hoc esset quantum nec esset in aliquo loco. Ergo extensio extrinseca non est formalis ratio quantitatis continuae. 2° Nihil esse potest impenetrabile nisi habeat dimensiones. Sed nihil potest habere dimensiones nisi sit extensum in partes extra partes. 3° Quod aliqua quantitas mensurare possit aliam quantitatem vel mensurari ab ipsa, inde provenit, quia est extensa et non viceversa. Ad hoc enim, ut una quantitas possit assumi ut mensura alterius, debet assumi in certa magnitudine molis, puta unius palmi, quae ex conventione habeatur tamquam unitas mensurae, cum non possint mensurari inter se nisi ea quae sunt eiusdem rationis in genere quantitatis. Ergo ratio extensi in quamdam magnitudinem molis praesupponitur ad rationem mensurae. 4° Tandem ad divisibilitatem quod attinet, haec consequitur extensionem. Attamen si divisibilitatis nomine intelligamus ipsam actualem extensionem intrinsecam in qua partes extra partes continuantur atque in ratione quantarum sunt designabiles et divisibiles, huiusmodi divisibilitas convertitur cum supradicta extensione. Ergo stat veritas Theseos.

50. **Corollarium 1.** *Quantitas dimensiva bene etiam definitur esse quantitas positionem habens.* Nam haec definitio aequivalet illi, qua vocatur quantitas extensiva substantiae. Etenim habere positionem seu situm intrinsecum importat aliquid protendi in partes extra partes continuatim positas ita ut si designetur aliquod punctum in eius medio, appareat huiusmodi ens expansum esse in varias partes, puta in dexteram et sinistram. Quod fieri profecto non posset si partes non essent positae extra partes *sed essent compenetratae.*

Corollarium 2. in quo ostenditur quomodo *quantitas est causa impenetrabilitatis extrinsecae.* Id quod impedit ut partes integrantes compenetrentur in eodem subiecto, impedire etiam debebit ut partes integrantes unius subiecti compenetrentur cum partibus integrantibus alterius subiecti a se divisi. Necesse est enim ut id quod est per se,

sit in unoquoque genere, in quo eius ratio formalis verificatur. Atqui ratione quantitatis in subiecto extenso partes non compenetrantur. Ergo ratione etiam quantitatis corpora extensa sunt mutuo impenetrabilia (1).

THESIS XIX.

Quantitas est accidens realiter distinctum a substantia materiali.

PROBATUR.

51. I. Si quantitas identificaretur cum substantia rei materialis, variata quantitate, variaretur rei materialis substantia. Atqui, variata quantitate, remanet eadem substantia. Ergo quantitas est accidens realiter distinctum a substantia rei materialis. *Maior* est evidens. *Minor* patet ex ipsa experientia, nam ex. gr. substantia hominis vel auri remanet eadem sive sub dimensione minori, sive sub dimensione maiori.

II. Si quantitas rei corporeae identificaretur cum eius substantia, omnia corpora, quae habent eamdem quantitatem dimensivam, essent eiusdem speciei. Atqui hoc est manifeste falsum. Ergo.

III. Cum unaquaeque pars quantitativa ex iis, quae *integrant* ens aliquod corporeum, neque sit simplex actus neque sit pura potentia, earum compositio, ex qua resultat totum corpus formaliter ut quantum, non potest esse compositio substantiae formaliter ut substantiae; haec enim fieri debet ex partibus essentialibus, quarum una sit simpliciter actus alia sit simpliciter potentia. Ergo impossibile est ut quantitas sit em cum substantia materiali vel cum aliquo ex eius principiis intrinsece constitutivis. Superest igitur ut sit accidens ab ea realiter distinctum, sicut caeterea accidentia realia de quibus egimus in Ontologia (n. 112.).

Nota. Ad vitandas aequivocationes distinguendae sunt *partes essentiales a partibus entitativis integrantibus. Partes essentiales* sunt principia intrinseca constituentia substantiam corpoream in ipso esse substantiae corporeae videlicet materia prima et forma substantialis. Sine his substantia corporea nequidem concipi potest. Has nonnulli vocant etiam partes entitativas, sed ad perspicuitatem addenda esset vox *essentiales. — Partes entitativae integrantes* sunt partes in quas substantia corporea iam in suo esse substantiali constituta extenditur vi quantitatis dimensivae. Tales sunt e. g. manus, brachia, collum etc.

---

(1) Cfr. S. Th. quodlibet 1. quaest. 10. a. 21. c. et a. 22. c. et ad 2., ubi explicat quomodo corporum impenetrabilitas possit miraculose a Deo suspendi pro corporibus gloriosis.

OBIECTIONES.

52. **Obiicienti 1°.** Trina dimensio habet rationem corporis. Sed trina dimensio est quaedam quantitas. Ergo corpus nullo modo distinguitur a quantitate.

Resp. *Dist. mai.* Trina dimensio pertinet ad rationem corporis mathematici, *Conc.*, ad rationem corporis physici, *Nego.* Nam ad rationem corporis physici pertinet materia prima sub forma substantiali *cum exigentia* trinae dimensionis. *Conc. min. Dist. cons.* Corpus mathematicum, *Conc.*, corpus physicum, *Nego.*

Obiicienti 2°. Quae sunt aliud et aliud secundum modum considerandi, non sunt realiter sed ratione distincta. Atqui corpus quatenus consideratur ut per se existens, dicitur substantia; quatenus consideratur ut habens partes extra partes, dicitur extensum seu quantum. Ergo quantitas tantum ratione distinguitur a substantia.

Resp. *Dist. mai.* Si diversus modus considerandi non procedat a diverso modo essendi, *Conc.*, secus, *Nego. Dist. min.* Haec diversa consideratio procedit a realitate substantiae, quae farmaliter et obiective est diversa in subiecto corporeo a realitate extensionis, *Conc.*, procedit tantum a diverso respectu concipiendi eamdem realitatem, *Nego* et *nego cons.* — In quolibet subiecto composito unumquodque ex componentibus distinguitur *adaequate* ab alio, *inadaequate* a toto. Sic anima distinguitur *adaequate* a materia prima quam informat, inadaequate autem a toto composito resultante, nempe ab homine. Similiter in composito ex substantia et accidente, substantia distinguitur *adaequate* ab accidente; sed sive substantia seorsim sive forma accidentalis distinguuntur inadaequate a composito accidentali, quod ex eorum compositione resultat. Sic in homine albo, albedo distinguitur adaequate ab essentia hominis, inadaequate vero distinguuntur tum homo albus a sua albedine, tum albedo vel essentia humana individua ab homine albo.

THESIS XX.

1º Continuum non potest constare ex indivisibilibus, 2º et ideo per se est in infinitum divisibile.

PROBATUR PRIMA PARS.

53. 1. Ea, ex quibus componitur continuum, ita debent uniri inter se, ut faciant maius et extensum. Sed indivisibilia simul iuncta nequeunt facere maius et extensum. Ergo continuum non potest constare ex indivisibilibus. Et sane indivisibilia vel iunguntur invicem secundum se tota vel secundum partem sui: hoc alterum dici nequit, quia indivisibilia qua talia non habent partes. Si autem iungantur secundum se tota, coalescent in unum indivisibile et sic non facient aliquid maius aut extensum.

II. Indivisibilia in genere quantitatis continuae permanentis sunt limites corporis continui, videlicet superficies respectu solidi, linea respectu superficiei et punctum respectu lineae. Sed limites sunt extremitates continui. Ergo indivisibilia in genere quantitatis continuae non possunt constituere continuum, quasi essent eius partes integrantes.

III. De ratione continui est ut integretur partibus extra partes. Sed pars est formaliter aliquid, quod, divisione peracta, propriam extensionem et proprios limites habet. Immo ante ipsam divisionem pars continui quamvis non habeat limites actuales, habet limites designabiles; quod autem habet limites non est ipse limes. Ergo contradictorium est dicere continuum constare primo ex indivisibilibus (1).

PROBATUR SECUNDA PARS.


54. I. Quod est divisibile, est continuum seu extensum in partes extra partes continuatas. Atqui ostensum est continuum non constare ex indivisibilibus sed ex divisibilibus seu extensis. Ergo continuum est divisibile in alia continua. Haec autem cum sint continua, sunt divisibilia in nova continua et sic in infinitum. Ergo continuum *per se* est divisibile in infinitum. Dico *per se* nam *per accidens* haec *divisio* in corpore physico habet finem, quamvis designabilitas partium semper

---

(1) Ex demonstratione huius partis unusquisque intelliget extensionem mere virtualem, quae nempe resultaret ex indivisibilibus, repugnare. Caeteroquin huius extensionis repugnantiam quacumque hypothesi facta, demonstravimus sub n. 31., ubi etiam attulimus testimonium S. Th. ex Comment. in VI. Physic. lect. 1., quod utiliter confertur in confirmationem huius Theseos.

aliis minorum neque pro corpore physico finem habeat. Ratio autem, cur *divisio actualis* habeat pro physicis corporibus finem, est quia unaquaeque natura corporea exigit dimensiones determinatas intra quosdam limites, infra quos non potest connaturaliter exsistere, cum tolleretur propria dispositio corporis speciei illius. Idque valet non solum pro animalibus et vegetalibus sed etiam pro mineralibus, ut per exquisitiora experimenta constat.

II. Confirmatur 2^a pars argumentis ex geometria desumptis. Satis sit unum afferre:



Sint duae parallelae A B et C D, quae incipiant ab extremitatibus lineae A C, quae sit ipsis perpendicularis, et producantur in oppositas directiones sine limite. Ex quovis puncto designabili unius parallelae poterit duci recta ad quodvis punctum designabile alterius: omnis autem ex huiusmodi rectis transibit per aliquod punctum lineae perpendicularis A C, quin unquam evadere possit parallela lineis inter quarum puncta ducitur. Porro quaelibet ex his parallelis A C et C D produci potest in oppositas directiones sine fine, etsi numquam esse possit actu infinita. Ergo pariter linea A C sine fine secari poterit, sive secantes procedant a puncto fixo P designato supra parallelam A B ad varia puncta M, M^1, M^{11}, etc. designanda supra parallelam idefinitam C D, sive procedant ab aliquo puncto lineae C D ad puncta varia designanda supra parallelam indefinitam A B. Ergo haec linea perpendicularis est sine fine divisibilis; quod erat probandum in 2^a Parte. Ergo haec linea constat semper divisibilibus, non autem indivisibilibus; quae est nova confirmatio 1^{ae} Partis.

SCHOLION I.

De vario modo participandi totalitatem quantitativam, in quo consistit ratio discriminis inter partes integrantes totius homogenei et partes integrantes totius heterogenei ita ut, quamvis quaelibet pars auri sit aurum, tamen non quaelibet pars hominis sit homo.

55. *Totalitas quantitativa a)* importat ut aliquid aequaliter se habeat ad totum et ad partes, et ideo quaelibet pars designabilis lineae est linea: *b)* importat insuper ut aliquid ita sit totum in toto quanto, ut non sit totum in qualibet parte, sed partialiter nempe per partes, et

ideo non tota superficies est in qualibet superficiei parte designabili sed per partes extra partes continuatas: *c)* importat tandem ut ipsa forma possit dividi *per accidens* ad divisionem totius, quod *per se* dividitur, et ideo ipsa forma superficiei vel lineae dividitur ad divisionem superficiei, ita ut quae ante divisionem erat actu una et potentialiter multiplex, evaserit vi divisionis actualiter multiplicata.

Iamvero α) quaedam formae substantiales aequaliter se habent ad totum et ad partes, quia composita, quae resultant ex ipsarum unione cum materia, cum occupent infimos gradus in ipsa linea entium materialium, nullam requirunt in partibus diversitatem ad proprias operationes. Et ideo per aliquam ex huiusmodi formis, quaelibet pars quantitativa totius, non secus ac ipsum totum quod exurgit ex partibus, sortitur perfectam speciem, cuius illa forma est principium formale. Sic per formam auri, quaelibet pars habet ut sit perfecta in specie auri: unde fit ut per mechanicam divisionem quaelibet pars auri evadat ens perfectum in specie auri, videlicet substantia prima et tota in specie auri; forma autem auri quae ante divisionem compositi erat actu una et potentialiter multiplex, vi mechanicae divisionis compositi, quod *per se* divisum fuit, divisa est *per accidens* et evasit actu multiplex. Per huiusmodi formas, quae aequaliter se habent ad totum et ad partes compositi, acquiritur composito *totalitas quantitativa, quam ipsae formae participant per accidens.*

β) Aliquae vero formae substantiales, ut animae perfectorum animalium non aequaliter se habent ad totum et ad partes, sed *primo* et *per se* respiciunt totum ut proprium atque proportionatum perfectibile, partes vero tantum *per posterius* seu in ordine ad totum. Nam per animam ex. gr. animalis perfecti totum quidem *per se* habet ut sit perfectum in specie determinata animalis, puta elephantis; at partes ex. gr. pes vel cauda non habent primo et *per se* ut sint animal, sed solum ratione totius. Huiusmodi formae neque *per se* neque *per accidens* habent totalitatem quantitativam, ad quam requiruntur eae conditiones, quae modo indicatae sunt; et ideo neque *per se* neque *per accidens* sunt *divisibiles.*

γ) Hinc formae aequaliter se habentes ad totum et ad partes efficiunt ut nomen concretum substantiae dicatur de singulis partibus in recto et sine ordine ad totum i. e. denominant singulas partes in recto: quapropter dicimus de qualibet parte auri in se spectata quod est aurum. Formae autem diversimode se habentes ad totum et ad partes, hoc non praestant, sed efficiunt ut nomen concretum substantiae non dicatur de singulis partibus nisi per ordinem ad totum, et ideo denominant singulas partes in obliquo; quapropter non dicimus de pede

bovis quod sit bos; sed dicimus quod sit bovis, tamquam aliquid pertinens ad ipsam unitatem substantialem animalis, quod est bos. Licet enim non dicamus pedem bovis esse animal, non dicimus tamen pedem bovis esse aliam rem distinctam ab ipsa re quae est illud animal.

SCHOLION II.

Accidentia sensibilia insunt substantiae corporeae mediante quantitate.

56. Etenim quum nihil quocumque modo exsistere possit, quin sit individuatum; necesse est ut ea accidentia, quae per quantitatem individuantur, quantitate etiam mediante insint substantiae. Atqui, accidentia sensibilia substantiae corporeae individuantur per quantitatem. Ergo huiusmodi accidentia insunt substantiae materiali mediante quantitate.

Prob. min. Per illud individuantur accidentia, per quod esse possunt in diversis partibus materialis substantiae. Atqui per quantitatem reliqua accidentia esse possunt in diversis partibus materialis substantiae. Etenim per quantitatem substantia materialis habet partes extra partes. Ergo accidentia sensibilia individuantur per quantitatem (1). *Confirmatur* ex eo quod nos non possumus ex. gr. imaginari duas albedines eiusdem speciei nisi quatenus per quantitatem sunt determinatae et individuatae, puta per duas superficies quadratas. Contra, possumus imaginari duas lineas vel duas superficies eiusdem speciei, cum hae ex seipsis individuationem quamdam habeant ob diversam positionem; *habere enim positionem* est de ratione quantitatis (cfr. n. 50.). Ergo albedo et similia accidentia sensibilia individuantur per quantitatem dimensivam. Quantitas autem dimensiva in ipsa sua ratione formali individuationem importat et ideo potest esse aliis causa individuationis.

THESIS XXI.

Partes in continuo non sunt actu quantae, sed in potentia tantum (cfr. n. 48.).

PROBATUR.

57. I. Quod est actu quantum, habet proprios terminos actuales. Sed partes in continuo non habent proprios terminos actuales. Ergo partes in continuo non sunt actu quantae. *Maior* et *minor* constant ex traditis notionibus totius et partium in continuo. Ergo stat consequentia.

---

(1) Cfr. S. Th. 3. p. q. 77. a. 2.

Attamen partes sunt quantae in potentia. Etenim est in potentia quantum id quod separatum a toto mechanica divisione evadit et ipsum aliquod totum quantum, videlicet continuum actuale habens proprios terminos in actu. Atqui quaelibet pars, divisione peracta, evadit continuum actuale habens proprios terminos in actu. Ergo partes in continuo sunt quantae in potentia.

II. Eatenus quodlibet ens est unum et aliquid in actu, quatenus est indivisum in se et divisum a quolibet alio. Atqui pars prouti est in toto continuo non est divisa in actu. Ergo pars in toto non est aliquid actu. *Prob. min.* Quaecumque partes accipiantur in continuo, non intelliguntur continuari, nisi earum extrema sint idem. Sed idem non potest inveniri in duobus actu divisis, quia extrema seu termini duorum divisorum debent inesse intrinsece et proprie in singulis divisis. Ergo pars prouti est in toto continuo non est divisa in actu.

III. Si partes in continuo essent actu quantae, gaudentes propria unitate et numerabilitate; quaerimus an essent numero finitae vel infinitae. Si sunt numero finitae, continuum non esset divisibile in infinitum, quod est contra naturam continui, ut in Thesi XX. ostensum est. Si sunt numero infinitae, daretur numerus infinitus in actu, quod repugnat. Etenim, ut ait S. Thomas (1), « omnem multitudinem oportet « esse in aliqua specie multitudinis. Species autem multitudinis sunt « secundum species numerorum. Nulla autem species numeri est in« finita; quia quilibet numerus est *multitudo mensurata per unum.* « Unde impossibile est esse multitudinem infinitam actu, sive per se, « sive per accidens ». Ergo dicendum est partes in continuo esse tantum in potentia quantas (2).

---

(1) 1. p. q. 7. a. 4.

(2) Doctrina, quam tuemur, est S. Thomae qui passim eam profitetur. Ex pluribus locis aliqua seligimus (In quodlib. 1. art. 21.). « Duo corpora facit actualis divisio « materiae corporalis, duas autem partes unius corporis divisibilitas potentialis. » (In I. de Coelo lect. 3. circa med.). « Dicendum, quod continuum *non habet partes in « actu, sed solum in potentia.* Quod autem non est actu, non movetur actu, unde « partes sphaerae, cum (sphaera) sit corpus continuum, non moventur actu (motu « partium formaliter ut partium). Unde non sequitur, quod in motu sphaerico vel « circulari, sit diversitas actualis, sed solum potentialis, quae non repugnat simpli« citati, de qua nunc loquimur; *omnis enim magnitudo habet pluralitatem potentialem* ». (In VII. Metaph. lect. 13.). « Duo enim quae sunt in actu nunquam sunt unum actu; « sed duo quae sunt in potentia, sunt unum actu; sicut patet in partibus continui: « duo enim dimidia unius lineae sunt in potentia in ipsa linea dupla, quae est una « in actu; et hoc ideo quia actus habet virtutem separandi et dividendi ».

OBIECTIONES.

58. **Obiect. 1ª.** Quantitas dicitur tribuere substantiae partes extra partes. Sed si in continuo non sunt actualiter partes, quantitas non posset dici illas tribuere. Ergo partes actualiter sunt in continuo.

Resp. *Dist. mai.* Quantitas dicitur tribuere substantiae partes extra partes *continuas*, *Conc.*, contiguas vel consequenter se habentes, *Nego. Dist. sequel. min.* Si vocabulo *actualiter* intelligis partes debere esse *realiter* extra partes continuatas in toto continuo, *Conc.*, si intelligis partes habere in toto continuo proprios terminos et proprium esse, *Nego;* quia sic non essent *formaliter partes* quantitatis continuae, sed *plura tota* coacervata, nempe essent *partes quantitatis discretae.* Similiter *dist. conseq.*

Obiect. 2ª. In toto aliquo continuo, puta in metro, dimidia pars realiter distinguitur ab alia medietate; nam realiter separari possunt. Sed non distinguuntur ab invicem tamquam totum a toto. Ergo distinguuntur formaliter ut pars a parte.

Resp. *Dist. mai.* Potentialiter, *Conc.*, actualiter, *Subd.* Antecedenter ad divisionem vel designationem, *Nego*, consequenter ad eas, *Conc. Dist. ration. addit.* Separabilitas arguit distinctionem *potentialem*, *Conc.*, *actualem, Nego. Conc. min. Nego conseq.* nam ad rationem formalem partium qua talium requiritur ut sint continuatae et ideo indistinctae sub ratione quanti extensi.

Obiect 3ª. Viventia per augmentationem acquirunt novas partes quantitativas. Sed has partes retinent, postquam eas acquisiverint. Ergo continuum vivens habet actu diversas partes.

Resp. *Dist. mai.* Viventia per augmentationem acquirunt novas partes quantitativas, quae hoc ipso actuantur ab unica forma substantiali viventis ita ut amittant proprium esse et proprios terminos, *Conc.,* ita ut ea retineant, *Nego. Dist. min.* Viventia has partes retinent sub unico esse, formâ et terminis totius, *Conc.,* sub peculiari esse, forma et terminis uniuscuiusque partis, *Nego. Dist. conseq.* Vivens habet actu diversas partes hoc sensu quod eius partes continuantur absque confusione et absque compenetratione, *Conc.*, hoc sensu quod eius partes habeant proprios terminos et proprium esse, *Nego.* Cum de viventium partibus iudicandum est, sedulo cavendum ne imaginatione decepti eis actualitatem quantitativam tribuamus. Etenim viventia quamvis habeant partes continuatas, tamen ob perfectionem virtualiter multiplicem suae formae substantialis et ob plurimas qualitates quibus ornantur ita exhibentur sensibus nostris, ut videantur habere partes

propriis terminis actualibus inclusas. Hoc autem non est aliud, nisi effectus cuiusdam sensibilis designationis partium vi cuius partes *in ratione quanti* non educuntur de potentia in actum *realiter* et *simpliciter*, sed tantum apparenter et *secundum quid*. Quocirca in tali casu partes formaliter ut partes continui non distinguuntur re sed ratione, quia unaquaeque pars sic designata consideratur ab intellectu quasi esset alia quantitas actu.

Obiect. 4ª. De eodem secundum idem nequeunt praedicari *contradictoria*. Sed de uno continuo praedicari potest quod est album secundum unam partem et non album secundum aliam. Ergo partes continui non sunt idem sed sunt realiter actu distinctae.

Resp. *Dist. mai.* Si praedicatio contradictoria cadat super idem secundum eamdem rationem, *Conc.*, secus, *Nego. Dist. min.* De uno continuo potest praedicari quod est album secundum unam partem et non album secundum aliam, ita temen ut albedo in una parte non dividat realiter partem a parte, sed tantum *designet*, *Conc.*, ita ut non solum designet sed etiam dividat, *Nego. Nego Cons.* quia partes ante actualem divisionem, quomodocumque sint designatae, non sunt in ratione quanti extensi distinctae secundum rem, sed secundum rationem tantum. Profecto per illam partialem albedinem partes formaliter ut partes non cessant continuari. Recole ea quae in Praenotionibus diximus de vario modo educendi partes continui de potentia in actum.

Obiect. 5ª. Aristoteles in Lib. de Praedicamentis dicit continuum esse *cuius partes copulantur termino communi*. Sed non copulantur nisi sint actu et distinctae in ipso toto continuo. Ergo continuum habet plures partes in actu.

Resp. *Conc. mai. Nego min.* et *conseq.* Nam eo ipso, quod partes dicuntur ab Aristotele copulari termino communi, negantur esse actu distinctae ad modum corporum contiguorum et consequenter se habentium, atque affirmatur esse ab invicem indistinctae actu utpote consistentes per unicum esse compositi in unica quantitate actuali totius, *in qua non possunt accipi alii termini actuales praeter terminos totius.*

Obiect. 6ª. S. Thomas in V. Metaph. Lect. 5. dicit: « Quantum di- « citur quod est divisibile in ea quae insunt, quod quidem dicitur ad « differentiam divisionis mixtorum: nam corpus mixtum resolvitur in « elementa, quae non sunt actu in mixto, sed virtute tantum ». Ergo secundum S. Thomam partes sunt actu in toto continuo.

Resp. *Dist. antec.* Partes dicuntur a S. Thoma differre ab elementis in eo quod si dividatur totum, resultabunt partes eiusdem speciei, *Conc.*, in eo quod partes non sint virtualiter in toto, *Subd.* Si mate-

rialiter sumantur, *Conc.*, si formaliter ut quantae, *Nego*. Duplex discrimen intercedit inter modum quo partes sunt in toto, et elementa in mixto. Etenim *a)* elementa sunt in mixto virtualiter *sub omni respectu;* partes autem sunt in toto virtualiter *tantum sub ratione quantarum. b)* Corpora elementaria, in quae resolvitur mixtum non sunt eiusdem speciei cum mixto, ex. gr. oxygenium et hydrogenium in quae resolvitur aqua non sunt eiusdem speciei cum aqua. Partes autem quantitativae, in quas dividitur totum continuum, sunt eiusdem speciei cum toto; et ideo, quaelibet designabilis pars lineae est linea, et quaelibet designabilis pars aquae est aqua.

THESIS XXII.

Nulla ostendi potest repugnantia in eo, quod quantitas dimensiva praeternaturaliter ex virtute divina perseveret esse absque substantia.

PROBATUR.

59. Tunc tantum adesset repugnantia, ut quantitas praeternaturaliter ex virtute divina remaneret absque substantia, si vel non distingueretur realiter ab ea vel quamvis realiter distingueretur, importaret in suo ipso conceptu coexistentiam substantiae. Atqui quantitas dimensiva realiter distinguitur a substantia, nec in suo conceptu importat coexistentiam substantiae. Ergo ostendi nequit repugnantia in eo, quod quantitas dimensiva praeternaturaliter ex virtute divina perseveret esse absque substantia.

Prob. mai. Praeter duas hypotheses, in quibus evidenter esset repugnantia in terminis, si quantitas remaneret absque substantia, quia tunc quantitas deberet vel remanere absque seipsa, vel remanere absque aliqua nota sua essentiali, videlicet deberet simul esse et non esse quantitas; superest tertia hypothesis, nempe quantitatem adhuc in suo esse perseverare virtute alicuius, quod suppleat defectum influxus substantiae erga *esse* quantitatis. Iamvero quamvis naturaliter fieri nequeat, ut quantitas, pergat sustentari in esse, cessante substantia, quia nihil aliud in causis secundis potest inveniri, quod suppleat deficientiam influxus substantiae, a qua per causalitatem resultantiae emanabat et in qua subiectabatur; tamen optime fieri potest, ut defectus huius influxus suppleatur immediate a Causa prima nempe a Deo. Quantitas enim, quemadmodum quilibet creatus effectus multo magis pendet in suo esse a Causa prima quam a causa secunda. Insuper, quum sit accidens positionem habens, habet in seipsa rationem individuationis; et

ideo dummodo conservetur in esse a Deo, non indiget aliquo subiecto vi cuius individuetur. Ergo si quantitas realiter distinguitur a substantia nec importat in suo conceptu coexistentiam substantiae, non repugnat ut praeternaturaliter ex virtute divina remaneat absque substantia.

Porro quantitatem realiter distingui a substantia ostensum est in Thesi XVIII.; quantitatem non importare in suo conceptu coexistentiam substantiae, sic demonstramus. Ea tantum accidentia important in suo conceptu coexistentiam substantiae, quae in sua ratione dicunt actualem processum a substantia, vel quatenus haec actualiter per suas potentias operetur vel quatenus per suum esse constituat unum ex terminis alicuius relationis. Nam, cessante substantia, iam hoc ipso cessaret una ex notis vel unus ex terminis requisitis ad ipsam rationem essentialem horum accidentium, quae consistit in actuali processione a substantia. Huiusmodi sunt operationes vitales, relationes propriae substantiae et similia: operatio enim vitalis, ex. gr. intellectio, in sui ratione essentiali importat actualem emanationem ab intelligente, relatio importat coexistentiam eorum inter quae dicitur relatio, etc. Iamvero quantitas dimensiva cum neque sit relatio fundata in substantia neque importet actualem emanationem a substantia operante per suas potentias, nihil habet *in suo conceptu*, quod importet coexistentiam substantiae. Et sane nos optime possumus mente concipere et imaginari lineas, superficies et solida praescindendo a qualibet substantia. Contra non possumus concipere intellectionem praescindendo ab intelligente, neque concipere paternitatem praescindendo a genitore et a genito. Ergo nulla ostendi potest repugnantia in eo quod quantitas dimensiva praeternaturaliter ex virtute divina perseveret esse absque substantia.

Corollarium. Rationes allatae militant etiam pro non repugnantia praeternaturalis permanentiae ceterorum accidentium, quae in suo conceptu non implicant coexistentiam substantiae, dummodo salvetur eorum individuatio per quantitatem (1).

OBIECTIONES

60. **Obiect. 1ª.** Repugnat, ut existat actus aliquis voluntatis vel intellectus, quin detur aliqua voluntas vel intellectus cuius sit, quamvis tales actus sint realiter distincti ab intellectu et a voluntate. Ergo a pari, quamvis quantitas realiter distinguatur a substantia, repugnat ut existat sine ipsa.

Resp. *Conc. antec. Nego conseq. et paritatem* ob rationes datas in demonstratione Thesis.

(1) Cfr. S. Th. C. G. lib. 4. c. 65. — in IV. Sent. Dist. 12. q. 1. a. 1.

Obiect. 2ª. Contradictionem implicat, quod definitio re ab ea separetur. Sed ad definitionem accidentis pertinet, quod sit in subiecto. Ergo repugnat quantitatem et quodlibet aliud accidens existere separata a substantia.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Ad definitionem accidentis pertinet ut sit essentia aliqua, cui competit esse in subiecto, *Conc.*, accidentis essentia est ipsum esse in subiecto, *Nego.* Ad definitionem accidentis salvandam sufficit *aptitudinalis inhaerentia subiecto.*

Obiect. 3ª. Accidens individuatur ex subiecto. Si ergo posset aliquod accidens remanere sine subiecto, non erit accidens individuum, sed universale, quod repugnat.

Resp. *Distinguo antec. Naturaliter, Conc., supernaturaliter, Subd.* Si hoc accidens iam habeat in sui ratione formali quamdam individuationem, ut quantitas, *Nego*, si non habeat in sui ratione formali quamdam individuationem, *iterum subdist.* Individuatur per substantiam, *Nego*, individuatur per quantitatem, *Conc. Nego conseq.*

Obiect. 4ª. Repugnat ut forma substantialis non subsistens existat separata a materia. Atqui si Deus hoc efficere nequit utpote repugnans, a fortiori non potest separare accidens a subiecto, quia accidens magis distat a substantia. Ergo repugnat accidens existere sine subiecto.

Resp. *Dist. mai.* Hoc ideo repugnat, quia est *quocumque* modo forma materialis, *Nego,* quia est forma *substantialis* materialis, quae ex se neque individuationem neque rationem substantiae habere potest separata a materia, utpote incapax operationis independentis ab ea, *Conc. Dist. sequel. min.* Si agatur de accidente non habente in se rationem quamdam individuationis, *Conc.*, si agatur de accidente habente in se rationem quamdam individuationis, *Nego. Dist. cons.* Repugnat *quantitatem* existere sine subiecto, *Nego*, repugnat caetera accidentia sensibilia existere sine subiecto, *Subdist.*, Independenter a quantitate, *Conc.,* dependenter a quantitate, *Nego.*

QUAESTIO VI.

DE INDIVIDUATIONE ENTIS CORPOREI.

Quum principium individuationis entis corporei sit materia quantitate signata, nullus opportunior locus hac de re agendi visus est, quam praesens. Modo enim, post pertractatas de principiis intrinsecis entis corporei deque eius potissima proprietate, quae quantitas est, quaestiones, unusquisque etiam tironum facile intelliget id, quod in antecessum vix et ne vix quidem capere potuisset.

THESIS XXIII.

1⁰ Ratio cur essentia rei materialis possit numerice multiplicari desumenda est ex physica eius compositione, nempe ex ipsis principiis physice eam constituentibus; 2⁰ ita tamen ut eius principium potentiale, seu materia prima, non quomodolibet accipiatur, sed solum materia signata; et dico materiam signatam, quae sub certis dimensionibus consideratur (1).

PRAENOTIONES.

61. I. **Materia distinguenda est in communem et signatam.** Prima est ea quae consideratur in abstractione a quocumque individuo corporeo, atque ingreditur definitionem essentiae compositae quâ talis, videlicet essentiae corporeae abstracte consideratae. Secunda est ea quae consideratur tamquam ingrediens ipsam constitutionem individui corporei, puta Socratis vel Platonis; consideratur videlicet in ea determinatione individuali, sub qua tantum existere potest in rerum natura, quum nihil existat nisi singulare.

II. **Triplex unitas in rebus consideranda venit:** *numerica, formalis* seu *essentialis*, et *specifica.* Prima et secunda important aliquid reale existens a parte rei independenter a quacumque intellectus speculantis operatione saltem *quoad id quod concipitur* (cfr. Logic. mai. Th. 2.); tertia vero, nempe unitas specifica, dependet ab intellectu,

(1) Cfr. S. Th. opusc. de Ente et Essent. c. 2.

quum sit formaliter universalis. In iis entibus, quae sunt ipsa perfectio subsistens sui ordinis, unitas numerica et unitas formalis seu essentialis prorsus identificantur, ut in angelis. In iis vero, quae sunt in ipsa linea suae essentiae composita ex actu et potentia, videlicet ex forma substantiali et materia prima, unitas numerica aliquid addit unitati formali, videlicet principia individualia. Huiusmodi sunt omnia entia corporea. In his dici potest substantia prima (i. e. individuum) *secundum rem* differre a substantia secunda, non quasi quidditas substantiae primae sit diversa a quidditate substantiae secundae, hoc enim est impossibile, quum una de altera *per identitatem* praedicetur; sed quia substantia prima complectitur tum principia quidditativa, tum principia individuantia, quae determinant quidditatem ad esse alicuius singularis eamque multiplicant in multis individuis non *formaliter* sed *numerice* tantum diversis.

Unitas sive numerica, sive formalis seu essentialis, sive specifica, alia est positiva, alia est negativa. Prima importat positivam determinationem ad certum numerum, vel essentiam vel speciem. Secunda importat *carentiam* determinationis ad certum numerum, sive essentiam, sive speciem; videlicet negationem simul cum aptitudine ad tales determinationes. Unitas tantum negativa sive numerica, sive formalis, sive specifica competere potest *materiae communi.*

III. **Notae individuantes,** quibus simul sumptis sensibiliter manifestatur apud nos distinctio unius individui ab alio, hisce versiculis traduntur:

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen,
Haec ea sunt septem, quae non habet unus et alter.

PROBATUR PRIMA PARS.

62. Essentiam aliquam per se subsistentem inveniri multiplicatam in individuis solo numero diversis tunc possibile est, quum in pluribus individuis divisim invenitur *tota eius ratio*, ita ut de unoquoque affirmari possit ei competere *esse simpliciter* secundum eamdem rationem specificam, secundum quam etiam alteri competit: ex. gr. Socrati competere *esse simpliciter* secundum eamdem specifice naturam seu essentiam humanam, secundum quam competit Platoni. Atqui ad hoc requiritur et sufficit, ut essentia sit composita ex actu primo et ex pura potentia subiectiva, videlicet ex forma substantiali et ex materia prima. Ergo ratio cur essentia rei materialis possit numerice multiplicari, desumenda est ex physica eius compositione. Et sane, ens quod convenit cum alio in eodem genere nequit esse neque concipi ab alio

divisum, nisi vel per differentiam specificam, vel per divisionem quantitativam. Iamvero essentia simplex per se subsistens caret extensione quantitativa. Ergo essentia simplex per se subsistens nequit esse neque concipi divisa ab alio ente nisi per differentiam specificam, ac proinde nequit in sua ultima differentia inveniri nisi in unico subiecto. Dum contra, essentia composita ex forma substantiali et ex materia prima poterit secundum *totam suam rationem* in pluribus individuis inveniri multiplicata, si 1° formae ordinatae ad informandam materiam non se opponant numericae multiplicationi; si 2° materia prima sit capax numericae multiplicationis. Atqui ita est. Ergo essentia composita poterit secundum totam suam rationem in pluribus multiplicari.

Prob. 1um *membrum minoris.* Forma reduplicative ut forma, nempe quatenus exigit recipi in materia tamquam in subiecto, non dicit talem ordinem ad unum subiectum ut alia excludat, sed ita limitatur per materiam ad unum subiectum, ut remaneat in sui ratione indifferens ad plura. Sic ex. gr. albedo in sui ratione est indifferens ut subiectetur in una columna vel in pluribus sine fine. Iamvero quod de se est indifferens ad plura subiecta, non opponitur multiplicationi. Ergo formae ordinatae ad informandam materiam non se opponunt numericae multiplicationi « Formae (ait S. Thomas) (1) quae natae sunt recipi in « aliquo subiecto, de se individuatae esse non possunt; quia quantum est de sua ratione indifferens est eis, ut recipiantur in uno « vel pluribus ».

Prob. 2um *membrum minoris.* Illud est numerice tantum multiplicabile quod ita est divisibile per quantitatem dimensivam, ut sub quacumque dimensione et divisione ponatur, remaneat semper eiusdem rationis. Atqui materia prima *a)* est divisibilis per quantitatem dimensivam, *b)* quum sit pura potentia subiectiva, sub quacumque dimensione et divisione concipiatur, remanet eiusdem rationis, nempe remanet semper pura potentia subiectiva. Ergo materia prima est capax mere numericae multiplicationis.

PROBATUR SECUNDA PARS.

63. Illud est principium individuationis alicuius entis, quod est ei intrinseca ratio, cur sit indivisum in se et divisum a quolibet alio. Sed in composito substantiali corporea *materia prima quatenus est haec et non alia* est intrinseca ratio cur una forma in eadem specie distinguatur numerice ab alia forma eiusdem speciei, ita ut haec forma

---

(1) QQ. dd. de Spirit. Creat. art. 5. ad 8.

actuando hanc materiam constituat compositum unum unitate non solum essentiali sed etiam numerica, videlicet indivisum in se et divisum a quolibet alio composito eiusdem speciei. Etenim, ut demonstravimus in Phil. Prim. Th. XX., actus nequit multiplicari in ordine suae essentiae nisi ratione potentiae subiectivae eiusdem ordinis. Ergo materia prima quatenus est haec et non alia, est principium individuationis substantiae corporeae.

Iamvero materia prima eatenus accipi potest haec et non alia, quatenus accipitur divisa ab aliis materiae partibus per quantitatem dimensivam in composito substantiali corporeo. Etenim effectus formalis quantitatis dimensivae est tribuere enti materiali divisibilitatem in partes continuas, quum sit accidens positionem habens (cf. n. 50.). Ergo materia prima quatenus sub certis dimensionibus accipitur, videlicet *materia signata,* est principium individuationis substantiae corporeae.

II. Illud est principium individuationis in natura numerice multiplicabili, quod est principium multiplicabilitatis. Atqui materia prima quatenus divisibilis in partes eiusdem rationis, videlicet quatenus est subiicibilis quantitati dimensivae, est principium remotum multiplicabilitatis, quatenus autem actu subiicitur quantitati est principium proximum eiusdem, quia per id efficitur potentia proxime apta ad recipiendam formam singularem. Ergo materia signata, nempe materia quae accipitur sub certis dimensionibus, est principium proximum individuationis naturae corporeae.

III. Confirmatur ex S. Thoma (1): « Sicut partes speciei sunt ma- « teria et forma, ita individui sunt haec materia et haec forma; unde « sicut diversitatem speciei facit diversitas materiae et forma absolute, « ita diversitatem in numero facit haec forma et haec materia. Nulla « autem forma, in quantum huiusmodi (i. e. reduplicative ut forma) « est haec ex se ipsa. Dico autem in quantum huiusmodi, propter ani- « mam rationalem, quae quodammodo ex se ipsa est hoc aliquid, sed « non inquantum forma. Intellectus vero quamlibet formam, quam « possibile est recipi in aliquo sicut in subiecto, natus est attribuere « pluribus, quod est contra rationem eius quod est hoc aliquid. Unde « forma fit haec per hoc quod recipitur in materia.

« Sed cum materia in se considerata sit indistincta, non potest esse « quod formam in se receptam individuet, nisi secundum quod est di- « stinguibilis. Non enim forma individuatur per hoc quod recipitur in « materia, nisi quatenus recipitur in hac materia vel illa distincta et

(1) In Boet. de Trinit. q. 4. a. 2.

« determinata ad hic et nunc. Materia autem non est divisibilis nisi « per quantitatem; unde Philosophus dicit in I. Physic., quod submota « quantitate remanet substantia indivisibilis. Et ideo materia efficitur « haec et signata secundum quod est sub dimensionibus ».

64. **Nota.** *De vario sensu quo* DIMENSIONES INTERMINATAE *accipiuntur.*

Ad aequivocationes vitandas monemus *dimensiones* signantes materiam ad individuum corporeum constituendum aliquando dici *interminatas*, aliquando *terminatas*, sub diverso tamen respectu. Quum enim figura sit terminus quantitatis dimensivae, haec numquam potest existere sine aliqua figura; attamen licet figura mutetur, quantitas remanere potest eadem: sic, eadem quantitate manente, poterit aliqua massa cerae ex pyramidali fieri sphaeralis vel cubica. Itaque dimensiones signantes materiam non oportet ut sint *terminatae* eo sensu, ut manere semper debeant sub eadem figura, licet sine aliqua figura esse non possint, sed esse debent terminatae ita ut sint in aliqua specie quantitatis et sub aliqua figura (1).

65. **Quaeres 1.** *Si quantitas concurrit ad individuandam substantiam corpoream, quomodo poterit ab eadem substantia causari, ut reliqua accidentia propria?*

Resp. Si quantitas causari deberet a substantia *per causalitatem efficientiae*, impossibilis esset concursus quantitatis ad individuationem substantiae corporeae. Sed quum quantitas causetur a substantia per causalitatem resultantiae, non habetur talis impossibilitas. Nam causalitas resultantiae nullam requirit prioritatem temporis ex parte substantiae, sed tantum prioritatem naturae. Iamvero naturâ priores habemus tum materiam cum ordine ad determinatam quantitatem, videlicet materiam signatam, tum formam respondentem huic materiae. Tempore autem simul efficienter a generante causantur materia, forma et determinata quantitas, quae in composito respondere debet exigentiae materiae signatae. Sicut enim in Phil. Prim. n. 139. demonstravimus, proprietates dimanantes a substantia producuntur a generante simul tempore cum substantia propter necessariam connexionem earum cum ipsa.

Quaeres 2. *Utrum materia prima sit divisibilis divisione actuali quantitativa per se an solum per accidens?*

Resp. Materia prima est divisibilis divisione *actuali* quantitativa solum *per accidens*, videlicet solum in composito, quod est divisibile

(1) Cfr. S. Th. in Boetium de Trinit. q. 4. a 2. « . . . . . Dimensiones autem istae possunt dupliciter considerari etc. »

per se. Etenim quum materia prima sit pura potentia subiectiva non est capax ullius esse sive substantialis sive accidentalis, nisi actuetur a forma substantiali. A qua quum fuerit actuata se habet *ut quo* aliquid est, non *ut quod est.* Unde id suscipit *per se* omnes modificationes et perfectiones accidentales, quod existit *ut quod*, nempe ipsum compositum substantiale (1). Attamen si quis quaerat quaenam sit ratio cur tale compositum sit divisibile *per se*, respondemus esse materiam primam, quae eo ipso quod est pura potentia subiectiva dicit ordinem ad pluralitatem partium eiusdem rationis in composito substantiali ad cuius constitutionem intrinsece concurrit; atque hac de causa *materia prima* dicitur et est *radix quantitatis.*

66. **Corollaria.** Ex hucusque declaratis

Intelliges 1°. Sequentes expressiones: *Materia signata*, *Materia sub dimensionibus interminatis*, *Materia ordinata ad quantitatem dimensivam correspondentem composito substantiali singulari*, esse expressiones aequivalentes, quibus designatur materia prima non absolute et in se, sed prouti est principium individuationis.

Intelliges 2°. Principium individuationis in substantiis corporeis neque esse solam materiam, neque solam quantitatem, sed materiam quae consideratur sub quantitate, quaeque dicitur materia signata. Quum autem prima radix individuationis, *in quantum individuum denotat incommunicabilitatem* (Ontol. n. 106.), sit *materia* quae est primum subiectum, quod recipit et non recipitur, in quantum autem *denotat distinctionem ab aliis* eiusdem speciei, sit *materia considerata sub dimensionibus*, in quantum autem dicit *aliquid sensibus designabile* et *determinatum* ad hic et nunc, sit *quantitas;* sequitur materiam esse *primarium principium* individuationis, quantitatem autem *secundarium.*

OBIECTIONES.

67. **Obiect. 1ª.** Materia nullo modo potest esse principium individuationis. Nam principium individuationis debet esse radix unitatis individualis. Sed materia prima accipit in composito unitatem a forma. Ergo materia prima non potest esse radix unitatis individualis et consequenter neque principium individuationis.

Resp. *Nego* assertum. Ad prob. *Conc. mai. Dist. min.* Materia prima accipit a forma unitatem specificam, *Conc.*, unitatem numericam, *Nego. Nego conseq.* Responsio patet ex dictis in Praenot. 2.

---

(1) Cfr. 1. p. q. 76. a. 6.

Instabis 1. Unitas specifica et unitas numerica identificantur. Ergo id quod est principium unitatis specificae, erit etiam principium unitatis numericae, nempe forma.

Resp. *Dist. mai.* Identificantur in entibus, quae sunt ipsa perfectio subsistens sui ordinis, videlicet actus in suo ordine puri, *Conc.,* in entibus compositis in ipso ordine suae essentiae, *Nego.* Nam huiusmodi entia, ut iam demonstravimus, quum sint multiplicabilia in eadem specie, praeter rationem essentiae includunt principia individualia quae non sunt de ratione speciei. « Si Socrates per id esset homo, per quod « est hic homo, sicut non possunt esse plures Socrates, ita non pos- « sent esse plures homines » (1).

Instabis 2. In ente corporeo *essentia individua* non distinguitur a subiecto. Sed essentia individua est essentia specifica. Ergo in ente corporeo unitas specifica et unitas numerica identificantur.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Essentia individua est essentia specifica alligata principiis individualibus, *Conc.*, absoluta a principiis individualibus, *Nego. Nego cons.*

Instabis 3. In entibus compositis per illud aliquid individuatur, per quod limitatur. Sed tum forma limitatur per materiam, tum materia limitatur per formam. Ergo etiam forma est principium individuationis.

Resp. *Dist. mai.* Si agatur de limitatione in ratione numerica, *Conc.*, si agatur de limitatione in ratione quidditativa, *Nego. Dist. min.* Secundum diversas rationes: videlicet materia limitatur a forma in ratione essentiae specificae, forma autem limitatur a materia signata in ratione numerica, *Conc.,* limitantur ad invicem secundum eamdem rationem, *Nego. Nego cons.* Etenim materia recipit a forma unitatem positivam specificam. Forma autem recipit a materia signata unitatem positivam numericam. Cfr. Praenot. II.

68. **Obiect. 2ª.** Materia signata non est principium individuationis. Nam materia, cum sit potentia substantialis, ex seipsa habet, ut coarctet formam eamque multiplicet. Sed principium limitationis et multiplicationis est principium individuationis. Ergo materia ex seipsa idest absolute accepta, non autem quatenus signata, est principium individuationis.

Resp. *Nego assertum. Ad probat.* Materia quatenus est potentia substantialis habet ex seipsa ut coarctet formam *remote*, *Conc.*, *proxime*, *Nego. Dist. min.* Principium adaequatum limitationis, *Conc.*, principium inadaequatum, *Nego. Nego cons.* Responsio patet ex dictis in Thesi.

Instabis 1. Compositum individuum ex materia et forma est ens

(1) 1. p. q. 11. a. 3.

per se unum, quod ponitur directe in praedicamento substantiae. Sed si materia non esset individuationis principium nisi quatenus signata per quantitatem, sequeretur individuum substantiae corporeae esse ens per accidens sub formali ratione individui. Nam quantitas est quoddam accidens realiter distinctum et a composito substantiali et a materia prima. Ergo materia prima absolute considerata est principium individuationis substantiae corporeae.

Resp. *Conc. mai. Dist. min. Si materia signata* importaret aggregatum ex materia et quantitate, *Conc.*, si materia signata importat materiam sub determinata quantitate, *Nego. Concedo rationem additam. Nego conseq.*

Instabis 2. Si quantitas esset cum materia principium individuationis, deberet simul causari et non causari a substantia. Deberet causari quia est accidens, non deberet causari quia per ipsam substantia materialis individuaretur. Atqui haec sunt contradictoria. Ergo vel dicendum est quantitatem non esse accidens, vel eam non esse ullo modo principium individuationis.

Resp. *Dist. sequelam maioris.* Quantitas actualis deberet simul causari et non causari secundum diversam rationem causalitatis. *Conc.*, secundum eamdem, *Nego. Dist. rationem additam:* deberet causari, quia est accidens, causalitate *resultantiae*, *Conc.*, causalitate *efficientiae*, *Nego.*

Instabis 3. In qualibet coordinatione praedicamentali debent esse omnia pertinentia ad illud praedicamentum independenter a quolibet alio praedicamento, cum praedicamenta sint primo diversa. Atqui substantia prima et singularis est in coordinatione primi praedicamenti, ut primum subiectum quod de nullo praedicatur. Ergo substantia materialis non individuatur per ordinem ad quantitatem, quae est alterius generis.

Resp. *Dist. mai.* In qualibet coordinatione praedicamentali debent esse omnia illius praedicamenti independenter ab alio genere *quoad id* per quod res ponitur in praedicamento, nempe quoad naturam genericam vel specificam, *Conc.*, quoad caetera quae possunt convenire rei, et praesertim quoad principia individuantia, *Nego. Contrad. min.* Substantia prima est in praedicamento ratione suae naturae specificae, *Conc.*, ratione principiorum individuantium, *Nego. Nego cons.* Ad rem S. Thomas (1): « In rebus creatis res aliqua singularis non ponitur « in genere vel in specie ratione eius, quod pertinet ad suam indi- « viduationem, sed ratione naturae, quae secundum formam deter-

(1) 3. p. q. 2. a. 3. ad 3.

« minatur, cum individuatio magis sit secundum materiam in rebus « compositis ».

69. **Scholion 1.** *Ad unitatem numericam idest ad identitatem compositi corporei salvandam sufficit, ut eadem numero forma pergat actuare materiam signatam ei correspondentem, licet materiae partes sint in continuo fluxu propter secretionem et nutritionem; videlicet sufficit ut in composito corporeo materia remaneat eadem* FORMALITER *et* SIGNATE, *licet* MATERIALITER *successive mutetur.*

Etenim ad hoc ut compositum corporeum remaneat idem non solum specifice, sed etiam numerice, sufficit ut iugiter perseveret esse hoc corpus singulare, videlicet haec materia et haec forma. Atqui etiamsi successive aliqua pars materiae accedat composito per nutritionem vel recedat per secretionem, dummodo compositum subsistere pergat, adhuc remanebit materia signata respondens eidem formae: idest materia cum eisdem dispositionibus sub eiusdem formae actuatione, nempe remanebit idem compositum singulare. Haec enim requiruntur et sufficiunt ad unitatem numericam entis corporei salvandam. Ergo partium materiae successiva mutatio in eodem corpore non impedit quominus huius unitas numerica seu identitas perseveret (1).

Scholion 2. *Si individuum corporeum perierit, nequit fieri virtute naturali redintegratio eiusdem.*

Etenim deberent eaedem numero dispositiones materiales causari in materia. Iamvero id ab agente naturali praestari non potest. Quum enim hoc agat *per motum stricte dictum;* diversus numero motus diversas numero dispositiones materiales causet necesse est. Unde impossibile est ut eadem materia signata eademque numero forma resultent, ac proinde nequit resultare idem individuum corporeum, quod perierat.

Attamen virtute divina, cui materia obedit ad nutum, quaeque agit in instanti et non per motum stricte dictum, potest eiusdem numerice individui corporei, quod perierat, redintegratio fieri; et fide christiana credimus futuram in mortuorum resurrectione.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 119. a. 1. — C. G. lib. 4. c. 81. in solut. quartae obiect.

QUAESTIO VII.

DE MOTU.

70. **Motus latissimo sensu** importat *quamlibet operationem*, etiam immanentem et perfectissimam, in qua nullus habeatur transitus de potentia in actum. Quo sensu ipsa divina operatio, quae identificatur cum Divina Essentia, dici potest motus.

Motus lato sensu importat *quamlibet mutationem de potentia in actum*, licet sit actus entis perfecti, ut intellectiones et volitiones in creatura spirituali: quia intelligere et velle non important naturâ suâ transitum de potentia in actum.

Motus pressiori sensu importat *eas mutationes de potentia in actum, quae sunt actus entis imperfecti;* videlicet quae naturâ suâ fiunt propter indigentiam mobilis, licet non fiant successive sed *in instanti.* Quo sensu generatio et corruptio dicuntur motus.

Motus strictissimo sensu *seu proprie dictus* importat *actualem tendentiam mobilis ad aliquem terminum*, quae requirit aliquam successionem nempe transitum alicuius medii inter duos terminos extremos. Huic proprie competit definitio Aristotelica: *Motus est actus entis in potentia prout in potentia.*

THESIS XXIV.

Motus proprie dictus aptissime definitur ab Aristotele (1): « Actus entis in potentia prout in potentia, seu secundum quod eiusmodi est ».

PROBATUR.

71. In hac definitione exhibetur motus secundum ea omnia praedicata, quae omni et soli motui proprie dicto competunt, quaeque sunt rationes notissimae. Etenim per potentiam et actum dividitur ens. Itaque

1° Iure dicitur *actus*, quia per motum fit actu id quod erat in potentia existens, quia subiectum aliquod per motum acquirit actum

(1) Physic. lect. 3. c. 2.

tendendi in terminum aliquem, tamquam in actum perfectum. Ex. gr. si quis Româ pergere debeat Neapolim, donec remanet Romae, est in potentia tum ad essendum Neapoli, tum ad pergendum Neapolim. Quum autem iter facit, quamvis nondum sit actu Neapoli, tamen fit actu tendens Neapolim. Simile dicas de aqua frigida dum calefit, ut perveniat ad aliquem intensum gradum caloris puta ad gradum centesimum seu ad ebullitionem sub ordinaria pressione atmosphaerae.

2° Apte adduntur verba *existentis in potentia*, ut discriminetur motus ab actu perfecto, qui acquiritur in termino eius. Nam, quum de essentia motus sit *actualis tendentia* in actum perfectum seu terminum in quo tamquam in perfectione ultimatim intenta quiescit mobile; necesse est, ut per motum ita actuetur mobile, ut adhuc remaneat in potentia ad eum actum, qui est terminus motus. Videlicet motus est actus imperfectus, quia per eum res neque est pure in potentia, neque est in actu perfecto, sed est in statu quodam medio inter puram potentiam (intellige *non absolute* puram, sed *relative* puram) et actum perfectum. Sic qui iter agit Roma Neapolim, quamvis sit in actu tendentiae Neapolim, ad quam quo magis movetur, magis appropinquat, tamen nondum est actu existens Neapoli, sed est adhuc in potentia ad essendum Neapoli, ubi statim ac perveniet, cessabit moveri versus Neapolim. Simile dicas de actuali calefactione aquae, antequam assequuta sit gradum caloris, ad quem ordinatur calefactio, puta ante ebullitionem.

3° Addenda autem erant verba *prout in potentia*, ne quis putaret actum imperfectum alicuius potentiae, si cessaret eius tendentia ad ulteriorem actum, dici posse motum. Nam subiectum quod movetur, ita debet esse in potentia ad terminum motus, *ut sit simul in actu tendentiae in eum*. Quapropter si aqua ex. gr. quae incoeperat calefieri in ordine ad centesimum gradum caloris, cesset calefieri, quum acquisiverit decimum gradum caloris et in hoc actu imperfecto remaneat, non potest dici amplius moveri motu calefactionis, quia licet calor acquisitus in decimo gradu sit actus imperfectus relate ad ulteriorem gradum, et sit actus entis in potentia ad ulteriorem calorem, tamen non est actus *entis in potentia prout in potentia* seu *prout actu tendit* et ordinatur ad ulteriorem gradum caloris, puta ad centesimum gradum; et ideo non est motus (1).

Nota. *De alia motus definitione eiusdem Aristotelis* (2). Praeter definitionem superius explicatam quae definit motum ex parte causae

---

(1) Definitio Aristotelica motus praeclare declaratur a S. Th. in III. Phys. lect. 2.
(2) Physic. lect. 3. c. 3.

formalis et ideo est perfectior, aliam definitionem tradit Philosophus ex parte causae materialis eiusdem, quae se habet ad primam ut *materiale* ad *formale*, et ut *conclusio* ad *principium*, quippe quae ex prima inferatur. Ea est: « *Motus est actus mobilis in quantum est mobile.* » Idcirco ait S. Thomas (in h. l. lect. 4.). « Quia motus est actus existentis in potentia, in quantum huiusmodi; existens autem in potentia, in quantum huiusmodi, est mobile, non autem movens, quia « movens, in quantum huiusmodi, est ens actu; sequitur quod *motus* « *sit actus mobilis in quantum huiusmodi* ». Quae S. Thomae explicatio nos ducit ad statuendam sequentem Thesim.

THESIS XXV.

Quamvis idem numero motus sit moventis ut a quo, et mobilis ut in quo, tamen iure dicitur actu mobilis in quantum est mobile, non autem actus moventis.

PROBATUR.

72. De essentia motus est ut sit actus imperfectus alicuius quod est in potentia ad consequendum actum perfectum, qui est terminus.

Atqui movens in quantum huiusmodi, non est in potentia sed est in actu perfecto illius perfectionis, ad quam mobile tendit per motum, et quam assequetur in fine motus. Ergo impossibile est ut motus sit actus moventis, sed esse debet actus mobilis. *Maior* est evidens. *Minor* constat ex eo quod, quum unumquodque agat secundum quod est actu per suam formam, necesse est ut movens habeat actu eam perfectionem, quam per motum causat in mobili. Sic ignis per formam caloris, quam habet, movet aquam ad calorem, et magister per doctrinam, quam habet, movet discipulos ad scientiam (1).

OBIECTIONES.

73. **Obiect. 1ª.** Movens corporeum, quod agit per contactum quantitativum, dum movet, movetur motu proprie dicto, quia omne agens huiusmodi agendo repatitur. Ergo motus est etiam actus moventis.

Resp. *Dist. antec.* Movens corporeum dum movet, movetur motu proprie dicto *per se*, idest quatenus est *simpliciter* movens, *Nego,* movetur *per accidens*, idest quatenus est *tale movens*, nempe movens per contactum quantitativum, *Subdist.* Movetur eodem motu, *Nego*, di-

---

(1) Cfr. S. Th. in III. Phys. lect. 4.

verso motu, *Conc. Concedo ration. allat. et Nego conseq.* Nam motus, quo movens repatiendo movetur, est diversus a motu mobili non solum *numerice* sed saepe etiam *specifice*, ut contingit quum manus calefaciendo ferrum infrigidatur. Unde huiusmodi agentia et patientia movent et moventur simul non secundum idem, sed secundum diversa.

Obiect 2ª. Quando movens movet mobile, idem numero motus est agentis et patientis, quia patiens non potest sibi imprimere illum motum. Ergo si motus dicitur actus mobilis in quantum est mobile, poterit etiam dici actus moventis in quantum est movens.

Resp. *Dist. antec. Idem numero* motus est agentis et patientis secundum *diversos respectus, Conc.*, secundum *eundem respectum*, *Nego.* Nam est agentis ut *a quo* efficienter causatur, et est patientis ut *in quo* recipitur. Et ideo motus proprie loquendo dici debet actus eius in quo subiectatur: actus enim *formaliter* dicitur de potentia quam actuat, non de causa efficiente a qua procedit. Porro quum agatur de definitione motus, hic debet sumi *formaliter* et definiri ut *forma* quae definitur potissimum in ordine ad potentiam subiectivam, non in ordine ad causam efficientem.

Attamen ne in ambiguitatis vepribus haereamus, concludamus verbis S. Thomae, qui (in III. Physic. lect. 5.) post multa praeclare dicta de hac quaestione subdit: « Et quia positum fuit in dubitatione utrum « motus sit actus moventis, vel mobilis, et ostensum est quod est « actus activi, *ut ab hoc*, et passivi, *ut in hoc:* ad tollendum omnem « dubitationem, aliquantulum notius dicamus, quod *motus est actus* « *potentiae activi et passivi* » videlicet est actus potentiae operativae agentis ad quem se habet ut effectus ad causam efficientem; et simul est actus potentiae subiectivae patientis, ad quam se habet ut causa formalis ad causam materialem.

THESIS XXVI.

Motus non constituit speciale praedicamentum, sed 1. quatenus consideratur ut id ratione cuius aliquid est in actuali transitu de potentia in actum, pertinet reductive ad praedicamenta actionis et passionis. 2. Quatenus autem est aliquid in rerum natura, pertinet reductive ad praedicamentum termini ad quem tendit.

PROBATUR.

74. *Quoad 1um.* Si motus consideretur ut id ratione cuius aliquid est in actuali transitu de potentia in actum, non denominat rem aliquam subsistentem, nisi vel ut motam vel ut moventem, idest vel ut

patientem vel ut agentem. Atqui hae denominationes constituunt praedicamenta actionis et passionis, ut in Logica demonstravimus (n. 203.). Ergo motus sub hoc respectu consideratus est tantum ratio cur dentur praedicamenta actionis et passionis, et consequenter pertinet *reductive* ad haec praedicamenta.

Quoad 2um. Imperfectum reducitur ad perfectum. Atqui motus quatenus est aliquid in rerum natura, est actus qui se habet ad suum terminum, ut imperfectum ad perfectum. Ergo motus quatenus est aliquid in rerum natura, pertinet reductive ad praedicamentum sui termini. Sic motus ad calorem pertinet reductive ad praedicamentum qualitatis (1).

SCHOLION I.

Actio et passio sunt formalitates obiectivae seu realiter diversae.

75. Nam *formalitas actionis* importat *motum* quatenus actu *procedentem* a movente in mobile ut determinatio a determinante in subiectum determinabile. *Formalitas* autem *passionis* importat *eumdem motum* quatenus a passo *receptum* per operationem agentis, ut determinatio a determinabili per operationem determinantis. Iamvero activa causatio alicuius formae et passiva receptio eiusdem sunt rationes obiective seu realiter diversae, quae proinde iure constituunt diversa praedicamenta, importantia modos reales essendi primo diversos. Et ideo quamvis *terminus* actionis et *principium formale* passionis sit *unus idemque motus*, qui causatur ab agente et recipitur a patiente, in quo unice subiectatur; tamen *subiectum quod* actionis est agens, quod ab actione denominatur, et *subiectum quod* passionis est patiens, quod a passione denominatur.

Quapropter quum *actio* dicitur *subiectari* in passo, *actio* sumitur *terminative* pro *effectu actionis*, nempe pro *motu*, qui unice subiectatur in passo. Ex dictis intelliges S. Thomam non sibi contradicere, quum (in III. Phys. lect. 5. et alibi) asserit « *actionem et passionem esse idem* « *re cum motu, sed ab eo ratione differre* » et quum dicit « *non sequitur* « *quod actio et passio sunt idem* ». Sensus enim est *subiectum quo* actionis et passionis esse unum eumdemque motum, *formalitates* autem earum esse obiective diversas et constituere diversa praedicamenta.

---

(1) Cfr. S. Th. in III. Phys. lect. 5.

SCHOLION II.

De motus generibus, unitate, contrarietate, et discrimine a termino.

76. I. **Tria sunt genera motus, nempe augmentum, alteratio, latio.** Etenim motus stricte sumptus, quamvis non constituat speciale praedicamentum, tamen consideratus quantum ad id quod in rerum natura est de motu, ponitur per reductionem in eo genere quod per se terminat motum. Iamvero id quod per se terminat motum (videlicet *terminus ad quem motus*) est aliquid quod invenitur vel sub praedicamento *quantitatis*, vel sub praedicamento *qualitatis,* vel sub praedicamento *ubi*, et ex supradictis satis manifestum est, et S. Thomas demonstrat in V. Phys. Lect. 3. et 4. Ergo tria sunt genera motus, nempe motus ad quantitatem, qui vocatur *augmentum;* motus ad qualitatem, qui vocatur *alteratio;* motus localis, qui vocatur *latio.*

II. **Unitas specifica motus desumitur ex termino et ex via ad terminum.** Etenim quod variat formalitatem motus, variat eius speciem. Atqui formalitas motus variatur non solum ex termino sed etiam ex via tendendi ad terminum, quia via est pars tendentiae in qua consistit motus. Ergo etc. Audiatur S. Thomas (1): « Ad hoc, « quod motus sit idem specie, non solum requiritur identitas termini « secundum speciem, sed etiam identitas eius, per quod transit motus. « Manifestum est autem, quod linea recta et circularis sunt diversae « secundum speciem: unde motus circularis et rectus, et volutatio et « ambulatio non sunt idem secundum speciem, quamvis sint circa « eosdem terminos; quia via non est eadem secundum speciem ».

III. **Unitas numerica motus.** Ad hanc unitatem salvandam in motu non sufficit unitas specifica, quia possunt dari ex. gr. infinitae dealbationes eiusdem speciei; neque sufficit unitas subiecti, quod movetur, sed requiritur continuatio motus, ita ut aliqua quiete non interrumpatur. Etenim, ut ex eius definitione patet, *motus habet esse fluens,* videlicet de eius ratione est *continuitas successiva*, et ideo ad eius unitatem salvandam, debet salvari ea *indivisio* quae est propria entis continui. Iamvero entis continui indivisio salvatur per hoc quod eius continuitas non interrumpatur. Ergo ad unitatem numericam motus praeter unitatem specificam et subiectivam requiritur eius continuatio (2).

---

(1) In V. Phys. lect. 6.
(2) Cfr. S. Th. in V. Phys. lect. 7.

IV. **Contrarietas motus.** Quum contraria sint ea quae in eodem genere maxime distant; ii motus dicuntur contrarii, quorum unus habet *pro termino ad quem* illud ipsum, quod relate ad alterum est *terminus a quo* et viceversa; sic motus a Roma Neapolim est contrarius motui a Neapoli Romam, et motus a frigore ad calorem, qui vocatur calefactio, est contrarius motui a calore ad frigus qui vocatur infrigidatio. Quae contrarietas proprie dicta locum habere potest tantum inter duos motus stricte dictos, quia fieri debet ex affirmato in affirmatum, nempe ex uno termino positivo ad alium terminum positivum, qui tantum possunt convenire in eadem ratione generica. Idcirco S. Thomas (in V. Phys. lect. 8.) ait: « Contrarietas aliquorum accipitur se-« cundum propriam speciem et rationem ipsorum; sed propria ratio « specifica motus est, quod sit quaedam mutatio a quodam subiecto « affirmato in quoddam subiectum affirmatum, habens duos terminos: « in quo differt a *mutatione*, quae non semper habet duos terminos « affirmatos. Ergo relinquitur quod ad contrarietatem motus requiritur « contrarietas ex parte utrorumque terminorum: ut scilicet proprie « dicatur motus contrarius, qui est ex contrario in contrarium, ei qui « est ex contrario in contrarium; ut qui est ex sanitate in aegritudinem, « ei qui est ex aegritudine in sanitatem » (cfr. Log. n. 208. IV.).

V. **Motui opponitur illa quies, quae est in termino a quo.** Nam quies quae habetur in *termino ad quem* se habet ad praecedentem motum ut perfectum ad imperfectum, quia ipsum moveri ad terminum est *fieri quietem,* videlicet gradatim acquirere perfectionem plene in termino possidendam. Unde, cum huiusmodi quies sit finis et perfectio motus; motus autem sit causa ipsius quietis, non potest ei opponi, quia oppositum non est causa sui oppositi. Sic dealbatio est acquisitio albedinis, et calefactio est acquisitio caloris. E contra quies quae est in *termino a quo* alicuius motus, se habet ad hunc ut excludens eam perfectionem ad quam ille motus est ordinatus, et ideo est ei opposita. Sic nigredo est opposita dealbationi, et frigus calefactioni (1). Insuper quies, quae est in termino a quo, *opponitur contrarie* quieti, quae est in termino ad quem, ut patet; sic quies, quae est in aegritudine, opponitur quieti, quae est in sanitate.

VI. **Motus differt a termino ad quem, ut intentio ad aliquid differt ab eo, quod est aliquid.** Proprium enim *esse* motus non est esse aliquid firmum et ratum in rerum natura, sed *fluens* et *tendens* ad aliquid. Terminus autem est id quod habet *esse* firmum et ratum in rerum natura.

---

(1) Cfr. S. Th. in V. Phys. lect. 9.

Nota. *Realitas motus* vel spectatur *formaliter* ut motus, vel *materialiter* idest *absolute* et *secundum se* sine ordine sive ad ulteriorem actum sive ad praecedentem potentiam. *Formaliter* spectata nequit habere rationem sive termini a quo sive termini ad quem. *Materialiter* autem seu *absolute* spectata habere potest rationem *termini a quo* relate ad ulteriorem actum et rationem *termini ad quem* relate ad praecedentem potentiam. Sic decimus gradus caloris in calefactione *absolute consideratus* habere potest rationem *termini a quo* relate ad ulteriores gradus calefactionis et *termini ad quem* relate ad praecedentes gradus calefactionis. Hinc fit ut, si motus interrumpatur, actus acquisitus in puncto interruptionis rationem habeat *termini ad quem* relate ad praecedentem motum, eumque specificet.

QUAESTIO VIII.

DE TEMPORE.

THESIS XXVII.

Pro diversitate durationum triplex datur earum mensura sive proprie sive improprie dicta, nempe aeternitas, aevum, et tempus, quod bene definitur ab Aristotele: « numerus motus secundum prius et posterius » (1).

PRAENOTIONES.

77. I. **Duratio est permanentia rei in suo esse.** Sic homo tamdiu dicitur durare quamdiu existit (2). Unde fundatur in ipsa existentia rei, et sequitur modum quo esse rei se habet ad rem, nempe vel immutabiliter vel mutabiliter, prouti res immutabiliter vel mutabiliter existit. Et ideo communis ratio durationis determinatur per hoc, quod actualitati rei addatur ratio uniformitatis vel difformitatis in essendo, prouti res immutabiliter vel mutabiliter in suo esse permanet. Ad cognoscendam igitur diversam rationem durationis rerum, scire oportet diversum modum quo res permanent in suo esse, nempe utrum immutabiliter vel mutabiliter, simultanee vel successive.

II. **Prius et posterius sunt de ratione motus tum continui, tum discreti.** Nam prius et posterius dicuntur de non habente omnes partes simul. Sed motus sive *continuus* sive *discretus* non habet omnes partes simul, quum sint essentialiter suo modo successivi. Ergo prius et posterius sunt de ratione motus. Et sane *motus continuus* est ille cuius partes, quae et ipsae sunt continuae, sibi succedunt sine intervallo, quia ex. gr. communi termino continuantur inter se: talis est motus diei a mane ad vesperam. *Motus discretus* qui constat vel ex pluribus motibus stricte dictis per quietum intervalla separatis, vel ex variis mutationibus quarum unaquaeque in instanti fit, est ille cuius partes sibi succedunt cum aliquo intervallo, quia singulae partes, nullo communi termino continuantur; tales sunt etiam cogitationes vel volitiones quae in instanti fiunt, quaeque per intervalla aliae aliis

---

(1) Cfr. S. Th. in V. Phys. lect. 17.
(2) Cfr. S. Th. in I. Sent. Dist. 19. q. 2. a. 1.

succedunt sive in anima rationali sive in angelo. Ergo sive motus continuus sive motus discretus important suo modo aliquam successionem et ideo de eorum ratione est aliquod *prius* et *posterius.*

PROBATUR THESIS.

78. Quaelibet res quomodocumque existens dicitur habere mensuram suae durationis, quatenus eius perseverantia in esse ab aliquo intellectu est cognoscibilis et mensurabilis sive mensurâ proprie dicta sive improprie dicta. Iamvero res aliqua habet esse 1° vel totum simul absque limitibus initii et finis et absque adiunctione vicissitudinis operationum, utpote quae est prorsus identificata cum suo esse et operatione, cuiusmodi est ipsum esse subsistens seu Deus; vel 2° habet esse totum simul, sed non absque limitibus initii et non repugnantiae finis, neque absque adiunctione vicissitudinis operationum, utpote habens esse receptum in essentia incorruptibili quidem sed a suis potentiis et operationibus distincta; vel 3° successive acquirit aliquod esse et id quidem *a)* vel ratione successionis actuum perfectorum, quorum unusquisque in se terminatur, ut sunt intellectiones et volitiones creaturarum spiritualium; vel *b)* ratione successionis motus proprie dicti seu actus entis in potentia ut in potentia.

In primo casu mensura omnino improprie dicta durationis dicitur *aeternitas*, quae realiter identificatur cum ipso esse per se subsistente quaeque solo Divino Intellectui est proportionata, atque definitur a Boetio: « *Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio* ». In secundo casu mensura durationis, vocatur *aevum*, quod est duratio propria essentiarum creatarum incorruptibilium. In tertio casu mensura durationis vocatur *tempus* vel *discretum* vel *continuum,* prouti motus cuius mensura dicitur secundum prius et posterius accipitur lato vel stricto sensu. Nam *a)* si motus accipiatur lato sensu pro quolibet transitu de potentia in actum, ita ut prius et posterius referantur ad diversas mutationes successivas et ab invicem distinctas utpote in se terminatas, habemus mensuram seu numerum operationum discretarum quarum una praecedit aliam, et sic habemus *tempus discretum. b)* Si autem motus accipiatur stricto sensu pro actu entis in potentia ut in potentia, ita ut *prius et posterius* referantur tantum ad partes successive continuas unius motus, habemus *tempus continuum* quod est *tempus proprium entis mobilis.*

Et quia *motus* sine addito acceptus designat *motum proprie dictum*, apte definitur *tempus continuum numerus* seu *mensura motus secundum drius et posterius.* Nam quatenus dicitur *mensura secundum prius et*

posterius distinguitur ab aeternitate et ab aevo in quibus non potest accipi ulla successio secundum prius et posterius. Quatenus dicitur *mensura motus* sine addito, iure intelligitur de motu stricte dicto tantum.

Insuper si vocemus tempus mensuram durationis motus; patet nos eatenus posse mensurare durationem motus, quatenus mensurare possumus eius perseverantiam in suo esse successivo. Iamvero eatenus possumus hanc mensurare, quatenus deprehendere possumus quot eius partes successive defluxerint, ita ut prius unam partem, postea alteram, deinde tertiam successive fluxisse sciamus. Ergo eo ipso quod motus est numerabilis secundum prius et posterius, eius duratio est mensurabilis, eiusque mensura apte definitur *numerus motus secundum prius et posterius.*

79. **Corollarium 1.** *Tempus est numerus numeratus.* Nam non est numerus absolutus et abstractus, qui vocatur *numerus numerans*, ut unum, duo, tria etc. sed est numerus obiectivus, et concretus, qui invenitur in realibus quantitatibus, sive discretis ut in *decem equis*, sive continuis ut in *decem ulnis panni.* Non enim numerus cuiuslibet rei est tempus sed tantum *numerus prioris et posterioris in motu.*

Corollarium 2. *Tempus est accidens reale.* Nam omnis realis numerus est huiusmodi; quia non per solam fictionem rationis, sed realiter idest a parte rei contingit ex. gr. ut isti homines sint decem (1). Attamen tempus non distinguitur realiter *a priori et posteriori motus,* sed ratione tantum, quia eis addit respectum ad intellectum numerantem. Et ideo si *motus* est *continuus*, tempus etiam erit *continuum*, si motus est *discretus,* tempus erit *discretum.*

Corollarium 3. *Tempus quum dicitur numerus non cadit sub perfecta ratione quantitatis,* sed eo modo sub quantitate cadit, quo cadit motus cuius est mensura et cum quo realiter identificatur, quamvis ratione ab eo distinguatur. Quapropter *tempus continuum* est ex eis quae dicuntur *quanta per accidens.* Tempus autem *discretum,* quo mensurantur ex. gr. priores et posteriores intellectiones angelorum, dicitur *quantum analogice*, nempe secundum proportionem et ordinem ad tempus continuum.

Corollarium 4. *Non eodem modo omnia entia creata subduntur tempori.* Nam dupliciter contingit alicui esse in tempore, sicut in numero: 1. ut aliquid ipsius temporis, et sic sunt in tempore *nunc* seu *limes* temporis (de quo mox loquemur), *prius et posterius*, *praeteritum*, *futurum*, et similia; 2. ut aliquid mensuratum a tempore et hoc vel

(1) S. Th. quodlib. 11. a. 1. ad 1.

α) *per se, immediate* et *essentialiter* eo quod eius essentia in successione consistit, cuiusmodi est *motus;* vel β) *ratione alterius,* seu *mediate*, idest ratione accidentium, ut *angeli* qui ratione suarum operationum subduntur tempori.

THESIS XXVIII.

Quum vocabulum *nunc* dicatur *analogice* de actu praesenti variarum durationum; adsignantur discrimina inter *nunc aeternitatis, nunc aevi, nunc temporis continui* et *nunc temporis discreti.*

DECLARATUR.

80. *Nunc* importat *praesentem actum durationis.* Quum autem actus praesens durationis non eodem modo inveniatur in durationibus permanentibus et in successivis; hinc fit ut vocabulum *nunc* in sua communissima acceptione non sit univocum sed analogum analogia proportionalitatis propriae. Et sane

1° Quoad illam durationem, quae omnem successionem, mutabilitatem et limitationem excludit, quum sit tota simul et absolute illimitata nullamque habens adiunctam successionem operationum, *nunc* seu praesens actus eius prorsus identificatur cum aeternitate, quae non est aliud ab essentia, esse et operatione divina, et dicitur *nunc aeternitatis.*

2° Quoad eam durationem, quae excludit successionem et mutabilitatem tantum quoad existentiam participatam; *nunc* seu actus praesens durationis identificatur cum ipsa tota duratione substantiae simplicis, et est *nunc aevi.* Deficit autem a perfectione τοῦ *nunc aeternitatis* eo modo quo *aevum* deficit a perfectione aeternitatis. Duratio scilicet *aeviterna*, quamvis sit tota simul, non excludit initium, non repugnat fini, compatitur sibi adiunctam successionem operationum.

3° Tandem quoad durationem essentialiter successivam (quae vocatur tempus), *nunc* seu actus praesens durationis temporaneae distinguitur realiter ab ipsa duratione tamquam *limes* a toto continuo et a qualibet eius parte, si tempus sit continuum; vel, si tempus sit discretum, tamquam *unitas discreta* a serie plurium unitatum discretarum sibi succedentium, quia de ratione entis successivi est, ut non habeat partes simul existentes, et si sit continuum fluens, non attingat esse nisi per indivisibilem limitem copulantem partes anteriores posterioribus. Ad cuius rei aliqualem intelligentiam imaginemur lineam aliquam successive efformari a nobis delineando eam supra tabulam. In

hac continuata delineatione limes seu punctum lineae, ex qua parte linea protenditur, procedendo iungeret successive et continuatim partes delineatas lineae partibus delineandis (1).

Corollarium 1. Tempus continuum est praesens per suum *nunc*, non est tempus neque pars temporis quantumvis minima, sed est limes seu instans indivisibile temporis.

Corollarium 2. *Nunc* temporis continui, dum tempus continuatur, est *secundum se* idest ratione seu formalitate propria iugiter alterum atque alterum, sed *secundum subiectum,* de quo praedicatur, est idem. Hoc sensu dicitur esse idem *re* sed *ratione* diversum. Nempe, donec tempus perseverat in suo fluxu, eius nunc *mutatur formaliter*, *non materialiter* (2).

---

(1) Cfr. S. Th. in IV. Phys. lect. 21. « Tempus dividitur secundum *nunc* sicut et « linea dividitur secundum *punctum* etc. »
(2) Cfr. S. Th. in IV. Phys. lect. 18.

QUAESTIO IX.

DE LOCO, UBI ET SITU.

CAPUT I.

DEFINITIONES LOCI ET SPATII.

81. **Locus proprie dictus** definitur ab Aristotele (1): TERMINUS CONTINENTIS IMMOBILIS PRIMUS, nempe locus est talis superficies corporis continentis aliud corpus, quae sit *formaliter invariabilis* et *immediate attingat* superficiem corporis contenti, ita ut corpus continens et corpus contentum evadant contigua. Contigua enim sunt quorum extrema sunt simul (n. 48.).

Definitio Aristotelica bona est et adaequata, nam competit omni et soli definito.

Et sane 1º per hoc quod locus dicitur TERMINUS CONTINENTIS *a) distinguitur a substantia et reliquis accidentibus corporis continentis.* Etenim eo ipso quod locus est *terminus continentis* non est totum corpus ambiens corpus contentum, sed est ea superficies qua mediante continens contentum attingit, ex. gr. locus, in quo est turris, non est totus aër, sed est superficies aëris, qua aër turrim attingit fitque ei contiguus. *b) Distinguitur etiam a spatio.* Etenim eo ipso quo dicitur *terminus continentis* importat *formaliter ordinem* ad corpus contentum seu locatum; *continens* enim est vox *relativa.* Ergo nequit confundi cum *spatio* sive *imaginario* (quod est purum nihilum), sive *reali*, ad quod requiruntur et sufficiunt reales dimensiones per longum, latum et profundum. Quare si existeret unicum corpus physicum, existerent etiam reales dimensiones per longum, latum et profundum et ideo existeret etiam spatium reale, attamen nondum existeret locus proprie dictus; nam superficies huius corporis non esset superficies alicuius corporis *continentis.* Tandem *c) distinguitur a substantia spirituali*, quae, quum non sit corpus, nequit esse dimensionata.

2º Addendo vocem IMMOBILIS, definitio indicat superficiem corporis continentis non habere rationem loci secundum physicam et materialem suam entitatem, quae potest mutari, quemadmodum mutatur aër circa

(1) Physic. lib. 4. c. 5.

turrim et aqua fluens circa scopulum; sed habere rationem loci *secundum determinationem situs, ordinis atque distantiae respectu alicuius puncti immobilis*, puta ad polos vel ad centrum telluris, vel ad intersectionem meridiani alicuius cum linea aequatoriali. Unde locus proprie et stricte dictus distinguitur a vase, quod moveri potest simul cum corpore contento; et ideo ait Aristoteles, *quod vas dici posset locus mobilis,* et *locus vas immobile.*

Recte additur VOX PRIMUS. Etenim ea superficies est *proprius* locus alicuius corporis, quae *immediate* ambit illud. Quod si plura corpora distincta ambiantur aliqua communi superficie continente, ut essent ex. gr. plures homines in eadem aula, haec respectu singulorum rationem haberet *loci communis*, respectu autem totius collectionis rationem haberet *loci proprii* (1).

82. **Spatium** est dimensiva extensio in longum, latum et profundum.

Spatium reale constituitur per dimensiones actu existentes, continuas, vel contiguas. Unde non datur, nisi existente corpore physico, quod solum est capax dimensionum.

Spatium imaginarium concipitur per dimensiones imaginatas, et ideo nihil est a parte rei, sed solum in imaginatione cogitantis.

Nota. Ex dictis apparet locum esse partem spatii, quam corpus aliquod suis dimensionibus replere natum est. Licet autem locus considerari possit vel ex parte corporis contenti, vel ex parte corporis continentis; tamen proprie accipitur ex parte continentis, ut patet ex supraexposita definitione Aristotelica.

CAPUT II.

DE VARIA RATIONE ESSENDI IN LOCO.

83. **Esse in loco per se seu circumscriptive.** Est in loco *per se* seu *circumscriptive* id quod per suas dimensiones exteriores commensuratur loco. Quum autem tantum corpora sint dimensionata, haec tantum possunt esse in loco *per se* seu *circumscriptive.*

84. **Esse in loco per accidens, et hoc sive formaliter, sive definitive, sive eminenter.** Est in loco *per accidens* id, quod licet careat dimensionibus, tamen invenitur in aliquo corpore, quod *per se* est in loco, estque totum in toto et totum in qualibet parte eius. Hoc autem contingere potest tripliciter, nempe 1^{0} vel ut sit in eo tamquam forma corporis, 2^{0} vel tamquam motor corporis non excedens eius li-

---

(1) Cfr. S. Th. in IV. Physic. lect. 5.

mites, 3° vel tamquam motor corporis excedens eius et caeterorum corporum sive existentium sive possibilium limites. Quod est in loco per accidens primo modo dicitur esse in loco FORMALITER atque ita est anima in corpore; quod est in loco per accidens secundo modo dicitur esse in loco DEFINITIVE, atque ita esset ex. gr. aliquis angelus in aliquo monte, quem moveret; quod est in loco per accidens tertio modo dicitur esse in loco EMINENTER, qua ratione Deus dicitur esse in loco. Per hoc enim, quod Deus dando et conservando esse omnibus locatis et locis, est virtute et essentia sua eis intime praesens; intelligitur esse in quolibet loco, nec tamen ab aliquo *circumscribitur* ita ut non sit totus in toto et totus in qualibet loci parte, neque ab aliquo *definitur* ita ut sit tantum in eo loco, sed ita est intime praesens omnibus locis et locatis, ut possit esse praesens infinitis aliis, si existerent, videlicet *est in loco eminenter.*

Nota. Ad aequivocationes vitandas nota bene vocem *per accidens* hic accipi prouti opponitur voci *circumscriptive*, et vocem *per se* accipi prouti opponitur huic acceptioni vocis *per accidens.* Si enim aliquis acciperet vocem *per accidens* prouti opponitur voci *essentialiter*, tunc forma substantialis dici deberet esse *per se* in loco; Deus autem dici deberet esse *per se* in omnibus locis existentibus, quamvis in eis neque *circumscriptive* sit neque *formaliter,* sed *eminenter.*

CAPUT III.

DE PRAEDICAMENTIS UBI ET SITUS DEQUE EORUM DISTINCTIONE A CORPORE LOCATO.

85. **Ubi** definitur *Corporis esse in loco*, vel « *Circumscriptio corporis ex circumscriptione loci proveniens* » (1). Quae definitio bona est. Nam quando quaerimus ubi aliquod corpus sit, scire volumus in quo loco sit. Ad id autem non sufficit dicere: corpus est extensum, seu habet suas dimensiones; per has enim corpus habet utique aptitudinem ut circumscriptive sit in loco, sed nondum dici poterit esse in loco. Occupatio actualis loci seu *esse in loco* importat aliud elementum, nempe corpus ambiens commensurans suis dimensionibus superficialibus dimensiones superficiales corporis contenti. Tunc igitur poterit de aliquo corpore praedicari *aliquod ubi*, seu dici *quod sit in aliquo loco*, quando eius dimensiones commensurabuntur dimensionibus alicuius corporis ambientis. Quopropter UBI *praedicamentale consistit in commensura-*

(1) Gilbertus Porretanus in Op. Sex. Princip. Cap. Ubi.

tione quadam inter corpus locatum, et superficiem corporis ambientis (cfr. Log. n. 203.).

Corollaria. α) *Ubi est accidens reale corporis locati.* Nam formalis eius effectus, qui est *esse in aliquo loco,* verificatur de corpore locato et inducit mutationem aliquam in ordine rerum independenter a consideratione nostrae mentis: porro omnis mutatio in ordine rerum, independenter a mente, est realis, et in eo est, de quo verificatur. Ergo *ubi* est accidens reale corporis locati.

β) *Est accidens realiter distinctum non solum a substantia corporis locati, sed etiam a quantitate et a qualitatibus inhaerentibus eiusdem.* Nam hisce omnibus permanentibus, si corpus mutet locum, mutat *ubi.*

γ) *Causa efficiens adaequata* huius accidentis, quod vocatur *ubi,* est id quod continenti et contento quantitatem tribuit et contentum in continente ponit.

δ) Locus *se habet ad* ubi *ad modum termini extrinseci;* nam corpus est in loco per hoc, quod eius dimensiones exteriores commensurantur dimensionibus exterioribus corporis ambientis.

ε) *Attamen* ubi *non est mera relatio.* Nam relatio importat solum *esse ad.* Ubi autem importat in locato *esse in,* videlicet *esse in loco;* quod est actualitas quaedam absoluta corporis locati. Praeterea *esse in loco* supponitur ut fundamentum relationum resultantium inter locatum et locum, porro fundamentum relationis non est relatio.

ζ) Locus *non constituit novum praedicamentum,* sed quatenus praedicatur de locante idest de corpore ambiente pertinet ad genus quantitatis; quatenus autem praedicatur denominative de corpore locato, concurrit ad statuendum praedicamentum ubi (1), ideo non dicimus librum esse locum, sed esse *locatum,* ex. gr. in medio bibliothecae. Quatenus igitur liber et quodcumque aliud corpus suas dimensiones circumscriptas habet dimensionibus corporis ambientis, est sub praedicamento *ubi.* Quo in casu praedicamentum desumitur ab eo, quod est extra subiectum per modum mensurae stabilis, nempe ex loco.

η) Situs est praedicamentum quod desumitur ex dispositione partium in loco et ideo distinguitur a praedicamento Ubi, quod ab hac dispositione praescindit. Ex. gr. si in eodem loco vertatur liber, ita ut eius pars superior incipiat tenere inferiorem locum, aut viceversa, liber non mutat suum *ubi,* sed mutat suum *situm.*

---

(1) Cfr. S. Th. in XI. Metaph. lect. 9.

CAPUT IV.

DE VARIIS MODIS ESSENDI UBIQUE, DEQUE DISTINGUENDO LOCO PROPRIE DICTO A LOCO METAPHORICE DICTO.

86. **Esse ubique** est esse in omni loco. *a) Ubique primario* est id quod secundum se totum est in omni loco, ita ut sit totum in toto et totum in qualibet parte eius. *b) Ubique secundario* est id quod ita est in omni loco, ut secundum diversas sui partes eum occupet. *c) Ubique per se* est id cui in quacumque hypothesi competit esse ubique. *d) Ubique per accidens* est id cui competit esse ubique solum in aliqua hypothesi. Ex. gr. in hypothesi quod Deus creavisset tantum unum corpus et quod hoc corpus esset humanum, anima informans tale corpus esset *ubique primo* et *per accidens.* Deus autem esset, sicut est etiam nunc in universo corporeo, *ubique primo et per se.*

Ad vitandas aequivocationes sophistarum distingue α) *locum proprie dictum a loco metaphorice dicto.* Primus est quem hucusque descripsimus et de quo agimus in praesenti quaestione. Secundus est quidquid quocumque modo continet aliud, etsi continens sit substantia spiritualis, quae continere potest aliquid virtute sua, non dimensionibus. Sic quaerenti an in hypothesi, qua Deus creaverit angelos ante mundum corporeum, vel etiam nunc in hypothesi quod aliqui angeli non sint definitive in ullo corpore; possint ne angeli dici esse nuspiam? Respondebis, si *nuspiam* referatur ad locum proprie dictum, dici deberent nuspiam fuisse vel esse: si referatur ad locum metaphorice dictum, dici deberent angeli fuisse et esse in Deo. Insuper β) accipiendo *esse in seipso negative,* nempe quatenus aliquid non sit in alio ut in continente sive proprio sive metaphorico, Deus dici debet *esse in seipso.* Praeterea γ) si *esse in loco proprie* aliquis intelligeret exclusive *esse in loco circumscriptive*, substantia spiritualis praesens intime corpori locato dici deberet esse in loco *metaphorice:* sed iste modus loquendi vitandus est, nam talis substantia esset in loco *proprie* sed *definitive* si esset substantia spiritualis finita, *eminenter* si infinita, nempe Deus (cfr. n. 84.). δ) *Distingue indivisibile in genere quantitatis continuae ab indivisibili extra genus quantitatis.* Primum est in situ determinato, quum sit in genere quantitatis, non secundum (1). *Distingue locum in actu et locum in potentia, spatium in actu et spatium in potentia.*

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 8. a. 2. ad 2.

QUAESTIUNCULAE.

DE VARIA HABITUDINE CORPORUM AD LOCA ET SPATIA SECUNDUM DIVERSAS HYPOTHESES.

87. **Quaeres 1.** utrum universus corporeus nunc existens dici possit esse *ubique?*

Resp. Dici potest esse *ubique secundario* et *per accidens*, quia non est secundum se totum, sed secundum suas partes in omni loco existente; ita tamen, ut, si alia corpora crearentur, cessaret esse ubique. (cf. n. 86).

Quaeres 2. utrum universus corporeus dici possit esse localiter in seipso?

Resp. Dici potest *negative,* idest quatenus non est in alio corpore. Dici autem nequit esse localiter in seipso *affirmative primario*, idest secundum se totum; quia simul esset continens et contentus secundum idem, quod repugnat. Attamen *affirmative secundario* dici potest esse localiter in seipso, idest *ratione suarum partium*, quarum una continetur in alia. Sic enim non est secundum idem continens et contentus, sed secundum diversa (cf. n. 86.).

Quaeres 3. Utrum universus corporeus dici queat occupare spatium reale?

Resp. Non potest hoc dici, sed dicere oportet eum *constituere spatium reale.* Hoc autem spatium finitum est, nam dimensiones actuales universi corporei constituunt ipsum spatium reale. Dimensiones autem actuales nequeunt esse infinitae, quia magnitudo actu infinita repugnat (1).

Quaeres 4. Si existeret tantum unicum corpus, ex. gr. sphaera aurea quod accepisset impulsum ad motum localem, possetne dici mutare successive loca mensurabilia?

Resp. Dici posse secundum suas partes mutare loca mensurabilia, quia in suo motu processivo partes posteriores eius iugiter transirent in locum anteriorem, quem eius partes anteriores designaverant. Unde per huiusmodi motum successive signaretur distantia quaedam mensurabilis. Loca autem illa essent potentialia, quia in corpore continuo partes non sunt actu divisae sed potentiâ tantum.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 7. a. 3.

Quaeres 5. Si darentur duo corpora neque contigua, neque medio corpore contiguo coniuncta, sed prorsus separata, possetne designari locus aliquis relate ad ea?

Resp. Posse. Nam datis duobus corporibus, designari possunt duo puncta realia, inter quae designari valeat linea, quae secundum longitudinem finiretur iis punctis. Quo in casu daretur aliqua distantia designabilis et aliquis designabilis locus. Qui plura cuperet, conferre potest S. Thomam in IV. Physic.

Quaeres 6. Utrum simultanea multilocatio eiusdem corporis repugnet ita ut ne quidem ex virtute Divina obtineri possit?

Resp. eam repugnare si corpus multilocatum debeat propriis dimensionibus simul commensurari dimensionibus plurium locorum; quia in hac hypothesi esset eadem dimensio simul secundum idem una et multiplex. Si autem ex virtute divina, suspenso effectu tantum extrinseco quantitatis, corpus remanendo in seipso extensum non commensuretur pluribus simul locis dimensionibus propriis sed alienis, respondemus non repugnare. Immo ita explicat S. Thomas (3. p. q. 76. a. 5. et ll. pp.) multipraesentiam localem Corporis D. N. Iesu Christi in Sacramento Eucharistiae, in quo Corpus Domini non commensuratur variis locis per proprias dimensiones, sed per dimensiones panis et vini, quae peracta transubstantiatione remanent in hoc admirabili Sacramento. Quapropter Corpus Christi in hoc Sacramento non dicitur esse circumscriptive, neque definitive, neque formaliter, sed *sacramentaliter*.

TRACTATUS TERTIUS

DE NATURA EIUSQUE FINALITATE ET ACTIVITATE.

QUAESTIO X.

DE NATURA EIUSQUE DISCRIMINE AB ARTE, VIOLENTIA, FORTUNA ET CASU.

CAPUT I.

VARIAE ACCEPTIONES VOCIS NATURA.

88. **Natura** 1° *latissime* accepta sumitur pro *quidditate* seu *essentia* rei: quo sensu praedicatur analogice de omnibus entibus corporeis, incorporeis, et de ipso Deo. 2° *Minus late* sumitur pro *essentia quatenus* haec est *principium quo remotum* operationis, sive haec operatio fiat per transitum de potentia in actum, ut contingit in omnium creaturarum operationibus, quae idcirco praeter essentiam requirunt potentias operativas tamquam *principia quibus proxima* operationum; sive nullo modo fiat per transitum de potentia in actum, sed sit pura perfectio subsistens, prorsus identificata cum ipso esse per se subsistente, nempe cum Deo, in quo *principium quod* operationis, nempe *suppositum principium quo remotum* operationis, nempe essentia, et *principium quo proximum* operationis, nempe potentia operativa, sunt prorsus unum et idem, nempe ipsum esse per se subsistens. Quocirca etiam hoc sensu natura potest praedicari analogice de Deo et creaturis. 3° *Stricto sensu* natura sumitur *pro principio intrinseco quo substantiali* motus et quietis in corporibus. 4° *Tropice* sumitur aliquando pro ipsa rerum creatarum universitate, et dicebatur a veteribus *natura naturata*, aliquando sumitur pro ipso Auctore naturae creatae nempe Deo, et dicebatur a veteribus *natura naturans*. 5° Vocatur etiam *natura* quaelibet naturalis causa, quatenus agit secundum insitam propensionem. 6° Dicitur *natura* ipsum temperamentum ac propria dispositio uniuscuiusque, ut cum aliquis dicitur bonam vel malam naturam sortitus. 7° Dicitur *natura* seu *nativitas* ipsa generatio viventium: atque haec est etymo-

logia vocis natura, quae a nascendo derivata est. 8° *Tandem sumitur pro principio intrinseco motus et quietis.* Etenim quum generatio viventis sit a principio intrinseco, nomen *natura* applicari coepit principio intrinseco, unde primo habet unaquaeque res ut modo suae essentiae consentaneo moveatur vel cesset moveri (1).

THESIS XXIX.

Natura stricte sumpta pro intrinseco principio, quo compositum corporeum dicitur naturale, convenienter definitur ab Aristotele (II. Phys. cap. 1.) « principium et causa motus et quietis in eo, in quo est primo per se et non secundum accidens ».

PRAENOTIONES.

89. I. Triplici modo res aliqua corporea considerari potest sensibiliter moveri aut quiescere: 1° *secundum exigentiam* suae essentiae et quasi relicta sibi ipsi, semperque conformiter ad alia corpora, quae conveniunt in eadem natura specifica. Sic animal aliquando movetur localiter, aliquando quiescit, arbor crescit, nutritur et fructificat, lapis quiescit. Quos motus et quietes vocamus *connaturales*. 2° *Contra exigentiam* suae essentiae, et nihil conferendo propriae virtutis. Sic lapis proiectus in altum movetur ab extrinseco agente contra exigentiam suae essentiae, et ideo iterum cadit et quiescit. Hi motus vocantur *violenti*. 3° *Praeter exigentiam* moventur res corporeae ab agente extrinseco, quando determinantur ad aliquam formam accidentalem ad quam sunt indifferentes, ita ut ex se non moveantur ad illam; si tamen ad illam moveantur, concurrunt in ratione causae materialis, eamque retinent, donec ab alio agente ad aliquam formam incompossibilem cum illa determinentur. Hi motus dicuntur *artificiales*. Sic metallum artificialiter movetur ad formam statuae Herculis vel ad numisma sub imagine Caesaris.

II. Manifestum est horum motuum et quietum dari debere causam vel principium aliquod proportionatum, intrinsecum quidem cum agitur de motu vel quiete naturali, extrinsecum cum agitur de motibus violentis vel artificialibus. Secus haberemus effectum sine causa proportionata. Porro ad recte designandum primum principium intrinsecum illorum motuum vel quietum, quae secundum propriae essentiae exi-

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 29. a. 1. ad 4. et 3. q. 2. a. 1.

gentiam manifestantur in aliquo corpore, quatenus est sub determinata specie constitutum, optime adhibetur nomen *natura,* si accipiatur eo sensu, quem prae se fert definitio Aristotelica.

PROBATUR.

90. Conveniens definitio *naturae* ea est, qua eius propria ratio ita exhibetur usque ad ultimam differentiam, ut discernatur *natura* a quocumque alio principio motus aut quietis sensibilis. Atqui huiusmodi est Aristotelica definitio. Ergo *natura* convenienter definitur: *principium et causa motus in eo, in quo est primo per se et non secundum accidens.*

Prob. min. per partes. 1º Quatenus natura vocatur *principium* et *causa motus vel quietis* designatur natura tamquam id ratione cuius habetur in corpore vel motus, vel quies, vel simul secundum diversa tum motus, tum quies. Unde his verbis exhibetur *genus.* Etenim etiam ars vel violentia possunt esse causae alicuius motus vel quietis in corpore.

2º Quatenus adduntur verba: *in eo in quo est* designatur intraneitas tum motus vel quietis, tum principii seu causae eorum. Significant enim naturam esse principium motus vel quietis in illo ente, in quo ipsa natura invenitur. Quare his verbis natura *a)* discernitur *a violentia et ab arte,* quae sunt principia extrinseca corpori in quod causant motus violentos vel artificiales; *b)* discernitur etiam a generante ob eamdem rationem; *c)* discernitur tandem tamquam pars a toto, nempe *inadaequate,* ab ipso corpore, in quo natura est principium motus vel quietis, nempe ut *principium quo* discernitur *a principio quod.* Et sane, si natura inveniri debet intrinsece in ente corporeo, quod movetur aut quiescit, oportet ut ipsa non sit *id quod* movetur aut quiescit, sed *id quo* suppositum corporeum movetur aut quiescit. Secus idem secundum idem moveretur et moveret, quod repugnat. Quocirca natura est id secundum quod corpus intrinsece movetur aut quiescit.

3º Per additionem vocis *primum,* natura designatur tamquam principium primum i. e. radicale ac substantiale motus vel quietis; et per hoc discernitur a potentiis operativis, quae sunt principia proxima, accidentalia et instrumentalia motus.

4º Adduntur tandem verba *per se et non per accidens* ad excludendum a ratione naturae omne principium alicuius motus intrinseci quod *per accidens* inveniatur in mobili. Et ideo quamvis medicus infirmus posset esse sibi ipsi principium intrinsecum motus ad sanitatem

recuperandam ratione formae accidentalis artis medicinalis, secundum quam homo medicus est ens secundum quid, tamen non dicitur movere *naturaliter* seipsum ad sanitatem, sed *artificialiter* et *per accidens* (1).

91. **Corollarium.** Nomen *Natura* in sua stricta acceptione convenit primis principiis intrinsecis per se constitutivis substantiae corporeae, nempe tum materiae primae, tum formae substantiali, quatenus haec sunt prima principia intrinseca substantialia *quibus* corpori competit naturalis motus aut quies aut utrumque. Siquidem sub hoc respectu applicari potest tradita definitio *naturae.* Attamen divisio naturae in materiam et formam non est proprie divisio generis in suas species, sed analogi in analogata: nam formae competit esse tale principium in ratione actus, materiae in ratione potentiae: et ideo *natura* magis praedicatur de forma, quam de materia. « Quia unumquodque « magis dicitur secundum quod est actu, quam secundum quod est in « potentia, ideo forma, secundum quam aliquid est ens naturale in « actu, magis est natura, quam materia, secundum quam est aliquid « in potentia » (2).

Quaeres. *Utrum natura stricte sumpta praedicari etiam possit de ipsa substantia corporea adaequate sumpta.*

Resp. Si nomine substantiae corporeae adaequate sumptae intelligas ipsam substantiam primam subsistentem in se, puta Socratem vel Platonem, nequit *natura directe* praedicari de substantia corporea, quia *natura* est *principium quo* naturalis motus aut quietis, individuum autem subsistens est *principium quod* eorumdem. Si autem nomine substantiae corporeae adaequate sumptae intelligas ipsam essentiam substantialem secundum quam individuum corporeum subsistit, poterit *natura directe* praedicari de ipsa.

CAPUT II.

NATURAE DISCRIMEN AB ARTE ET VIOLENTIA.

92. Siquidem ARS definitur *recta ratio factibilium* i. e. habitus intellectivus dirigens operationem circa materiam externam, cuiusmodi est ex. gr. ars aedificandi in architecto, ars pingendi in pictore, VIOLENTIA autem definitur *coactio ab externo agente illata repugnanti;* manifestum est tum *artem* tum *violentiam* a *natura* distingui, et consequenter naturale ab artificiali et a violento. Etenim *naturale* dicitur

(1) Cfr. S. Th. in II. Phys. Lect. 1.
(2) Cfr. S. Th. in II. Phys. Lect. 2

id cuius principium motus est intra: *artificiale*, cuius principium motus est extra *in ratione:* violentum, *cuius principium motus est extra, nihil conferente vim passo.* Quod si artificialia motum aliquem quandoque habent, sive secundum *alterationem*, sive secundum *augmentum*, sive secundum *locum*, eum non habent quatenus artificialia, sed *quatenus naturalia.* Ratio enim specificativa artificialium est *figura, compositio* seu *ordo*, quae non sunt per se principia motus. Sic cultrum habet motum deorsum non quatenus cultrum, sed quatenus ferrum vel lignum. Attamen ars iuvare potest naturam, sicut patet in arte medicinae, quae utitur ipsis naturalibus corporum proprietatibus debito cum ordine ad sanitatem aegrotis restituendam.

CAPUT III.

DE DISCRIMINE NATURALIUM ET ARTIFICIALIUM A CASUALIBUS ET FORTUITIS.

93. *Naturalia* et *artificialia* differunt a *casualibus* et *fortuitis* in eo, quod illa habent determinatas causas *efficientes* et *finales*, causalia autem et fortuita non habent, quia absque ordine et praeter intentionem vel opinionem contingunt, et ideo *raro* et *in paucioribus.* Unde *natura* et *ars* sunt *causae per se* suorum effectuum; *casus* autem et *fortuna* sunt tantum causae *per accidens.* (Cfr. Ontol. n. 132.). Aristoteles in II. Physic. et S. Thomas in Commentariis in hunc librum Lectionib. 7. 8. 9. 10. late loquuntur de causalitate fortunae et casus. Eorum doctrina ad haec capita reduci potest.

a) Fortuna et *casus* ideo dicuntur et sunt *causa per accidens* alicuius eventus, puta occisionis pueri transeuntis per viam propter lapidem e tecto cadentem, quia *partes* ex quarum *coniunctiones* resultat eventus, puta *transitus pueri* et *lapsus lapidis*, non ordinantur *per se* ad talem *coniunctionem*, puta ad lapidationem pueri. Unde id quod est *per se* causa partium alicuius eventus fortuiti concurrit ad constituendam *causam per accidens* eius. In exemplo allato essent *gravitas lapidis* et *vis motiva pueri.*

b) Quamvis *coniunctio partium*, ex quibus eventus causalis resultat, non habent proximam et particularem causam a qua *per se* procedat, quia neque a natura neque ab homine intenditur; causam tamen *per se* habet universalem, nempe Deum, qui coordinat partium coniunctionem ex. gr. lapsum lapidis in caput pueri. Unde respectu primae Causae nullus datur eventus causalis vel fortuitus: « sicut et concursus duorum « servorum licet sit causalis quantum ad eos, est tamen provisus a

« domino, qui eos scienter sic ad unum locum mittit, ut unus de alio « nesciat « (1).

c) Discrimen inter fortunam et casum stricte sumpta, in eo est ut nomen *casus* latius pateat, quam nomen *fortuna*. Nam *fortuna* vocatur quaedam causa per accidens inopinati et rari eventus resultantis ex actione humana, videlicet alicuius agentis ex consilio propter aliquem finem, cuiusmodi esset inopinata inventio amici in foro, vel thesauri in pariete. *Casus* autem vocatur quaedam causa per accidens inopinati et rari eventus resultantis ex actione sive humana, sive naturali, sive artificiali, cuiusmodi esset inventio thesauri, partus monstruosus, dissonantia musicalis propter citharae imperfectionem (2).

---

(1) S. Th. 1. p. q. 22. a. 2. ad 1.
(2) S. Th. in II. Phys. lect. 10.

QUAESTIO XI.

DE FINALITATE NATURAE.

THESIS XXX.

a) **Natura agit propter finem.** *b)* **Natura quidem creata exsecutive, Auctor autem naturae, seu Deus, directive (1).**

PROBATUR PRIMA PARS.

94. I. Agere propter finem importat adhibere determinata media propter determinatum effectum. Atqui ita agit natura. Ergo natura agit propter finem. *Maior* constat ex Phil. Prim. Quaest. XVII. *Minor* est evidens omni homini ratione utenti, et luculentissime confirmatur ex omnibus Naturalibus Scientiis earumque partibus. Ergo stat consequentia.

II. In naturalibus rerum productionibus, ita procedit *ipsum fieri* earum, ut omnia *ordinentur, proportionentur* et *aptentur* ad determinatos fines et ad speciales utilitates respondentes rerum essentiis. Sic in productione plantarum prius radices, quasi fundamentum, terrae infiguntur, ut plantam sustineant et alimentum attrahant; stipes autem ad modum parietis elevatur in altum; frondes tandem, quae supereminent cum tenuioribus ramis ad modum tecti, producuntur ad absorbendam aquam, ad respirandum carbonium vel oxygenium per tenuissima ora, quibus sunt praeditae. Atqui agere ordinando constanter unum ad aliud, et omnia ad perfectionem totius atque ad conservationem tum individui tum speciei, est agere propter finem. Ergo natura agit propter finem.

Quo in argumento animadvertant afferri processum et ordinem *ipsius fieri* rerum naturalium; ut ita statim deprehendant quam absurdi sint Darwiniani, qui cum Democrito et Epicuro, licet non negent dari in rebus naturalibus *utilitates* et *adaptationes*, insaniunt aiendo eas esse adventitias et conquisitas ab ipsis rebus iam *in suo esse constitutis,* ita ut animalia ex. gr. conquisiverint sibi oculos ad videndum, stomachum ad digerendum, cerebrum ad cogitandum. Quae quam parvo cerebro dicantur, nemo sanus non viderit.

---

(1) Cfr. S. Th. in II. Phys. Lect. 13. et 14.

III. « Omnia quae fiunt, aut fiunt a casu, aut fiunt propter finem. « Quae enim accidunt praeter intentionem finis, dicuntur accidere ca- « sualiter. Sed impossibile est ea, quae fiunt semper vel frequenter, « accidere a casu; ergo ea quae fiunt semper vel frequenter, fiunt « propter aliquid. Sed omnia, quae fiunt secundum naturam, fiunt vel « semper, vel frequenter, sicut etiam ipsi (adversarii) confitebantur: « ergo omnia quae fiunt a natura, fiunt propter aliquid » (1).

IV. Confirmatur ex modo operandi brutorum, quae, utpote ratione carentia, agunt ex instinctu naturae. Praestat ipsa verba S. Thomae ex eod. loc. afferre: « Naturam operari propter aliquid, maxime est « manifestum in animalibus, quae neque operantur per artem, neque « per inquisitionem, neque per deliberationem, et tamen ita manifestum « est in operationibus eorum, quod propter aliquid operantur, quod « quidam dubitaverunt, utrum aranei et formicae, et huiusmodi ani- « malia operentur per intellectum, vel per aliquod aliud principium. « Sed tamen hoc fit manifestum, quod non operantur ex intellectu, sed « per naturam, *quia semper eodem modo operantur;* omnis enim hi- « rundo similiter facit nidum, et omnis araneus similiter facit telam, « quod non esset si ab intellectu et arte operarentur: non enim omnis « aedificator similiter facit domum: quia artifex habet iudicare de « forma artificiali, et potest eam variare. Ulterius autem procedenti de « animalibus ad plantas, in iis etiam apparent quaedam esse facta ut « utilia ad finem, sicut folia sunt utilia propter cooperimentum fru- « ctuum (et propter alios fines, quos *botanica* enumerat). Unde, quia « hoc est a natura et non ab arte, quod hirundo facit nidum, et ara- « neus telam, et plantae producunt folia gratia fructuum, et radices « sint in plantis non sursum, sed deorsum, ut accipiant nutrimentum « a terra; manifestum est, quod causa finalis invenitur in iis quae fiunt « et sunt a natura, scilicet propter aliquid operante ».

PROBATUR SECUNDA PARS.

95. Ad operandum propter finem non solum *exsecutive*, sed etiam *directive*, requiritur cognitio intellectualis. Atqui natura materialis creata non est intellectiva, atque etiam in ente mobili intellectivo, nempe in homine, non operatur operationes naturales secundum directionem intellectus humani, ut patet praecipue in operationibus vitae vegetativae. Ergo natura materialis creata agit propter finem tantum *exsecutive*. Quod autem agit propter finem *tantum exsecutive*, praesupponit aliud

---

(1) Cfr. S. Th. in II. Phys. Lect. 13.

agens a quo *dirigatur* in finem. Ergo ex eo quod videmus universam naturam materialem seu sensibilem agere propter finem tantum executive, admittere cogimur eam dirigi a supremo quodam agente intellectivo, quod sit eius Auctor, nempe a Deo. Hoc autem agens intellectivum esse simpliciter infinitum, a mundo distinctum, mundique Creatorem demonstrabimus in Theologia Naturali.

Quamvis maior huius argumenti sit extra controversiam apud omnes homines sanae mentis, atque satis constare possit ex dictis in Phil. Prim. Quaest. XVII, placet nihilominus eam ita demonstrare. Itaque:

Ordinare aliqua inter se, ut ad aliquid unum conspirent, videlicet, operari propter finem non solum *exequutive* sed etiam *directive*, est opus intelligentis. Nam « ordinatio aliquorum (ait S. Thomas) (1) « fieri non potest nisi per cognitionem habitudinis et proportionis « ordinatorum ad invicem et ad aliquid altius, quod est finis eorum. « Ordo enim aliquorum ad invicem est propter ordinem eorum ad finem. « Cognoscere autem habitudines et proportiones aliquorum ad invicem « est solius habentis intellectum ». Etenim habitudo, proportio et ordo sunt rationes universales. Ergo ordinare aliqua inter se, ut ad aliquid unum conspirent, est opus intelligentis. Et sane, id quod ad constituendum aliquem ordinem realem praesupponitur, et nihilominus in ordine reali nondum est, praeexistere debet in ordine cognoscitivo seu intentionali, idest in intellectu, quia non datur alius ordo entium. Atqui finis praesupponitur ad unumquemque ordinem realem constituendum, et nihilominus in ordine reali nondum est. Etenim finis, quum agitur de ordine aliquo reali constituendo, est id, quod resultare debet ex apta ordinatione plurium partium, sive essentialium, sive accidentalium, sive integralium, ex. gr. templum ex apta ordinatione lapidum. Sed id quod debet resultare ex ordinatione plurium, impossibile est ut existat in ordine reali ante horum ordinationem, secus effectus existeret ante suam causam. Ergo necesse est ut finis praeexistat in ordine intentionali. Hinc axioma: *finis est primus in intentione, ultimus in executione.*

96. **Scholion 1.** *De distinguenda finalitate causae particularis a finalitate causae universalis.*

Finalitas actionis alicuius causae desumenda est ex propria ratione causalitatis eiusdem, videlicet discernendum est utrum sit *causa universalis*, cuius finis est bonum aliquod universale, vel sit *causa particularis*, cuius finis est bonum particulare. Quapropter *finalitas primaria*

(1) C. G. L. 2. c. 24.

alicuius causae universalis non est desumenda ex parte effectus particularis, sed ex parte effectus universalis. Ex. gr. germinatio et maturatio frumenti se habet ad virtutem fructificativam frumenti generantis tamquam ad particularem seu propriam et immediatam causam, ad pluviam autem tamquam ad causam universalem, cuius generalis finis est conservatio rerum generabilium et corruptibilium, propter eius influxum in generationes et corruptiones. Hinc pluvia non frustratur suo fine si aliquando ex ipsa sequatur damnum aliquod particulare, puta si aliquando per pluviam corrumpatur frumentum in area.

Scholion 2. *Contrarietas agentium particularium non opponitur fanalitati eorum neque bono universi.*

Ex eo, quod agentia naturalia quemadmodum et artificialia possint a contrariis agentibus aliquando impediri ab assequendo determinato fine, non licet inferre ea non operari propter finem. Quinimo infertur contrarium: nam id quod non agit propter finem, nequit dici deficere aliquando a fine. Sic propter gibbositatem ligni artifex nequit aliquando perficere statuam eo modo, quem intendit: sic propter imperfectionem seminis aliquando nascuntur monstra. Quod autem contrarietas agentium relinquatur in mundo, ita tamen ut in paucioribus tantum impediatur assecutio finis agentium naturalium, exigit bonum magis universale, nempe universi pulchritudo et varietas in eius unitate.

Scholion 3. *Materia determinata eligitur propter finem determinatum, et non viceversa.*

Finalitas naturae ad suos determinatos effectus producendos non excludit sed exigit quasdam determinatas causas materiales, sine quibus natura suos effectus producere non valeret. Etenim praeter causas formales et finales requiruntur etiam causae materiales, ad hoc ut causa efficiens suum effectum producere possit. Idem contingit in operatione artis, quae ad suum finem consequendum non potest formam excogitatam in quacumque materia actuare, sed in materia suo fini proportionata. Sic formam serrae ad secandum non actuat artifex in cera sed in ferro. Unde non est dicendum « quod necessarium sit esse « talem finem, quia materia talis est: sed potius e contra, quia finis « et forma talis futura est, necesse est materiam talem esse. Et sic « *necessitas* ponitur ad materiam, sed *ratio necessitatis* ad finem » (1).

Quocirca quemadmodum absurdi essent qui dicerent domum ideo habere fundamentum, quia materia fundamenti sit gravior et ideo habere tectum, quia materia tecti est levior, similiter absurdi sunt qui dicunt hominem ideo habere cerebrum in capite et cor in pectore, quia

---

(1) S. Th. in 2. Phys. lect. 15.

haec membra constant materia habente talem dispositionem soliditatis, humiditatis, elasticitatis etc., vi cuius exigant esse in capite vel in pectore. Dicendum contra est, ideo haec membra componi ex principiis habentibus has dispositiones, quia determinati fines ad quos ordinantur et ad quos adimplendos in determinata organismi parte esse debent, materiam ita dispositam exigunt.

OBIECTIONES.

97. **Obiect. 1ª.** Qui agit propter finem, deliberat. Atqui natura non deliberat in agendo. Ergo natura non agit propter finem.

Resp. *Dist. mai.* Qui agit propter finem tantum *executive*, *Nego*, qui agit propter finem etiam *directive*, *Subdist.* Si agat imperfecto modo, *Conc.*, si agat perfecto modo, *Nego. Conc. min.* et *Nego cons.* Natura enim agit tantum *executive* propter finem, ad quem dirigitur a perfectissimo agente intellectivo, nempe a Deo.

Obiect. 2ª. Si natura ageret propter finem, numquam deficeret a fine. Atqui aliquando deficit a fine. Ergo natura non agit propter finem.

Resp. *Dist. mai.* Numquam deficeret a fine, quantum est ex se, *Conc.*, propter aliquod impedimentum, *Nego. Contrad. min.* et *Nego cons.* Solutio et retorsio argumenti iam patent ex Scholio 2.

Obiect. 3ª. Si natura ageret executive propter finem sub directione divina, numquam posset a fine deficere. Atqui aliquando deficit a fine. Ergo saltem dicendum est eam non dirigi ad finem a Deo.

Resp. *Dist. mai.* Si natura a Deo ita dirigeretur ad finem, ut ipsa nullo modo ageret in linea causae secundae, *Conc.*, si natura agit in linea causae secundae, *Subdist.* Non deficeret *in pluribus* (sicut revera non deficit), *Conc.*, non deficeret *in paucioribus*, *Suddist.* Si haec possibilitas deficiendi non exigeretur ab universaliori bono, quod est perfectio universi, *Conc.*, si haec possibilitas deficiendi exigitur ab universaliori bono, quod est perfectio universi, *Nego. Nego cons.* Ad perfectionem universi requiritur multitudo agentium naturalium secundum diversa genera et species, quorum unum aliquando potest esse impedimento alteri. Attamen a Divina Providentia haec virium oppositio ita regitur, ut defectus naturales contingant in paucioribus per debitam subordinationen agentium particularium agentibus universalioribus (1).

Obiect. 4ª. Ex operatione naturae aliquando sequitur damnum, ex. gr. ex pluvia corruptio frumenti in agro. Atqui id non contingeret, si natura operaretur propter finem. Ergo etc.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 103. a 3. ad 2.

Resp. *Dist. mai.* Damnum particulare et ut in paucioribus, *Conc.*, damnum universale, et ut in pluribus, *Nego. Contrad. min.* et *Nego cons.* Responsio patet ex Scholio I.

Obiect. 5ª. Proprietates, quae consequuntur necessitatem materiae, non dependent a fine. Atqui omnes proprietates rerum naturalium sequuntur necessitatem materiae. Ergo non dependent a fine.

Resp. *Dist. mai.* Si sequerentur necessitatem materiae independenter ab eius ordinatione ad formam, *Conc.*, secus, *Nego. Contrad. min.* Sequuntur necessitatem materiae *dependenter* ab eius ordinatione ad formam, quae est finis immediate a natura intentus, *Conc.*, independenter a tali ordinatione, *Nego. Nego cons.* Quamvis necessarium sit adsumere materiam determinato modo dispositam ad habendam aliquam rem secundum specialem formam ex. gr. serram, tamen non ideo intenditur talis res ex. gr. serra, quia materia est ita disposita, sed ideo assumitur materia tali modo disposita, ut habeatur res existens in tali forma. Verum quidem est non posse absque tali materia obtineri talem finem, sed haec necessitas non est *absoluta*, sed *ex suppositione;* videlicet, supposito quod debeat obtineri talis finis, necesse est ut adhibeatur talis materia. Et ideo *necessitas* se tenet ex parte materiae, sed *ratio necessitatis* ex parte finis. Aristoteles in II. Physic. et s. Thomas in suo Commentario Lect. 15. praeclare declarant hanc necessitatem. En pauca verba ex citato loco decerpta: «... Si debeat fieri domus, « quod est finis generationis (secundum quid dictae, idest aedificationis), « necesse est hoc fieri, aut praeexistere, scilicet materiam, quae pro- « pter finem est: sicut lateres et lapides necesse est praeexistere si « domus fieri debet. Non tamen quod finis sit propter materiam; sed « non erit, si materia non sit: sicut domus non erit, si non sint lapides: « et serra non erit, si non fuerit ferrum. Sic igitur manifestum est, « quod in rebus naturalibus dicitur esse necessarium, quod se habet « per modum materiae vel materialis motus; et ratio huius necessitatis « est ex fine. *Propter finem enim necessarium est esse materiam* « *talem* ».

QUAESTIO XII.

DE CORPORUM ACTIVITATE.

Quum argumenta, quae in Philosophia Prima Thesi 33. attulimus ad demonstrandum creaturas esse in linea causarum secundarum veras causas efficientes suorum effectuum, extendantur ad ipsas creaturas corporeas; abstinemus ab eadem veritate iterum demonstranda. Inquirendum potius nobis est utrum actio corporum reducatur ad purum motum localem, necne. Sed in antecessum speciales quasdam difficultates contra ipsam corporum activitatem proponere et dissolvere iuvabit.

OBIECTIONES CONTRA CORPORUM ACTIVITATEM.

98. **Obiect. 1ª.** Corpora sunt maxime remota a primo agente, nempe a Deo. Atqui omne agens particulare in tantum agit, in quantum participat virtutem agendi a primo activo. Ergo corpora non agunt.

Resp. *Dist. mai.* Corpora sunt maxime remota a primo agente, ita tamen ut participent esse actu, licet in infimo gradu, *Conc.,* ita ut nullo modo participent esse actu, *Nego. Conc. min.* et *Nego cons.* Ex hac difficultate sequitur tantum substantias materiales esse minus activas quam substantiae spirituales, quia operari sequitur esse.

Obiect. 2ª. Corpora habent formam determinatam per materiam quantitati subiectam. Atqui determinatio per quantitatem coarctat formam, ne possit per actionem se extendere in aliam materiam. Ergo corpora nullo modo agunt.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Coarctatio quantitativa determinat atque limitat actionem substantiae materialis, *Conc.,* eam omnino impedit, *Nego. Nego cons.* Ad rem s. Thomas (1) ait: « Agere, quod nihil « aliud est, quam facere aliquid actu, est per se proprium actus. Unde « et omne agens agit sibi simile. Sic ergo ex hoc, quod aliquid est « forma non determinata per materiam quantitati subiectam, habet « quod sit agens indeterminatum et universale; ex hoc vero quod sit « determinata ad hanc materiam, habet quod sit agens contractum et « particulare ».

---

(1) 1. p. q. 115. a. 1.

Obiect. 3ª. Actio substantiae corporalis deberet fieri per contactum. Atqui per contactum nequit actuari potentia subiecti, cum corpora se tangant per extrema quantitatis, quod non sufficit ad actuandum subiectum. Ergo etc.

Resp. *Dist. mai.* Actio deberet fieri per contactum molis simul et virtutis, *Conc.*, solum per contactum molis, *Nego. Contrad. min. Nego cons.* Ad applicandam virtutem corpoream requiritur contactus molis, quum qualitates insint substantiae corporeae mediante quantitate (cf. n. 56.).

Obiect. 4ª. Agens particulare eget subiecto, quod sit imperfectius agente, quodque recipiat eius actionem. Atqui non dantur subiecta imperfectiora corporibus. Ergo corpus nequit esse agens.

Resp. *Dist. mai.* Agens particulare eget subiecto *simpliciter* imperfectiori, *Nego*, *secundum quid* imperfectiori, videlicet quod sit in potentia ad formam recipiendam, *Conc. Dist. min.* Si corpora sumantur generice, *Conc.*, si sumantur *specifice* vel numerice, *Nego.* Nam dantur corpora quaedam aliis perfectiora tum quoad perfectiones essentiales, tum quoad perfectiones accidentales. Hinc ratione alicuius perfectionis accidentalis potest corpus specifice inferius agere in corpus specifice superius: sic aqua calida calefacit manum frigidam.

THESIS XXXI.

Actio corporum non consistit in solo motu locali, sed etiam ad alterationes et generationes substantiales se extendit.

PRAENOTIONES.

99. I. Certamen nobis est contra Atomistas, qui asserunt corpora agere et pati ad invicem per purum motum localem. Nos enim cum Schola Aristotelis et S. Thomae tuemur corpora agendo in alia corpora non solum movere ea localiter, sed producere in eis veras qualitates, videlicet movere ea etiam motu alterationis, et hoc mediante generare novas substantias corporeas. Quinimmo contendimus ipsius motus localis initium et conservationem haberi non posse nisi corpus movens causet in mobili qualitatem, quae hoc alteret et vi huius alterationis pergere ipsum faciat in alium locum.

II. Aliud est motum localem comitari omnes corporum alterationes, aliud est motum localem identificari cum eis. Primum verum est, immo ceu necessarium a nobis propugnatur, secundum reiicitur ut falsum uno solum a Peripateticis sed etiam a quibusdam recentioribus Phy-

sicae et Chimiae experimentalis cultoribus, qui in atomistarum castris militant (1).

III. Necessitas motus localis tamquam conditionis necessario requisitae ex parte corporis agentis apparet ex eo quod corpus agens nequit movere patiens, nisi per contactum quantitativum, ad quem requiritur motus localis. Necessitas eiusdem motus ex parte patientis, ex eodem principio dimanat. Videlicet, quum qualitates substantiae corporeae huic inhaereant mediante quantitate, necesse est, si corpus alterari debeat secundum qualitatem, ut moveatur ab agente, mediante quantitate: iamvero si moventur partes extensae, quatenus extensae, eo ipso mutant locum vel situm, videlicet moventur localiter. Ergo in ipso corpore patiente alterationes necessario comitatur motus localis.

IV. Haec necessitas connexionis motus localis cum caeteris motibus mirifice ostendit *a)* cur omnimoda proportio semper vigeat inter motum localem eiusque leges et caeteros motus eorumque leges, *b)* quam perverse ratiocinentur adversarii qui, ex eo quod alterationes, calculo subiici possunt et regi legibus motus localis, inferunt identitatem inter motum localem et caeteras corporum actiones passionesque. Sed haec uberius patebunt ex Demonstratione Thesis.

PROBATUR THESIS.

100. I. Si omnis actio transiens corporum consisteret in mero motu locali, corpora revera non agerent. Nam actio praedicamentalis supponit in patiente potentiam intrinsecam, quae vi actionis corporis agentis reducatur in actum. Iamvero in puro motu locali, considerato independenter a quacumque alteratione praevia, non actuatur intrinseca potentia patientis, quum mutatio huiusmodi esset mere extrinseca: locus enim est aliquid extrinsecum locato. Ergo si iuxta adversarios corpora agentia non causarent in patientibus ullam qualitatem intrinsecam distinctam a mera mutatione loci, corpora revera non agerent.

II. Si praeter mutationem localem, corpus impellens non causaret in corpore impulso aliquam intrinsecam qualitatem seu formam, haberemus effectum absque proportionata causa, nempe initium et conservationem motus in corpore inerte absque ulla intrinseca perfectione ipsi collata. Atqui repugnat dari effectum absque proportionata causa. Ergo necesse est concedere corporibus moventibus virtutem causandi in mobili qualitates distinctas a mero motu locali idest a mera transla-

(1) Cfr. Hirn. « Exposition analytique et expérimentale de la théorie mécanique de la Chaleur » tom. I, pag. 272.

tione de uno in alium locum. Et sane quum ad motus rationem requiratur, ut sit semper *in fieri*, eius existentia et duratio concipi nequit, nisi incessanter eius causa perseveret. Iamvero cessante impulsu moventis, haec causa nequit esse alia quam vis quaedam motrix intrinseca corpori moto ipsumque iugiter sollicitans ad motum localem. Ergo ad motum localem explicandum admittere debemus corpus movens alterare corpus mobile, quod vi qualitatis per alterationem productae pellatur de uno loco in alium.

III. Si nullum aliud principium activitatis poneretur in corporibus nisi motus mere localis, exclusa quacumque qualitate alterante, esset impossibilis ulla sensatio. Atqui sensationes dantur. Ergo praeter motum mere localem qualitates quaedam alterantes admittendae sunt in corporibus. *Probatur sequela maioris.* Motus mere localis est ex genere suo aliquid quod non est primo et ratione sui sensibus perceptibile, sed percipitur ratione coloris, soni, caloris etc. ipsius subiecti moti. Sic non possumus advertere sensibus agitationem oceani, cursum equi, avis volatum nisi visu, vel auditu vel tactu ea percipiamus. Atqui id quod non est sensibile ratione sui, sed ratione alterius, non potest ex se solo in linea agentis extrinseci determinare sensationes. Ergo si nullum aliud principium activitatis poneretur in corporibus, nisi motus mere localis, exclusa quacumque qualitate alterante, esset impossibilis ulla sensatio (1).

IV. Corpora ita agunt in alia corpora ut pertingant ad producendas alias substantias corporeas cum suis proprietatibus secundum varios gradus perfectionis vitae vegetativae, sensitivae et rationalis. Iamvero diversitas substantiarum earumque proprietatum tum numerica tum specifica, praesertim secundum varios gradus vitae, nequit reduci ad

---

(1) Confirmatur hoc argumentum ex modo quo connexio inter motum localem et qualitates sensibiles locum habet, et novum inducitur argumentum ad ostendendam distinctionem inter motum mere localem et qualitates sensibiles activas corporum inorganicorum. Afferimus verba cl. P. L. de San, in Cosmologia n. 257. « Hoc ipsum (videlicet connexio et proportio inter qualitates sensibiles et motum localem) esset « inexplicabile, nisi admittatur omnem qualitatem sensibilem esse virtutem quamdam « localiter motricem, non quidem *principalem*, sed *instrumentariam*. ex qua videlicet, « tamquam ex instrumento quodam moventis extrinseci, efficienter resultet in corpore, « cui imprimitur, motus localis. Hoc porro posito, necessario dicendum est, per omnem « vim, per quam corpus aliquod regni inorganici alterat aliud corpus, eius qualitates « immutando; quasi *secundario* et ex *consequenti* produci in hoc alio corpore motum « localem. Itidemque ex rationibus mechanicis aliquanto altius repetitis facile est « ostendere, physice esse impossibile, ut corpus aliquod localiter moveat aliud corpus, « quin eadem vi qua illud localiter movet, illud per prius etiam alteret. Adeo ut uni- « versaliter asserendum sit, per omnem vim, qua corpus aliquod regni inorganici agit « in aliud corpus, *primario* alterari hoc aliud corpus, et *secundario* ac velut *ex con- « sequenti* idem illud corpus, quantum est de se, localiter moveri ».

meram diversitatem dispositionis localis atomorum earumque motuum. Ergo virtutes activae corporum extenduntur ultra productionem meri motus localis (1).

OBIECTIONES.

101. **Obiect. 1ª.** Omne agens agit sibi simile. Sed motus localis generat calorem et producitur a calore. Ergo motus localis et calor sunt eiusdem naturae. Atqui caeterae qualitates activae corporum inorganicorum, videlicet lux et electricitas, reducuntur ad calorem. Ergo saltem corporum inorganicorum activitas reducitur ad motum localem.

Resp. *Dist. mai.* Omne agens agit sibi simile vel secundum speciem, vel secundum genus, vel secundum analogiam, *Conc.*, tantum secundum speciem, *Nego. Dist. min. 1ⁱ syll.* Motus localis generat calorem virtute propria, *Nego*, virtute qualitatis receptae in mobili a movente, *Conc. Nego 1. consequentiam* et *min. 2ⁱ Syll.* Etenim *a)* praeter lucem et electricitatem dantur aliae qualitates activae impressae a generante ex. gr. affinitas, elasticitas, etc., *b)* lucem et electricitatem esse formalitates ab invicem et a calore distinctas ipsi scientiarum experimentalium moderni cultores tuentur. Quapropter iure negamus consequentiam integri polysyllogismi nobis obiecti.

Obiect. 2ª. Principia Mechanicae applicatae phaenomenis physicis eorum scientificam explicationem exhibent. Atqui Mechanica non considerat nisi motum localem. Ergo omnia phaenomena physica, inter quae sunt activitates corporum, reducuntur ad motum localem.

Resp. *Dist. mai.* Principia Mechanicae exhibent scientificam explicationem phaenomenorum physicorum, quatenus considerantur sub ratione mensurabilium, *Conc.*, quatenus considerantur absolute secundum suam naturam, *Nego. Conc. min. Nego cons.* In tantum Mechanica iuvat Physicam experimentalem, in quantum motus localis definitam et constantem proportionem habet cum phaenomenis physicis naturae corporeae, cum quibus necessario connectitur, ut ex dictis in Praenotionibus et in argum. II. manifestum est. Ut autem appareat omnes obiectiones, quae, ab Adversariis petuntur a Mathematica peccare contra leges Dialecticae, quae vetant aliquid in conclusione introduci quod non erat in praemissis, animadvertimus obiectum Matheseos esse quantitatem

(1) Quot sint qualitates alterantes in corporibus inorganicis demonstrare abstinemus, quum id postulet multiplicem inductionem in physica et chimia experimentali fundatam. Plura de hac re invenies apud Cl. Rubbini tum in eius Physica experimentali, tum in Opusculo « Calore e Movimento » et apud superius laudatum (pag. 338.) cl. D. Albertum Farges « L'Obiéctivité de la Perception des Sens Externes et les Théories Modernes. » Etudes Philosophiques vol. 5.

abstractam a natura et a caeteris proprietatibus subiecti. Quapropter quaecumque sit natura vel proprietates subiecti, mathematicae demonstrationes semper recte concludunt, quin ex earum conclusionibus quidquam inferri liceat ad affirmandum vel negandum id quod respicit essentiam substantiae et caeterorum accidentinm subiecti.

Obiect. 3ª. Omnia sensibilia propria, nempe color, sonus, sapor, odor, durum et molle explicantur per motum localem. Atqui corpora agunt secundum sensibilia propria. Ergo omnis activitas corporum reducitur ad motum localem.

Resp. *Dist. mai.* Explicantur per motum localem, tamquam per formale constitutivum naturae eorum, *Nego,* tamquam per mensuram intensitatis eorum, et per conditionem requisitam ad alterationem in organo causandam, *Conc. Contrad. min.* Independenter a motu locali, *Nego*, dependenter seu cum connexione cum motu locali, *Conc. Nego cons.* Responsio patet ex dictis in Praenotionibus et in Arg. IV. Adversarii semper confundunt motum localem cum causa eius sive proxima sive remota. Certum est sensationem non posse haberi absque aliqua alteratione causata a corpore sensibili in organo sentientis, similiter haec alteratio nequit haberi absque motu locali concomitante. Ex eo autem quod motus localis requiratur ut causa partialis vel ut conditio necessaria, perperam quis inferret motum localem esse adaequatam causam extrinsecam sensationum. Hoc enim est adeo falsum, ut nulla sensatio esset possibilis si daretur tantum motus mere localis, ut demonstravimus in argum. III. Unde in hac et similibus obiectionibus conclusio latius patet quam praemissae.

Obiect. 4ª. Si praeter motum localem essent in corporibus inorganicis aliae qualitates activae et passivae, omnia corpora dicenda essent movere seipsa. Atqui tantum viventium est movere seipsa. Ergo in corporibus inorganicis non dantur qualitates activae et passivae praeter motum localem.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Si idem corpus esset agens et patiens, *Conc.*, secus, *Nego. Conc. min. Nego cons.* Motus non viventium sunt semper causati ab actione transeunte unius corporis in aliud. Quod si aliquando aliquod corpus videatur movere seipsum ad remotionem alicuius prohibentis, puta quum corpus elasticum, cessante compressione, redit ad pristinam figuram, hic motus, quum non fiat a corpore in sua naturali dispositione constituto, refunditur in generans, quod tribuendo generato formam, tribuit ei determinationem ad omnia accidentia consequentia formam. Hinc remoto impedimento, corpus vi formae suae est determinatum ad pristinam dispositionem recuperandam. Haec ulterius patebunt ex dicendis in Psychologia.

Obiect. 5ª. Si unum corpus per qualitatem sibi intrinsecam ageret in aliud, causando eam in corpus patiens; qualitas agentis migraret in patiens. Atqui hoc dici nequit. Ergo.

Resp. *Nego sequelam maioris.* Nam corpus agens causat in patiente qualitatem non numerice sed specifice eamdem, per hoc quod determinat potentiam passivam patientis determinatione specifice simul propriae formae in cuius virtute agit. Sic sigillum non amittit suam figuram per hoc quod determinat ceram ad habendam actu figuram specifice eamdem. Cfr. Thes. 6. de eductione formarum de potentia materiae (1).

THESIS XXXII.

Quaecumque causa efficiens, sive corporea sit sive incorporea, sive creata sive increata, coniungi debet non solum *a)* immediatione virtutis, sed etiam *b)* immediatione suppositi cum suo proximo et immediato effectu; atque hic est sensus, quo dicitur actio in distans repugnare.

PROBATUR PRIMA PARS.

102. I. *Quoad omnia agentia.* Agens agere in aliud importat aliquem realem influxum ab agente procedere in passum. Iamvero si agens non esset realiter immediate coniunctum passo, eius realis influxus, dum procedit ab ipso, vel dicetur remanere in medio, quasi aliquid subsistens, vel immediate transire in aliquod medium susceptivum diversum a passo, vel neque remanere in medio quasi aliquid subsistens neque recipi in aliquo alio. Si dicatur primum, iam haec realitas per se subsistens esset immediatus effectus immediate coniunctus agenti. Si dicatur secundum, idest immediate transire in aliquod aliud susceptivum, iam hoc aliud esset verum patiens immediate coniunctum agenti. Tertium repugnat, quia quod neque in se subsistit, neque in alio, nihil omnino est. Ergo necesse est affirmare *proximum et immediatum effectum* agentis esse immediate coniunctum cum eo.

II. *Quoad agentia tantum corporea. a)* Corpora non agunt nisi per motum. Atqui idem motus est agentis ut a quo et patientis ut in quo (cf. n. 72.). Ergo impossibile est ut corpus agat in distantia a suo proximo et immediato effectu. — *b)* Ad motum causandum in passo

---

(1) Cfr. S. Th. C. G. L. 3. c. 69.

requiritur contactus quantitativus corporis agentis cum patiente. Atqui unum corpus nequit quantitative contingere aliud nisi sit ei *contiguum*. Ergo impossibile est ut corpus aliquod agat in distans a suo proximo et immediato effectu. — *c)* Ipsa experientia sive vulgaris sive scientifica eamdem veritatem confirmat. — *d)* Argumenta Aristotelis hoc idem demonstrantia praeclare evolvit S. Thomas in VII. Physic. lect. 3. et 4. (1).

PROBATUR SECUNDA PARS.

103. Quum virtus causae efficientis immediate coniungi debeat cum suo proximo et immediato effectu, ut in 1. parte demonstravimus; vel sermo est de causa agente increata, vel de causa agente creata.

Si est causa agens increata, nempe Deus, quum eius essentia sit sua virtus, oportet ut ipsa Divina Essentia adsit omnibus effectibus, in quibus est sua virtus.

Si autem est causa agens creata, quamvis eius virtus non sit sua essentia, tamen est eius accidens. Et ideo, quum accidens diffundi nequeat extra subiectum tamquam aliquid per se subsistens, oportet ut contactus virtutis creati agentis cum passo sit simul cum praesentia ipsius suppositi agentis.

Id autem locum habet modo convenienti naturae suppositi agentis. Nam si sit agens *corporeum*, sufficit *contiguitas* cum corpore patiente, nempe contactus dimensivae quantitatis: *contigua* enim sunt quorum extrema sunt simul. Si vero sit agens spirituale creatum, nempe angelus, ad habendum *contactum virtutis* requiritur ut ipsa eius substantia sit *definitive* in corpore in quod immediate agit (2).

OBIECTIONES.

104. **Obiect 1ª.** Nobilius est agens, quod potest producere effectum in absentia sua. Atqui Deus est agens nobilissimum. Ergo Deus producere potest effectum in sua absentia.

Resp. *Dist. mai.* Si agatur de effectu remoto, *Transeat.*, si agatur de effectu proximo, *Nego.* Nam, ut demonstravimus in Thesi contradictionem implicat effectum proximum alicuius causae concipi posse seiunctum a virtute inhaerente ipsi supposito operanti. *Conc. min. Nego cons.* « Ad 2. dicendum (ait S. Thomas) (3) quod illud, quod agit per

---

(1) Cfr. P. Suarez, Metaph. (Disp. 18. sect. 8.). - P. Sylv. Maurus, quaest. Philos. Tom. 2. q. 35.
(2) Cfr. S. Th. C. G. L. 3. c. 68. - 1. p. q. 8. a. 1.
(3) In I. Sent. Dist. 37. q. 1. a. 1.

« suam absentiam, non est causa proxima eius quod fit, sed remota; « virtus enim solis primo imprimitur in corpore sibi coniuncto, et sic « deinceps usque ad ultimum... Similiter patet quod rex praecipiens est « causa prima (relative); sed exequens praeceptum est causa proxima « et coniuncta. Deus autem immediate in omnibus operatur; unde « oportet quod in omnibus sit ».

Obiect. 2ª. Perfectius agens producere potest perfectiorem effectum. Atqui perfectior est effectus, qui potest conservari in esse, absente causa, quam qui non potest. Ergo Deus, qui est perfectissimus agens, potest producere talem effectum.

Resp. *Dist. mai.* Dummodo salvetur ipsa essentialis ratio effectus, *Conc.*, si haec cessaret, *Nego*, quia tunc aliquid esset simul effectus et non esset, quod contradictionem implicat. *Contrad. min.* Perfectior est effectus, qui, absente causa *sui esse,* potest conservari in suo esse, *Nego suppositum*, qui absente causa *sui fieri*, quamvis cesset *fieri*, potest perseverare in suo esse, eo quod remaneat in ipso causa sui esse, *Conc. Nego cons.*

« Ad 3. dicendum (ait S. Thomas l. c.), quod, sicut ex praedictis in « corpore artic. patet, esse rei non potest conservari sine causa mo- « vente. Unde si sine aliquo agente esse rei conservetur, illud agens « non erit causa essendi, sed fieri tantum (i. e. causa fiendi), sicut si- « gillum est causa figurae in cera, unde remoto sigillo remanet figura « (cui stabilitas causatur in linea causae secundae a proprietatibus « naturalibus cerae), sicut etiam de aedificatore dictum est; et hoc est « agens imperfectum, unde ratio procedit ex falsis (suppositionibus). »

Obiect. 3ª. Generans causat esse compositi. Atqui, absente generante, generatum conservatur in esse. Ergo absente causa essendi, effectus perseverat in esse.

Resp. *Dist. mai.* Operando per motum et ex subiecto praeexistente, *Conc.*, operando sine motu et ex nihilo subiecti, *Nego. Concedo min.* et *nego cons.* Nam quamvis terminus motus generantis sit esse novi compositi, tamen *esse motus* non est *esse termini.* Hic autem resultat ex resultantia novi compositi, cuius esse sustentatur a Deo. Generans autem attingit esse, *prouti hoc includitur in motu.* Unde, remoto generante, cessat motus, non autem cessat esse termini eiusdem motus. Simili difficultati respondet S. Thomas (1). « Dicendum, quod actio cor- « poralis agentis *non se extendit ultra motum*, et ideo est instrumentum « primi agentis in eductione formarum de potentia in actum *quae est « per motum;* non autem in conservatione earum, nisi quatenus ex

(1) QQ. dd. De Pot. q. 5. a. 1. ad 7.

« aliquo motu dispositiones in materia retinentur, quibus materia fit « propria forma etc. ». In eodem articulo plures obiectiones cum solutionibus invenies.

Instabis. Motus localis causatur ab impellente in corpore impulso. Atqui motus localis existit, absente eo, qui impulit. Ergo motus perseverare potest, absente causa motus.

Resp. *Dist. mai.* Motus localis causatur ab impellente, quatenus hic imprimit *impetum* ad motum, *Conc.,* quatenus *immediate* ipsa mutatio loci, seu motus localis, causatur ab eo, *Nego. Conc. min.* et *nego cons.* Nam *impetus* causatus ab impellente est qualitas ab eodem causata per *generationem secundum quid*, quae fit per motum alterationis, qui, cessante actione generantis, cessat, atque non est confundendus cum motu locali, qui consequitur productionem impetus in corpore impulso. Quapropter productio et conservatio huius *impetus* sequitur generales normas productionis et generationis qualitatum, quae substantiis materialibus inhaerent (cfr. n. 100. II.).

PHILOSOPHIA NATURALIS

PARS SECUNDA

SEU

PSYCHOLOGIA

105. Secundam Philosophiae Naturalis partem *Psychologiae* nomine designamus; quum enim in ea de vita deque variis viventium gradibus atque operationibus sermo sit, quorum omnium principium formale est anima sive vegetativa, sive sensitiva, sive intellectiva, optimo iure ab *anima*, quae graeco vocabolo ψυχὴ profertur, hanc partem denominamus. Eo autem ordine in *Psychologia* pertractanda procedemus, ut prius de vita et de potentiis operativis generatim inspectis agamus, deinde de vita vegetativa, tum de cognitione in genere, ac tamdem de vita sensitiva et intellectiva. Quum autem mirabilis unio animae intellectivae cum corpore, ex qua resultat nobilissima creaturarum visibilium *homo*, investigari non possit ante cognitas operationes et virtutes proprias animae humanae, de hac unione postremo loco disseremus.

TRACTATUS PRIMUS

DE VITA GENERATIM INSPECTA.

QUAESTIO XIII.

NOTIO VITAE

THESIS XXXIII.

Vivere et vita 1. in actu secundo important operationem immanentem, 2. in actu primo important subsistere in tali essentia, secundum quam supposito competat operari immanenter.

PRAENOTIONES.

106. I. **Actio transiens et actio immanens.** « Duplex est actio. « Una quae transit in exteriorem materiam (actio transiens); ut cale« facere et secare. Alia quae manet in agente (actio immanens); ut « intelligere, sentire et velle. Quarum haec est differentia, quia prima « actio non est perfectio agentis quod movet, sed ipsius moti; secunda « autem actio est perfectio agentis. Unde *quia motus est actus mobilis*, « secunda actio (nempe immanens) in quantum est actus operantis, « dicitur motus eius, ex hac similitudine quod sicut motus est actus « mobilis ita huiusmodi actio est actus agentis, licet motus sit actus « imperfecti, scilicet existentis in potentia, huiusmodi autem actio sit « actus perfecti, id est existentis in actu, ut dicitur (De Anima lib. 3. « text. 28.). Hoc igitur modo quo intelligere est motus (nempe sensu « vel lato vel etiam latissimo), id quod se intelligit, dicitur se movere. « Et per hunc modum (nempe sensu latissimo) etiam Plato posuit quod « Deus movet seipsum non eo modo quo motus est actus imperfecti » (1). Ex quibus Sancti Doctoris verbis apparet etymologia nominis *moventis se*, quod tribuitur viventi etiam vita perfectissima, Deo; nempe quia *motus* licet *stricto sensu* accipiatur, habet tamen hoc ut sit *actus mobilis*, ideo ipsa operatio immanens, *in quantum est actus operantis*,

---

(1) S. Th. 1. p. q. 18. a. 3. ad. 1.

dicta est secundum analogicam similitudinem *motus eius*, sive haec operatio immanens fiat per aliquem transitum de potentia in actum qui transitus non sit motus stricte dictus, ut contingit in omni creatura vitaliter operante, sive absque ullo transitu de potentia in actum, ut in solo Deo verificatur. De varia acceptione nominis *motus*, nempe stricta, lata, latiori, latissima, loquuti sumus in Cosmologia n. 70.

II. **Variae acceptiones vocum vivere et vita.** Nomen concretum *vivere* et eius abstractum *vita* aliquando accipiuntur ad designandum ipsum actum secundum, nempe ipsum exercitium operationis immanentis, quae in creaturis est accidentalis: aliquando accipiuntur ad designandum ipsum actum substantialem seu primum, nempe ipsum subsistere in tali essentia, secundum quam alicui competit operari immanenter: « et secundnm hoc (ait S. Thomas) (1) *vivere* nihil aliud est « quam esse in tali natura, et *vita* significat hoc ipsum, sed in abstracto, « sicut hoc nomen *cursus* significat ipsum *currere* in abstracto. Unde « *vivum* non est praedicatum accidentale, sed substantiale. Quandoque « tamen *vita* sumitur minus proprie pro operationibus vitae, a quibus « nomen vitae sumitur ».

PROBATUR PRIMA PARS.

107. In ea operatione ponendum est *vivere,* quam quae entia exercere valent, dicuntur ab hominibus viventia, quae non valent, dicuntur vitâ carentia. Atqui huiusmodi operatio est operatio immanens, quae supponit in ipso operante, cum versatur in sua connaturali et debita dispositione, tum principium, a quo actio procedit, tum terminum in quo recipitur. Ergo *vivere* et *vita* in actu secundo important operationem immanentem, in actu primo important subsistere in tali essentia, secundum quam alicui competat operari immanenter. *Prob. min.* In hoc distinguimus viventia a non viventibus, quod haec ab extrinseco agente aguntur, sibi autem relicta non agunt, nisi vel transeunter in alia corpora, vel apparenter in seipsa ad acquirendam iterum naturalem dispositionem a qua fuerunt deturbata, quam cum recuperaverint cessant moveri: ex. gr. corpora elastica, si violenter comprimantur, sibi iterum relicta moventur donec recuperaverint debitam dispositionem dilatationis. Viventia autem vocamus ea entia, quae independenter ab extrinseco agente, et eo plenius, quo in connaturalibus dispositionibus plenius versantur, agunt seu movent seipsa secundum aliquam operationem quae in ipsis terminatur. Sic animal movet seipsum loca-

(1) 1. p. q. 18. a. 2.

liter cum versatur in dispositione naturali sibi debita, nutritur, sentit: homo insuper cogitat, vult, amat seipsum etc. Quod si animal nullam prorsus ex immanentibus operationibus perficere valeat, dicitur amisisse vitam. Porro quod ita movetur, habere debet in seipso principium et terminum suae actionis. Ergo fatendum est vivere et vitam in actu secundo consistere in operatione immanente, qualis a nobis descripta est (1).

Nota. Diximus corpora, quae moventur tantum ad recuperandam naturalem dispositionem violenter amissam, *apparenter* tantum movere seipsa, quia in huiusmodi motibus proprie non movent seipsa, sed moventur ab alio (ut infra fusius probabimus): nempe *essentialiter* seu *per se* moventur a generante ut *a principio quod*, ab eo enim acceperunt talem formam substantialem, vi cuius exigunt determinatam dispositionem; *accidentaliter* seu *per accidens* moventur ab eo, qni removet obstaculum prohibens haec corpora ab aliqua dispositione connaturaliter ipsis debita. « In motu corporum simplicium (et idem valet pro « omnibus corporibus vel *prorsus* non viventibus vel *quatenus* non « viventibus), quamvis forma naturalis sit principium (quo) motus, « non tamen est motor, sed *essentialis motor* est generans qui dedit « formam, et *accidentalis* (motor) est removens prohibens » (2).

PROBATUR SECUNDA PARS.

108. Operari supponit esse. Vitaliter operari supponit esse vitale. Esse vitale est esse substantiale. Est enim ultima actualitas illius essentiae, secundum quam alicui competit esse primo et simpliciter, non secundario et secundum quid. Nam huiusmodi sunt omnes essentiae, quae in sua formali ratione important vitam in aliquo gradu magis vel minus perfecto, nempe plantae, bruta, homines, angeli et ipse Deus, ut de singulis agendo fit manifestum. Ergo nomina *vivere* et *vita* in actu primo seu substantialiter accepta important actum subsistendi in tali essentia, secundum quam alicui competit operari immanenter.

Corollarium 1. Axioma *vivere viventibus est esse* verum est, si verbum *vivere* accipiatur *pro actu primo*, nempe pro actu substantiali, quo aliquid subsistit in tali natura, cui competit immanenter operari. Secus axioma in sua universalitate falsum esset, quia non posset applicari viventibus creatis, cum omnes creaturarum operationes sint accidentales. Impossibile autem est ut in alio ente praeter quam in Deo, operatio sit idipsum, quod simpliciter esse seu subsistere. Nam

(1) Cfr. 1. p. q. 18. a. 1.
(2) S. Th. in II. Sent. Dist. 14. q. 1. a. 3.

creaturae omnes prius subsistunt et postea operantur, suntque verae causae suarum operationum; iamvero si operatio *entis ab alio*, nempe creaturae, identificaretur cum eius esse simpliciter, *ens ab alio* causaret proprium esse simpliciter, quod evidenter repugnat.

Corollarium 2. Eadem est habitudo inter *vivens ut quod et vivere substantiale ut quo vivens vivit*, quae est inter *ens ut quod* et eius *esse* seu *existere*. Quemadmodum igitur nullum ens creatum est suum esse (Phil. Prim. Thes. 25.), ita nullum vivens creatum est suum vivere et sua vita.

OBIECTIONES.

109. **Obiect. 1ª.** Motus omnium rerum naturalium dicitur vita ab Aristotele (Physic. VII.). Ergo male adhibetur nomen *vita* ad designandum principium operationum immanentium.

Resp. *Dist. antec.* Dicitur vita *proprie*, *Nego*, dicitur *metaphorice*, *Conc. Nego cons.* Similitudo quaedam operationis immanentis invenitur in motu rerum naturalium, si ad invicem agentes considerentur. Quum enim una moveat aliam, videtur totum aggregatum earum, nempe totus mundus corporeus, movere seipsum.

Obiect 2ª. Artifex movendo manibus instrumenta, vitaliter agit. Atqui operatio illa est transiens. Ergo vita in actu secundo non consistit in operatione immanente.

Resp. *Dist. mai.* Artifex vitaliter agit, *quatenus* manu movet instrumenta, *Nego*, *quatenus* ipse artifex ceu *principium quod*, per virtutem intrinsecam movet manus ad movenda instrumenta, *Conc. Conc. min. Nego cons.*

Obiect. 3ª. Si actio viventis consisteret in eo, quod vivens moveat seipsum, idem suppositum agens esset simul in potentia et in actu relate ad eumdem motum. Atqui hoc implicat contradictionem. Ergo etc.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Idem suppositum esset simul in potentia et actu secundum eamdem sui partem, *Nego*, secundum diversas partes, *Conc. Contrad. min. Nego cons.*

Obiect. 4ª. Plantae per operationem vitalem nutritivam transmutant unice alimentum. Atqui operatio haec recipitur in alimento. Ergo operatio vitalis est transiens.

Resp. *Dist. mai.* Transmutant alimentum movendo propria organa ad hanc transmutationem efficiendam, quae terminatur in conversione alimenti in propriam substantiam plantae operantis, *Conc.*, transmutant alimentum absque motu propriorum organorum et quin illud convertant in propriam substantiam, *Nego. Contrad. min.* Operatio haec

recipitur in alimento ita ut terminetur ad propriam substantiam plantae operantis, *Conc.*, ita ut alimentum non convertatur in substantiam plantae, *Nego. Nego cons.* Obiectio duplici vitio laborat. Etenim *a)* falso supponit plantam operari circa alimentum, quin moveat propria organa ad hanc operationem virtute intrinseca; *b)* falso supponit operationem circa alimentum esse similem operationi artificis manu plasmantis argillam, quae non terminatur ad substantiam artificis sed ad aliquid mere extrinsecum. Porro operatio plantae circa alimentum terminatur ad hoc convertendum in substantiam plantae, ut patet.

Obiect. 5ª. Corpora inorganica absque impulsu externi agentis movent seipsa. Nam corpora elastica cessante compressione extrinseca, redeunt ad pristinae figurae dispositionem. Ergo motus suipsius non est proprius viventium.

Resp. *Nego antec. Dist. rat. addit.* Corpora elastica redeunt ad pristinae figurae dispositionem, quatenus *per se* motae a generante et *per accidens* motae a removente impedimentum, *Conc.*, quatenus motae a seipsis, *Nego. Nego cons.* Nam generans dando formam corpori generato, dedit ei omnes dispositiones consequentes formam, quae si a sua naturali explicatione prohibeantur ab extrinseco agente, hoc remoto statim necessario explicantur virtute formae substantialis a generante causatae. Hinc non moventur nisi quum sunt extra dispositionem naturalem.

Obiect. 6ª. Vita proprie dicitur etiam de Deo. Atqui Deus nequit dici movere seipsum. Ergo vita non consistit in motu suipsius.

Resp. *Dist. mai.* Ita tamen ut dicatur *analogice* de Deo et creaturis viventibus, *Conc.*, ita ut dicatur *univoce*, *Nego. Dist. min.* Deus nequit dici movere seipsum motu stricte dicto, *Conc.*, motu latissime dicto, *Nego.*

THESIS XXXIV. *

Ad hoc, ut creatura vivens eliciat operationem immanentem quae (1°) in ente creato habetur necessario per transitum de potentia in actum (2°) requiruntur pro diversitate operationum vitalium duae partes vel aptitudines quasi partes (3°) diversae inter se rationis; secundum quarum unam creatura vivens dicatur movere seu perficere seipsam, secundum aliam moveri seu perfici respectu alicuius determinatae operationis vitalis.

PROBATUR PRIMA PARS.

110. Operatio immanens creaturae utpote actus accidentalis 1° praesupponit creaturam in suo esse substantiali constitutam; 2° praesupponit eam assequutam fuisse suam naturalem dispositionem, nempe potentias operativas ultimo aptas ad operandum. Atqui operatio quae haec praesupponit, debuit necessario, antequam actu eliceretur, esse tantummodo in potentia non mere obiectiva sed subiectiva ipsius agentis in quo et a quo elicita fuit. Ergo operatio immanens in ente creato habetur necessario per transitum de potentia in actum. Et sane creatura, quae, si non tempore, saltem natura prius debet esse constituta in suo esse substantiali, atque, ut operari valeat, habere debet potentias operativas apte dispositas ad operandum; quando incipit operari, transit de potentia in actum. Operatio enim est ultima actualitas potentiae operativae.

PROBATUR SECUNDA PARS.

111. I. In omni transitu de potentia in actum, id, quo de potentia transit in actum, movetur, i. e. acquirit a movente actum seu perfectionem, qua carebat. Sed si in operatione immanente creaturarum, quae necessario fit per transitum de potentia in actum, idem secundum idem moveret et moveretur; idem simul haberet secundum idem perfectionem aliquam et non haberet, quod repugnat. Ergo ad operationem immanentem entis creati, admitti debent in supposito duae partes vel aptitudines quasi partes, secundum quarum unam suppositum dicatur movere, secundum aliam moveri.

II. Confirmatur ex S. Thoma (in Physic. lib. 8. lect. 10.). « Id quod « movetur est mobile, scilicet in potentia existens: quia quod movetur

« in quantum est in potentia, et non in actu, movetur; ex hoc enim « movetur aliquid quod cum sit in potentia in tendit actum... Sed « illud, quod movet, iam est in actu; non enim reducitur, quod est in « potentia, in actum, nisi per id quod est actu, hoc autem est movens, « sicut calefacit calidum et generat illud quod habet speciem genera- « tivam, sicut hominem generat quod habet speciem humanam et sic « de caeteris. Si ergo totum moveat se totum, sequitur quod idem « secundum idem simul est in actu et non est in actu, sed in mera « potentia, e. g. simul est calidum et non calidum (determinato gradu « caloris), quia in quantum est movens erit actu calidum, in quan- « tum est motum, erit calidum in potentia: et similiter est in omnibus « aliis, in quibus movens est univocum, i. e. conveniens in nomine et « ratione cum moto, sicut cum calidum facit calidum et homo generat « hominem » (quia si agens non sit univocum, quamvis non necesse sit, ut sit actu *formaliter* secundum perfectionem inducendam in mobile, tamen est necesse ut sit actu *virtualiter* vel *eminenter* secundum eamdem perfectionem, quam debet *aequivalenter* possidere). Et hoc ideo dicit (Philosophus), « quia sunt quaedam agentia non univoca « quae scilicet non conveniunt in nomine et ratione cum suis effectibus... « in quibus tamen agentibus etsi non sit species (vel forma) effectus, « secundum eamdem rationem, *est tamen quodam modo altiori;* et « sic universaliter verum est, quod movens est quodam modo in actu « secundum id, secundum quod mobile est in potentia. Si igitur totum « moveat se secundum totum, sequitur, quod idem sit simul actu et « potentia (secundum idem); quod est impossibile ».

PROBATUR TERTIA PARS.

112. Si pars motiva et pars mobilis respectu alicuius operationis vitalis essent inter se eiusdem omnino rationis, nulla posset assignari ratio, cur una potius quam altera in qualibet determinata operatione vitali esset vel motiva vel mobilis. Cum autem in creatura operatio vitalis actu nulla detur nisi una pars determinate moveat, altera determinate moveatur, et sic una determinate sit motiva, altera determinate sit mobilis, concedendum est huiusmodi partes vel aptitudines quasi partes esse debere diversae inter se rationis.

Animadverte in corporibus viventibus partes esse debere dissimilares et constituere speciales organismos ad diversas vitales operationes necessarios. Etenim si partes non essent dissimilares haberetur *totum aliquod homogeneum,* quod, quum aequaliter se habeat ad virtutem informantem; nequid se habere ad motum nisi vel *totaliter active*, vel

totaliter passive; unde non posset proprie movere seipsum ac proinde nequiret esse vivens. Ad hoc enim necesse est ut idem subiectum moveat seipsum et moveatur a seipso; quod praestare nequit nisi secundum diversa.

113. **Corollarium 1.** Declaratur quomodo partes viventis distinguantur ab invicem et a supposito vivente.

Partes vel aptitudines supradictae debent esse *adaequate* distinctae inter se; *inadaequate* tantum a supposito vivente. Ratio primi est, quia secus idem esset simul movens et motum secundum idem. Ratio secundi est, quia operatio vitalis, cum sit immanens debet emanare ab eodem subiecto in quo terminatur: et ideo necesse est ut unum idemque subiectum seu suppositum secundum unam sui partem moveat secundum aliam moveatur quando elicit aliquam operationem immanentem seu vitalem.

Corollarium 2. Declaratur quomodo relatum ad operationem immanentem se habeant *suppositum vivens* eiusque *partes.*

Siquidem actiones sunt suppositum, quia operari sequitur esse: esse autem proprie, per se et primo pertinet ad suppositum: dicendum est *operari immanenter* proprie et *ultimo* pertinere ad suppositum tamquam ad subiectum tum actionis tum passionis nempe ut ad id *quod* secundum unam sui partem movet, secundum aliam movetur. Unicuique autem parti singulariter sumptae operatio immanens competit *proxime* sed diversimode: nam parti moventi (nempe parti secundum quam suppositum movet) competit operatio tantum ut *principio activo proximo* motus; parti motae competit tantum ut *principio passivo proximo* eiusdem motus.

THESIS XXXV. *

Parti formaliter activae competit *per se et adaequate* movere; parti formaliter passive competit *per se et adaequate* moveri. Supposito autem competit *per se* et *movere* et *moveri,* sed *inadaequate.*

PRAENOTIONES.

114. I. Aliquid dicitur *movere* aut *moveri* sive *per se* sive *per accidens*, vel relate ad actum primum vel relate ad actum secundum videlicet relate ad ipsam actualem motionem. Relate ad actum secundum (de quo nunc agimus) *movere per se* dicitur movens quatenus causat motum in id, ad quod movendum actio eius per se ordinatur. Movere *per accidens* dicitur movens quatenus producendo motum in

uno, ad quod movendum actio eius per se ordinatur, facit aliquo modo ut propter aliquam cum illo connexionem moveatur alterum, ad quod movendum actio ipsa ex se non ordinatur. Ex. gr. nauta in cymba remigando *movet per se* cymbam motu locali translationis; movet autem *per accidens* seipsum et brachia eodem motu translationis, puta a dextera ripa fluminis ad sinistram. E converso, *moveri per se* ab aliquo dicitur id quod secundum se immediate recipit actionem huius moventis, ut cymba a remige. *Per accidens moveri* ab aliquo dicitur id quod moventis actionem non recipit secundum se, sed propter connexionem suam cum eo, quod *per se* movetur, ut remex a cymba.

II. *Movere per se adaequate* dicitur id, quod ex ratione sua formali est *toto se* alicuius motivum. Dicitur *movere per se inadaequate* id, quod ex ratione sua formali est alicuius motivum *non toto se,* sed solum secundum partem sui. E converso, *moveri per se adaequate* dicitur id quod secundum se totum immediate recipit actionem alicuius moventis: *moveri* autem *per se inadaequate* dicitur id quod licet immediate, tamen non secundum se totum recipit actionem alicuius moventis, sed tantum secundum aliquam partem sui.

ILLATIONES.

115. Ex quibus animadversionibus manifeste patent sequentia: α) suppositum vivum *per se* movere se et moveri, quia ex natura sua ordinatur ad movendum seipsum: attamen movet se et movetur *inadaequate*, quia non *toto se* movet seipsum *per se*, sed secundum unam sui partem *per se* movet se, secundum aliam sui partem *per se* movetur.

β) Patet partem motricem movere *per se adaequate*, quia *secundum se totam* formaliter ordinatur ad per se movendum: et ideo non posse *per se inadaequate moveri*, secus esset simul movens et mota secundum idem, quod repugnat.

γ) Patet partem mobilem *moveri per se adaequate,* quia *secundum se totam* formaliter ordinatur ad recipiendum motum; et ideo *non posse per se inadaequate movere*, quia secus esset simul mota et movens secundum idem. Et sane neque pars motrix, neque pars mobilis dividuntur, sicut dividitur suppositum, in portionem moventem et portionem mobilem; sed una est tota movens, alia est tota mota ex propria ratione formali.

δ) Attamen in movente pars movens potest *moveri per accidens* a seipsa ob suam coniunctionem cum parte mota, sicut brachia remigis movent per se cymbam, et ob suam cum cymba coniunctionem movent per accidens seipsa ab una ripa fluminis ad aliam. Ratio est,

quia partes viventis sunt invicem indivisae in eodem supposito. Quae indivisio inducit necessitatem, ut una moveatur ad quosdam motus alterius. Sic ex. gr. in motu processivo animalis, quamvis una pars sit tantum *per se* movens, alia tantum *per se* mobilis, tamen ad motum localem partis *per se* mobilis, etiam pars movens transfertur localiter; quia nequit pars per se mota transferri sola, quin separetur a parte movente; hoc autem contingere nequit quamdiu ambo integrant idem suppositum.

ε) Motus translationis animalis (idem dicas de quolibet alio motu, quo utramque partem simul moveri contingit) *non recipitur in parte movente vi actionis, qua illa est movens*, secus idem esset simul movens et motum secundum idem; sed *vi naturae determinantis partem motricem ad actualem coniunctionem cum parte mobili*, sive haec sit in quiete, sive in motu. Quapropter hic non contingit ut pars movens sit movens eo motu quo ipsa movetur; sed pars movens movendo partem mobilem ponit talem conditionem, qua posita, etiam ipsa determinatur ad motum *vi principii naturalis coniungentis ipsam cum parte mobili.*

THESIS XXXVI. *

Forma substantialis non est pars _proxime_ et _per se_ movens, neque _materia prima_ est pars _proxime_ et _per se_ mota; sed _principia proxima_ operationum vitalium corporearum adaequate sumpta resultant ex variis partibus organicis substantiae corporeae viventis, actuatis a variis potentiis operativis, ad quas se habent ut materiae secundae ad formas accidentales.

DECLARATUR.

116. Post ea quae diximus de Principiis intrinsecis entis mobilis, manifestum est in corpore vivente partem *proxime* et *per se* motam non posse esse materiam primam, neque partem *proxime* et *per se* moventem posse esse formam substantialem, sed esse debere aliquam partem integralem totius eterogenei: ita ut sive in parte movente sive in parte mobili inveniatur *tota ratio substantiae*, quamvis *non tota substantia*, videlicet inveniatur quidem materia secundum aliquam sui partem, forma vero tota totalitate essentiae, non autem totalitate virtutis, sed in parte aliqua motrice inveniatur secundum illam partialem virtutem, quae requiritur ad constituendam hanc partem aptam ad movendam partem mobilem sibi respondentem; et sic de aliis. (Cfr. n. 55. β.).

Ratio est quia neque sola materia, neque sola forma pure corporea (vel *quatenus* corporea) habere possunt per se et separatim aliquod esse, sed sola substantia composita resultans; et quoniam operari sequitur esse, atque non solum agere sed etiam pati supponit esse agentis et patientis; necesse est ut et pars movens et pars mobilis habeat totam rationem substantiae, quamvis non sit tota substantia, sed sit pars integralis eius. Sic fiet ut substantia operans sit susceptiva secundum varias sui partes illarum formarum accidentalium, quae requiruntur ad hoc ut secundum unam partem vel aptitudinem quasi partem sit proximum principium determinatae actionis, secundum aliam sit proprium susceptivum eiusdem.

Et sane ex unione formae substantialis, quae est *primum principium quo vitae* secundum aliquam speciem viventium, nempe ex unione animae cum materia prima, constitui debet ob perfectionem huius formae tale compositum corporeum, in quo per virtutem formae resultent omnia illa accidentia seu proprietates, quae a tali substantia vivente exiguntur, nempe diversa principia operativa informantia varias partes organicas substantiae corporeae viventis ita ut ex coniunctione huius materiae secundae, nempe unius organi, puta oculi, cum determinata forma accidentali, puta cum potentia visiva, et alterius organi cum alia determinata forma accidentali, puta cum potentia auditiva etc., resultent totidem potentiae adaequatae proxime operativae, nempe totidem *principia proxima quibus* vel *secundum quas* suppositum vivens elicit varias operationes vitales. Itaque in potentiis corporeis operativis viventium organum se habet ut materia (non prima sed secunda) virtus sensitiva ut forma (non quidem substantialis sed accidentalis). Sed haec proprio loco pertractanda sunt.

THESIS XXXVII. *

Relationes formae, materiae, et compositi ad motum et ad quietem, sive in corporibus viventibus, sive in non viventibus.

DECLARATUR.

117. a) *Integrum compositum* nempe suppositum corporeum est *principium quod motus* i. e. actionis, vel immanentis, si sit corpus vivens, vel tantum transeuntis, si non sit vivens, et similiter est principium quod passionis et quietis.

b) *Forma substantialis* est *principium quo primum* et remotum motus; quia cum tota perfectio specifica derivetur a forma substan-

tiali; forma est prima ratio intrinseca cur compositum resultans ex actuatione materiae per formam substantialem, movere possit sive seipsum operatione immanente, et alia corpora operatione transeunte si sit in specie viventium, sive alia tantum corpora operatione transeunte, si sit in specie corporum non viventium. Et sane, formâ actuante materiam, resultabunt in composito omnes proprietates accidentales activae respondentes virtuti formae, videlicet vel operativae tantum *transeunter*, si forma sit actus primus corporis physici inorganici; vel operativae etiam *immanenter*, si forma sit actus primus corporis physici organici, nempe si sit anima, quae, ut suo loco videbimus, definitur *actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis.*

c) *Materia prima* est *principium quo primum* et *remotum* passionis et quietis; quia est pura potentia subiectiva, cuius est recipere primam determinationem formalem, nempe formam substantialem; et est ratio intrinseca composito, cur in hoc resultent potissimum illae proprietates accidentales, ob quas pati valeat, nempe recipere actiones vel tantum extrinsecorum agentium, si compositum non sit vivens, vel etiam ab intrinseco, si sit vivens. Ex his confirmantur ea quae diximus (n. 91.) de nomine *natura stricte sumpto*, quod praedicatur et de forma substantiali et de materia prima, tamquam analogum de suis analogatis.

d) Partes vel aptitudines quasi partes in vivente sunt *principia quibus proxima actionis* vel *passionis* immanentis, quae requiruntur ad immanentiam operationis vitalis.

e) *Proprietates activae* transeunter operandi in corpora extrinseca et *proprietates passivae* recipiendi influxum determinatae operationis transeuntis ab extrinseco corpore, sunt *principia quibus proxima* actionis et passionis corporis *non viventis* vel *quatenus non viventis.* Nam corpora viventia praeter proprietates exclusive proprias viventium, habent etiam plurimas proprietates corporum non viventium; ut ex ipsa natura rei et experientia manifestum est.

THESIS XXXVIII.

Corpora inorganica, quamvis naturaliter moveantur, nequeunt dici proprie movere seipsa, sed horum motuum *principium quod per se* est suppositum generans, *principium quod per accidens* est removens prohibens: *principium quo remotum* est forma substantialis, *principium quo proximum* sunt naturales proprietates ex eorum substantia necessario resultantes.

DEMONSTRATUR.

118. I. Ad operandum immanenter requiruntur in corpore partes dissimilares, quae constituunt organismum. Atqui in toto homogeneo, cuiusmodi sunt omnia corpora inorganica, omnes partes sunt similares, ac proinde nullus est organismus. Ergo corpora inorganica nequeunt operari immanenter, seu proprie movere seipsa.

II. Corpus inorganicum tunc tantum naturaliter movetur motu apparenter immanente, quum est extra dispositionem sibi connaturalem, quâ recuperata, cessat tali motu moveri. Atqui quod ita movetur, non est *principium quod* suorum motuum, sed eius motus refundendus est tamquam ad principium quod *per se* ad suppositum generans, *per accidens* autem ad removens prohibens. Ergo corpora inorganica, quamvis naturaliter moveantur, nequeunt dici proprie movere seipsa.

Prob. min. Quoad 1.um nempe *principium quod per se* horum motuum esse *generans*. Etenim nullum corpus causare sibi potest formam substantialem et proprietates atque dispositiones consequentes formam, secus idem esset causa efficiens suipsius. Sed haec omnia a supposito generante efficienter procedunt in generatum. Ergo motus supradicti, quum non sint aliud nisi ipsa naturalis explicatio seu evolutio proprietatum consequentium formam substantialem corporis, in quo locum habent, procedunt tamquam a causa efficiente *per se* ab ipso generante, ad quod proinde ut ad *principium quod per se* sunt referendi.

Quoad 2.um *Eosdem motus esse referendos ad removens prohibens, ut ad principium quod per accidens*, patet ex eo quod quum corpus aliquod est naturaliter determinatum ad aliquam dispositionem, puta ad talem figuram vel locum, si ab hac dispositione assequenda impediatur ab aliquo obstaculo, ille qui hoc removet ponit actionem cui accidit coniungi cum effectu per se producto a tribuente corpori determinationem ad talem figuram vel locum. In quibus adiunctis remotio

obstaculi habet ordinem necessarium ad effectum. Quapropter *removens prohibens* quamvis non influat *per se* in productionem talium motuum, *accidit* tamen ei cum eis coniungi non quidem ex parte causae, ut albedo medici relate ad sanitatem, sed ex parte effectus (Cfr. Ont. n. 132.).

Quoad 3.um *Formam substantialem esse principium quo remotum* talium motuum patet ex eo quod huiusmodi motus neque sunt mechanici, neque sunt violenti, sed sunt naturales. Motus autem naturalis resultat in mobili ex virtute in ipso impressa per formam seu naturam, quam naturalis inclinatio ad eum motum consequitur, et perseverat in mobili, etiam postquam cessaverit *formaliter* actio generativa. Quam tamen *virtualiter* permanere dicendum est eo quod maneat forma cum proprietatibus a generante in generato per motum generationis causata.

119. **Corollarium 1.** *De motibus naturalibus et violentis non viventium.* Ex dictis patet motus naturales inorganicorum *convenire* cum eorumdem motibus mechanicis atque violentis in eo, quod omnium *principium quod* est extrinsecum mobili, *discrepare* autem in eo quod motus naturalis *principium quo* seu *formale* sive *remotum* sive *proximum* est omnino *intrinsecum*, videlicet est ipsa forma substantialis et sunt proprietates ab ea dimanantes, et ideo huiusmodi motus sunt *secundum exigentiam* naturae; motus autem mechanici et violenti ipsum *principium quo* seu *formale* est *extrinsecum*, et ideo sunt vel *praeter* vel *contra exigentiam* naturae.

Corollarium 2. *Ex demonstratis apparet essentiale discrimen inter motum vitalem organicorum* et *motum materialem inorganicorum.* Moventur enim in conditionibus omnino oppositis. Nam inorganica tunc solum moventur, quum sunt extra dispositionem suae naturae debitam vi naturalium proprietatum, nempe determinatae gravitatis, densitatis, elasticitatis etc.; quâ dispositione acquisitâ, vel recuperatâ, quiescunt.

Organica autem, in quantum viventia, tunc incipiunt moveri motibus sibi propriis, quum debitam suae naturae dispositionem assequuta fuerint, et quo plenius hanc adepta fuerint, eo magis et perfectius moventur: dum contra quo magis a connaturali dispositione recedunt, eo minus et imperfectius operantur (1).

Ex qua animadversione confirmatur doctrina, quae ponit formalem rationem vitae in aptitudine ad se movendum. Et sane quum motio generantis nequeat extendi ultra id quod requiritur ad dandam generato dispositionem naturae suae debitam: impossibile est ut motioni generativae referantur alii motus praeter illos, quibus aliquid movetur

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. 18. a. 1. ad 2.

quum est extra dispositionem naturalem. Iamvero motus viventium, qua talium, fiunt quum viventes sunt in sua naturali dispositione. Ergo hi motus referendi sunt, ut *principio quod*, ipsi enti quod movetur. Quum enim sint motus naturales, nequeunt referri ad extrinsecum motorem mechanicum vel violentum.

Corollarium 3. *Ex dictis apparet absurditas eorum, qui motus vitales vegetalium aequare volunt motibus machinarum, asserentes hosce motus tantum accidentaliter ab invicem differre.* Machina enim, puta horologium, eousque movetur, donec ex. gr. lamina elastica, quae violenter a connaturali expansione prohibebatur, iterum acquirat hanc sibi naturalem dispositionem; quâ iterum gradatim recuperatâ, tum lamina tum horologium quiescunt. Contra si aliqua planta omnino ponatur extra suam connaturalem dispositionem, cessat prorsus immanenter moveri et moritur; aut, si partialiter tantum ab aliqua dispositione sibi debita fuerit deturbata, imperfecte vitales operationes exercet. Quod si suae connaturali dispositioni restituatur, iterum operationes immanentes peragit, atque eo melius, quo plenius in suis connaturalibus dispositionibus versatur. Quae discrimina prorsus essentialia esse nemo negaverit, qui animadvertat ea esse rationis et ordinis prorsus diversi.

OBIECTIONES.

120. **Obiect. 1ª.** Motus naturales inorganicorum nequeunt referri ad principium generans, si actio generativa iam cessavit. Atqui talis actio cessavit. Ergo.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Si actio generativa cessavit tum *formaliter*, tum *virtualiter*, *Conc.*, si perseverat *virtualiter*, *Nego. Contrad. min. Nego cons.* Ad hoc ut *virtualiter* perseveret aliqua actio, sufficit ut effectus, qui est terminus talis actionis, perseveret. Quum igitur forma substantialis generati, ratione cuius huic debentur determinatae dispositiones, quae sunt complementum generationis, perseveret actuare compositum, iure dicitur virtualiter perseverare ipsa actio generantis. Et ideo causa tendentiae ad dispositiones connaturales servandas et recuperandas non est ipsum suppositum generatum sed suppositum generans. Simili quodam modo causa motus localis in pila proiecta non est pila, sed est ille qui pilam proiecit, causando in ea formam seu vim motricem (cfr. n. 104. *Instabis*). Idcirco ait S. Thomas (1): « Generatum tamdiu movetur a generante in gravibus et levibus, quamdiu « retinet formam sibi traditam a generante ».

(1) QQ. dd. de Pot. q. 3. a 11. ad 5.

Obiect. 2ª. Movens et motum debent esse simul. Atqui ad hoc requiritur actualis coniunctio formae cum generante, quod per ipsam movet. Ergo nequeunt motus inorganicorum referri ad generans.

Resp. *Dist. mai.* In initio motus, *Conc.,* in processu motus, *Subdist.* Si movens habeat pro termino suae effectionis ipsum *fieri rei*, *Conc.*, si habeat pro termino suae effectionis aliquam formam stabilem, *iterum subdist.* Si sit causa principalis ipsius esse existentiae compositi resultantis, *Conc.*, secus, *Nego.* Sensus solutionis patet ex dictis de repugnantia actionis in distans (Thes. 32.), et hoc sensu intelligi debet S. Thomas quum in loco mox citato ait: « Oportet movens et motum « esse simul quantum ad principium motus, non autem quantum ad « totum motum, ut apparet in proiectis. »

Obiect 3ª. S. Thomas (qq. dd. de Pot. q. 4. a. 5.) loquendo de motu corporum inorganicorum ait: « Habent huiusmodi motus in mobili « principium non solum materiale et receptivum, sed etiam formale « et activum ». Atqui quod habet in se principium activum sui motus, proprie movet seipsum. Ergo etc.

Resp. *Dist. mai.* Ait S. Thomas corpora inorganica habere in se *principium activum quo* sui motus, *Conc., principium activum quod, Nego. Contrad. min. Nego cons.* Hanc distinctionem prae oculis habere debet quisquis rite S. Thomam intelligere cupit, neque ei contradictorias assertiones tribuere. Idcirco si quando S. Doctor ait corpora inorganica habere in se tantum principium passivum suorum motuum, id asserit ad excludendum ab eis rationem *principii quod* activi eorundem. Contra, quum asserit ea habere in se etiam principium activum eorumdem motuum, intelligit *principium quo* seu principium formale eorum. Quapropter in 2. Sent. Dist. 14. q. 1. a. 3. ait: « In motu corporum sim« plicium, quamvis forma naturalis sit principium motus, non tamen « est motor, sed essentialis motor est generans, quod dedit formam, « et accidentalis est removens prohibens ».

Obiect. 4ª. Si motus inorganicorum tribuuntur generanti, eo quod produxit eorum formam; debent etiam motus organicorum, quatenus viventium, tribui generanti, quia etiam eis generans tribuit formam. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.

Resp. *Dist. sequelam maioris.* Si motus organicorum, quatenus viventium, locum haberent quum sunt extra dispositionem naturaliter ipsis debitam, *Conc.*, secus, *Nego.* Solutio patet ex dictis in Thesi et Corollariis.

THESIS XXXIX.

Ex triplici gradu perfectionis essentialiter diverso, secundum quem competere potest alicui ratio moventis se, i. e. immanenter operantis, distinguuntur tres gradus vitae essentialiter diversi: infimus seu vegetativus, medius seu sensitivus, supremus seu intellectivus.

PROBATUR.

121. **Argument. 1.** *respondens considerationi intraneitatis operationis vitalis ex parte principii tantum.*

Cum ratio moventis se competat ei quod movetur (sive motus accipiatur stricte, sive late, sive etiam latissime) secundum quod est ipsum per se causativum sui motus et non aliud agens extrinsecum; sequitur quanto perfectius est aliquod ens causativum per se sui motus, tanto perfectius ei competere rationem moventis se. Atqui tanto perfectius est aliquid per se causativum sui motus, quanto plura ex iis, secundum quae causatio motus attenditur, ponit ex seipso et non recipit aliunde. Porro causatio motus attenditur secundum tria *formalibus rationibus inter se diversa*, quae sunt 1. *finis*, propter quem movetur seu determinatur agens ad operandum; 2. *forma* agentis, per quam agens agit, idest motus *specificatio;* 3. *actualis executio motus.* Ergo ratio moventis se suscipit tres perfectionis gradus formalibus rationibus et ideo essentialiter inter se diversos; ita ut ratio moventis se pertineat in infimo gradu ad illud, quod ex seipso ponit *solam executionem sui motus;* in gradu medio ad illud, quod ex seipso ponit non *solum actualem executionem* sui motus, *sed etiam specificationem* seu *formam*, per quam agit seu movet se; tandem pertineat in supremo gradu ad illud, quod ex seipso non solum ponit executionem et formam sui motus, sed etiam *praestituit sibi finem,* propter quem se movet.

Iamvero secundum tres istos gradus perfectionis in ratione moventis se distinguuntur ad invicem tres gradus vitae: *vegetativus* qui est infimus, *sensitivus* qui est medius, *intellectivus* qui est supremus. Ergo considerata intraneitate principii operationis vitalis dantur tres gradus vitae essentialiter inter se diversi.

Nam *a) viventia vegetativa*, in quantum huiusmodi, ponunt tantum *executionem sui motus. Finis* enim propter quem agunt, et *forma* per quam agunt, sunt eis ita determinata a natura, ut ipsum principium ultimo determinativum sui motus non ipsa sibi acquirant sed inditum

a natura habeant. Sic ad eosdem specifice fructus, eosdemque intraneos humores producendos, atque ad suam substantiam in debita quantitate servandam atque augendam, nutritiones determinantur. *Ponunt* autem *executionem sui motus*, tamquam vera *principia quae* suorum motuum. Etenim 1° per unam partem sui movent aliam partem. Sic alimentum susceptum assimilant per successionem operationum intranearum modo uniuscuiusque speciei proprio. Insuper 2° quum ad debitam pervenerint aetatem, fructificationi operam impendunt, cui tamen non semper vacant, sed debitis interpositis temporis intervallis. Sic maxima plantarum pars hyeme quiescit quasi somno oppressa, vere autem iterum ad opus fructificationis quasi evigilando assurgit. Tandem 3° quum moveantur quando debitam naturae suae dispositionem assequuta fuerint, nequeunt eorum motus referri motioni generantis, ita ut hoc dicatur principium quod eorumdem.

b) Sentientia, in quantum huiusmodi, quamvis finem habeant omnino a natura determinatum, quum nequeant cognoscere rationem finis eiusque proportionem ad media, tamen ponunt non solum executionem suorum motuum, quod maxime apparet in motu locali animalium, sed etiam ponunt *specificationem* eorumdem, quia principia ultimo determinativa suorum motuum seu formas sensiles, non habent a natura inditas, sed eas sibi acquirunt recipiendo a sensibilibus exterioribus.

c) Tandem *viventia intellectiva*, in quantum huiusmodi, quum cognoscant ipsam rationem finis eiusque proportionem ad media, movent seipsa non solum quoad executionem sui motus, et quoad specificationem eiusdem per actus intellectus et voluntatis, sed etiam quoad finem. Excepta enim beatitudine, ad quam volendam sunt determinata a natura, movent seipsa ad alios fines et ad media non necessario cum beatitudine connexa. Ergo considerando intraneitatem operationis vitalis ex parte principii operantis, manifestum est dari tres gradus essentialiter diversos vitae, nempe infimum seu vegetativum, medium seu sensitivum, supremum seu intellectivum (1).

Argum. 2. *respondens considerationi intraneitatis operationis vitalis ex parte termini tantum.*

Si in ratione moventis se consideretur *intimitas* termini operationis immanentis, triplex iterum deprehenditur gradus vitae perfectionis essentialiter diversae, prouti *magis* vel *minus intime* diversae operationes vitales faciunt esse intra subiectum operans *terminum*, circa quem ope-

---

(1) Cfr. 1. p. q. 18. a. 3.

ratio vitalis versatur. Etenim operationes vitales, quum eiusmodi esse debeant ut operans secundum illas perficiat seipsum et non subiectum aliquod a se distinctum. habent hoc commune inter se, ut obiecta circa quae versantur faciant esse aliquo modo in ipso subiecto operante per quamdam assimilationem. Porro datur triplex gradus hanc attractionem et conversionem operandi unus alio essentialiter perfectior: nempe 1° infimus, qui est modus quo vegetalia secundum partem materialem attrahunt et convertunt in se, seu sibi assimilant alimentum, quod est obiectum proprium operationis vegetativae; sed quoniam alimentum convertunt secundum eius partem materialem, haec assimilatio nullo modo formalis est, neque ita intima ut paulatim non terminetur ad extra, sive per secretiones, sive per generationes. 2° Medius et perfectior gradus est ille, quo viventia sensitiva non secundum partem materialem, sed *intentionaliter,* per species quamvis materialibus conditionibus alligatas tamen ab ipsa materia abstractas, trahunt ad se obiecta sensibilia, et evadunt unum intentionaliter cum eis, quoad ea accidentia materialia, quae apprehendunt. 3° Supremus modus attractionis et conversionis essentialiter perfectior praecedentibus est ille, quo viventia intellectiva per species omnino immateriales seu abstractas tum a materia individuali tum a conditionibus materialibus trahere possunt ad se omnia seu quidquid habet rationem entis, et per cognitionem intellectivam possunt intentionaliter fieri unum cum rebus cognitis. Insuper ob vim reflexivam intellectus potest perfecte redire supra seipsum et suum actum cognoscere, quae est perfecta intimitas termini operationis vitalis.

QUAESTIO XIV.

DE UNITATE FORMAE SUBSTANTIALIS IN VIVENTE.

THESIS XL.

1⁰ Principium primum formale quo operationis vitalis in corpore vivente est forma substantialis, quae vocatur anima. 2⁰ Haec autem in eodem corporeo ente, quod vivat secundum multiplicem gradum vitae, non debet esse multiplicata, sed una eademque numero anima erit virtualiter multiplex, pro multiplicitate sui effectus formalis, inclusa ipsa corporeitate, quam tribuit composito.

PRAENOTIONES.

122. *Propria operatio* alicuius entis dicitur, quae procedit ab eo, non quatenus ei contingat habere aliquam formam accidentalem ab extrinseco agente causatam, sicut ferro ignito contingit comburere, sed quatenus hoc ens vel immediate operatur per propriam essentiam (quod est solius Dei), vel operatur immediate per suas potentias operativas dimanantes ab ipsa eius essentia, in qua subiectantur, tamquam accidentia propria et quae eis mediantibus operatur; sic comburere est operatio propria ignis, ratiocinari est operatio propria hominis etc. Quare propriarum operationum *primum principium quo* est ipsa essentia vel natura operantis (1).

PROBATUR PRIMA PARS.

123. Operationes essentialiter diversae procedunt a principiis tum proximis tum remotis essentialiter diversis. Atqui operationes immanentes sunt essentialiter diversae ab operationibus transeuntibus. Ergo ea entia, quae immanenter valent operari, habent naturas essentialiter diversas ab iis, quae tantum transeunter operari valent. Sed principium intrinsecum, per quod unum corpus essentialiter differt ab alio, est forma substantialis non solum numerice sed etiam specifice diversa. Ergo primum principium *formale quo* operationis vitalis in corporibus

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 77. aa. 1. et 6. et qq. dd. de Anima art. 12.

est forma substantialis. Haec autem vocatur *anima*, quatenus hoc nomine designatur genus formarum substantialium, quae sunt *principium formale quo* corporis apti ad eliciendas operationes vitales secundum aliquem gradum vitae. Ad quam aptitudinem quum requiratur in corpore organismus ad varias potentias operativas vitales habendas, iure definitur anima *actus corporis physici organici in potentia habentis vitam in actu secundo* idest operationes vitales.

PROBATUR SECUNDA PARS.

124. Diversitas essentialis corporis non viventis a corpore vivente, et corporis viventis infimo gradu vitae a corpore vivente altiori vitae gradu, est secundum rationes specifice diversas, quae resultant per differentias specifice perfectiores superadditas gradatim communi rationi genericae, ita ut species subalterna se habeat ad speciem immediate sequentem ut genus proximum, quod determinatur ad illam per differentiam additam. Atqui in ordine physico tota ratio perfectionis usque ad ultimam differentiam procedit a forma constituente cum materia, cuius est actus primus, compositum physicum in specie determinata corporis. Ergo *a)* eadem forma substantialis, quae est primum principium formale corporeitatis eiusdem, atque *b)* eadem forma substantialis quae est primum principium formale perfectionis vitae in corpore vivente secundum varios gradus vitae, est etiam principium formale eiusdem secundum inferiores vitae gradus et secundum ipsam corporeitatem. Hoc autem est idem ac dicere animam in quolibet corpore vivente esse eius formam numerice unicam, virtualiter multiplicem. Ergo in corpore vivente forma substantialis est numerice unica virtualiter multiplex.

Maior probatur. Ratio viventis corporei importat ens corporeum aptum ad vitaliter operandum. Sed haec aptitudo non destruit rationem genericam corporis, sed eam supponit et exigit. Nam quatenus corpus in sua generica ratione importat ens materiale, cui competit trina dimensio, haec prorsus requiritur tum ad potentias et operationes vitae sensitivae, quae non exercentur sine organo corporeo tamquam *comprincipio operationis*, tum ad subministranda phantasmata a quibus humanus intellectus agens abstrahat obiectum proprium humanae intellectionis, nempe quidditates rerum materialium. Quamvis enim humani intellectus operatio utpote prorsus immaterialis eliciatur absque ullo organo corporeo, tamquam comprincipio eius, tamen supponit in eodem supposito operante phantasmata a quibus intellectus abstrahat suum obiectum: quae phantasmata se habent ad intellectum humanum

sicut colores ad visum. De qua humani intellectus operatione suo loco agemus. Interim cfr. S. Thom. in I. de Anima Lect. 2.

Confirmatur. Illud vivens corporeum, quod vocatur homo, est existens extenso modo, vegetans, sentiens et intelligens. Atqui id per quod homo primo existit sub dimensionibus, vegetat, sentit et intelligit debet esse unicum principium formale primum. Ergo in quolibet vivente, etiamsi multiplici gradu vitalis perfectionis gaudeat, unica est forma substantialis.

Prob. min. Unusquisque nostrum sentit et intelligit se sentire. Ergo in nobis idem est principium formale remotum sentiendi et intelligendi, nam operationes immanentes specifice diversae nequeunt reduci ad unitatem, nisi fundentur in eodem primo principio formali; quum, hac seclusa, nulla alia ratio realis unitatis relinquatur. Iamvero sensatio est operatio compositi. Ergo idem principium formale compositi corporei organici et extensi est principium sentiendi (cfr. n. 19.). Sed idem principium primum quo sentiendi est primum principium quo intelligendi. Ergo id per quod homo primo existit sub dimensionibus, vegetat, sentit et intelligit est unicum principium formale primum seu substantiale, nempe anima rationalis.

Argum. S. Thomae. Eandem veritatem demonstrat S. Doctor in Summa 1. p. q. 76. a, 3. ubi triplici argumento utitur. *Primum* desumit ex eo quod anima est forma substantialis in quolibet vivente corporeo, etiam in homine. Sed forma substantialis quum faciat ens primo et simpliciter, non admittit alias formas sub se in subiecto. Ergo anima, etiam humana, est unica forma substantialis, vi cuius homo est intelligens, sentiens, vegetans, atque ens corporeum.

Secundum desumit ex modo quo praedicatur de homine animal. Etenim animal praedicatur de homine primo modo dicendi per se. Iamvero si homo per unam formam esset animal et per aliam esset homo; hae formae vel essent subordinatae, vel non. Si non essent subordinatae, animal praedicaretur de homine per accidens, ut dulce praedicatur de albo propter identitatem subiecti; si vero essent subordinatae utpote una praeambula alteri, ut superficies subordinatur colori, praedicaretur animal de homine secundo modo dicendi per se, in quo subiectum intrat definitionem praedicati, ut superficiatum intrat definitionem colorati. Iamvero homo non intrat definitionem animalis. Ergo ex ipso modo praedicationis apparet eandem esse formam per quam aliquid est animal et per quam aliquid est homo (cfr. Log. n. 93.).

Tertium argumentum desumit ex eo, quod si una operatio animae, ex. gr. intellectio, est intensior, alia, ex. g. gustatio, vel auditio, vel nutritio, evadit remissior. Iamvero si anima nutritiva esset in homine

alia ab anima sensitiva, et haec esset alia ab intellectiva; singularum operationes possent simul esse aeque intensae. Ergo haec vicissitudo signum est perfectae unitatis principii remoti operationum in homine.

Tandem similitudine ducta ex numerorum et figurarum geometricarum speciebus, quarum superior continet inferiorem; ita concludit: « Et ideo Aristoteles... assimilat species rerum numeris, qui differunt « specie secundum additionem vel subtractionem unitatis, et... comparat « diversas animas speciebus figurarum, quarum una continet aliam, « sicut pentagonum continet tetragonum et excedit. Sic igitur anima « intellectiva continet in sua virtute quidquid habet anima sensitiva « brutorum, et nutritiva plantarum. Sicut ergo superficies, quae habet « figuram pentagonam, non per aliam figuram est tetragona, et per « aliam pentagona, quia superflueret figura tetragona ex quo in pen- « tagona continetur, ita nec per aliam animam Socrates est homo, et « per aliam animal, sed per unam et eamdem ».

125. **Corollarium 1.** *Anima non est corpus.* Nam est principium formale substantiale corporis viventis. Sed principium formale cuiuscumque corporis non est corpus. Ergo anima non est corpus (1).

Corollarium 2. *Anima immediate unitur materiae primae.* Nam si uniretur mediante aliqua dispositione praevia, materia prima actuaretur aliquo actu antecedenter ad animam. Sed anima, quum sit forma substantialis corporis viventis, est actus primus materiam informans. Ergo anima immediate unitur materiae primae (2), quam tamen debere esse dispositam ad talem formam dicemus inferius.

OBIECTIONES.

126. **Obiect. 1ª.** Corruptibile et incorruptibile nequeunt esse unius substantiae. Sed anima intellectiva est incorruptibilis, aliae vero animae, scilicet sensitiva et vegetativa, sunt corruptibiles. Ergo saltem in homine nequit unica anima admitti.

Resp. *Dist. mai.* Nequeunt *directe* pertinere ad eamdem substantiam, *Conc.*, nequit *incorruptibile* pertinere *reductive* ad substantiae corruptibilis praedicamentum, *Subdist.* Si sit completum in ratione *speciei, Conc.*, secus, *Nego. Concedo primum membrum minoris, Distinguo secundum.* Anima sensitiva et vegetativa sunt corruptibiles *per se*, *Nego*, *per accidens*, *Subdist.* Quando *formaliter* constant se solis, *Conc.*, quando *virtualiter* continentur in anima intellectiva, *Nego* et *nego conseq.* (3).

---

(1) Cfr. 1. p. q. 75. art. 1. et 5.
(2) Cfr. 1. p. q. 76. art. 6. et 7.
(3) Cfr. S. Th. 1. p. q. 76. a. 3. ad 1. et qq. dd. De Anima art. 11. ad 13.

Potentias autem sensitivas et vegetativas, quum sint organicae, non remanere *actu* in anima separata a corpore, sed tantum *virtualiter*, sicut *in principio* vel *radice*, demonstrat S. Thomas 1. p. q. 77. a. 8.

Obiect. 2ª. Si anima humana esset incorruptibilis, non esset eiusdem generis cum animabus leonis vel equi, quae sunt corruptibiles. Atqui dici debent eiusdem generis, quum homo sit animal. Ergo anima humana vel est corruptibilis vel est alia ab anima qua homo est animal.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Si anima esset *directe* sub praedicamento physico substantiae, anima non esset eiusdem generis physici in homine, leone, vel equo, *Conc.*, si anima est *reductive* sub praedicamento substantiae, *Nego. Contrad. min.* Debent dici eiusdem generis *reductive*, *Conc.*, *directe*, *Nego suppositum. Nego cons.* Dixi sub eodem genere physico reductive quia corruptibile et incorruptibile posse esse directe sub eodem genere logico constat ex dictis in Logica de praedicamento logico substantiae n. 84, ubi divisa est substantia in *corpoream* et *incorpoream* (1).

Obiect. 3ª. Genus sumitur a materia, differentia vero a forma. Sed in nomine differentia *rationalis* sumitur ab anima intellectiva, *animal* vero dicitur de homine ex hoc quod habet corpus animatum animâ sensitivâ. Ergo anima intellectiva comparatur ad corpus animatum animâ sensitivâ, ut forma ad materiam, seu ut actus ad potentiam, ac proinde realiter distinguuntur.

Resp. *Dist. mai.* Genus sumitur a materia et differentia a forma, hoc sensu quod materia sit *principium proximum,* a quo sumitur genus, et forma sit *principium proximum*, a quo sumitur differentia, *Nego*, hoc sensu quod in substantiis compositis ex materia et forma materia sit *principium remotum* seu *radicale* a quo sumitur genus, forma vero sit principium *remotum* seu *radicale* a quo sumitur differentia, *Conc. Contradist.* 1. *partem minoris:* tanquam a principio *remoto* seu radicali, *Conc.*, tamquam a principio *proximo, Nego. Dist. 2. partem minoris:* si animal sumitur ad modum *totius potentialis*, *Nego*, si animal sumitur ad modum *partis* in toto integrali quidditativo, *Subdist.* Ad modum partis *logicae*, *Conc.*, ad modum partis *physicae*, *Nego* (cfr. Logic. mai. Thes. 5.). *Dist. cons.* anima intellectiva comparatur ad corpus animatum animâ sensitivâ, ut actus ad potentiam in ordine logico, *Conc.*, in ordine reali, *Nego.*

Obiect. 4ª. Si tres animae identificarentur in homine, in quacumque corporis humani parte esset una, deberet esse alia. Atqui hoc non contingit, quum in ossibus ex. gr. sit tantum anima vegetabilis. Ergo.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 76. a. 3. ad 2. et qq. dd. De Anima art. 11. ad 14.

Resp. *Dist. sequel. mai.* In quacumque parte est una, deberet esse alia secundum essentiam, *Conc.*, secundum virtutem seu potentiam proxime operativam, *Nego. Contrad. min. Nego conseq.* Cfr. S. Th. qq. dd. De Anima art. 11. ad 20.

Obiect. 5ª. Actus inter se pugnantes nequeunt eidem animae simul inesse. Atqui actus appetitus sensitivi saepe pugnat cum actu appetitus rationalis. Ergo anima sensitiva differt realiter ab anima rationali in homine.

Resp. *Dist. mai.* Actus inter se pugnantes non possunt eidem animae inesse *immediate*, *Conc.*, *mediantibus* diversis potentiis, *Subdist.* Si contrarietas habeatur ratione principii effectivi, *Conc.*, si habeatur ratione obiecti seu termini, *Nego. Contrad. min. Nego conseq.* Ex hac difficultate sequitur identitas *principii remoti quo* operationis. Si enim ipsum principium remotum esset diversum, homo non posset experiri pugnam inter superiorem et inferiorem partem sui. Idcirco difficultas retorqueri potest in adversarios.

Reliquas obiectiones proponemus, quum agemus de unione animae humanae cum corpore.

QUAESTIO XV.

DE POTENTIIS OPERATIVIS.

127. **Potentia activa** definitur ab Aristotele « Principium transmutandi aliud in quantum est aliud » (Metaph. lib. 5. Cap. 12. et Lib. 9. Cap. 2.); et a S. Thoma « Principium agendi in aliud » (I. p. q. 25. a. I.). Quare potentia activa revocatur ad genus causae efficientis.

Potentia passiva definitur ab Arist. (l. c.) « Principium transmutandi seu ut transmutetur ab alio, in quantum est aliud »; et a S. Thoma: « Principium patiendi ab alio ». Potentia passiva revocatur ad genus causae materialis seu receptivae.

Potentia activa denotat perfectionem, Potentia passiva imperfectionem. « Unumquodque secundum quod est actu et perfectum « est principium activum alterius. Patitur autem unumquodque secun- « dum quod est deficiens et imperfectum ». S. Th. 1. p. q. 25. a. 1.

Nota. Ne cui contradictoria videatur haec divisio potentiarum operativarum in activas et passivas; nam omnis potentia, quae operatur, est activa, notandum est hanc divisionem non desumi ex parte operationis, sed ex parte modi quo potentia operativa se habet ad suum obiectum. Si enim ita operatur, ut transmutet obiectum, est potentia operativa activa. Si autem ita operatur, ut debeat immutari ab obiecto, ad hoc ut possit elicere suam operationem immanentem, est potentia passiva. Quare potentiae vegetativae sunt activae; potentiae autem sensitivae sunt passivae. Conferatur omnino locus S. Thomae (qq. dd. de Veritate q. 16. a. 1. ad 13.).

THESIS XLI.

In ente creato potentiae operativae realiter distinguuntur ab essentia (1).

PROBATUR.

128. I. Sicut esse seu subsistere est ultima actualitas substantiae, ita operari est ultima actualitas potentiae operativae. Sed ultima actualitas unius eiusdemque nequit esse nisi unica. Ergo si substantia et potentia operativa essent unum et idem realiter, etiam esse et operari

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 77. a. 1.

deberent esse unum et idem. Atqui tantum in Deo esse et operari sunt unum et idem, in creaturis vero minime, sed istis contingit accidentaliter et mutabiliter operari. Ergo etiam potentia operativa esse debet accidens substantiae operativae.

II. Potentiae animae aliae sunt actus corporis, ut vegetativae et sensitivae, aliae sunt immateriales, ut intellectus et voluntas, aliae aliis dominantur, ut superiores inferioribus. Atqui quae habent praedicata opposita, nequeunt distingui ab invicem tantum ratione. Ergo.

III. Anima per suam essentiam est forma corporis. Atqui facultates intellectivae nequeunt esse actus corporis, secus non possent elicere operationem immaterialem. Ergo distinguuntur realiter ab essentia animae.

Dices *contra hoc argum. et contra ipsam thesim:* Si potentiae fluerent ab essentia animae, principiatum esset perfectius et immaterialius suo principio. Nam intellectus non potest esse actus corporis, dum anima, ex qua fluit, est forma corporis. Atqui esse omnino separatum a materia est perfectius et immaterialius quam informare materiam. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Intellectus non potest esse actus corporis unice propter perfectionem spiritualitatis, *Nego,* propter perfectionem spiritualitatis coniunctam cum imperfectione accidentis. *Conc. Dist. min.* Perfectius est esse separatum a materia quam esse actum corporis, si separatio a materia procedat unice a perfectione immaterialitatis, *Conc.*, si procedat ab imperfectione accidentis, *Nego* et *nego conseq.*

Forma illa, quae medium tenet locum inter formas materiales, quae nequeunt subsistere extra materiam, et formas perfecte immateriales, quae tamquam essentiae completae subsistunt extra materiam sicut angeli, est imperfectissima inter formas immateriales, quum participet de imperfectione formarum materialium. Nam licet sit spiritualis et subsistens, tamen ob suae immaterialitatis imperfectionem potest esse actus corporis elevando corpus ad suum esse, ut ita unita corpori subsistat in specie completa, nec totaliter comprehendatur a corpore, utpote elevans illud. Iamvero inter formas accidentales dari nequit haec triplex classis formarum, ita ut detur aliqua forma accidentalis, quae sit simul actus corporis et immaterialis, ac proinde non totaliter comprehensa a corpore. Nam forma accidentalis habet esse per subiectum, a quo totaliter dependet in essendo, unde eo ipso quod est actus compositi, erit forma materialis dependens in esse a subiecto materiali. Quapropter licet intellectus et voluntas animae humanae nequeant esse actus corporis, tamen non sunt spiritualiores anima humana, sed ideo debent immediate subiectari in anima et non in composito, quia

sunt accidentia, quae dependent in suo esse a subiecto. Dum contra anima humana non pendet in suo esse a materia neque a corpore, quod elevat ad esse suum (1).

IV. Quum anima sit actus, si potentiae operativae indentificarentur cum eius essentia, quemadmodum anima est semper in actu, ita semper operaretur omni operatione sua immanenti. Atqui hoc est falsum. Ergo etc.

Neque dicas cum Scoto animam, quatenus est actus formalis, esse in actu primo, qui potest transire in actum secundum. Nam ideo potentiae operativae possunt transire ab actu primo ad actum secundum, quia, quum sint distinctae ab essentia, possunt habere statum et ordinem potentiae ad ulteriorem actum (2).

V. Potentia et actus dividunt ens et quodlibet genus entis; et ideo necesse est ut ad idem genus referatur aliqua potentia, ad quod refertur eius actus. Si igitur actus non est in genere substantiae, oportet ut potentia quae ordinatur ad huiusmodi actum nullatenus sit in genere substantiae. Porro operatio creaturae est in genere accidentis. Ergo etiam potentia operativa esse debet in genere accidentis.

Operationem creaturae esse in genere accidentis 1° manifestatur ex eo quod operationes mutabiliter contingunt creatis substantiis iam existentibus; 2° confirmatur ex eo quod operatio, cum in sua ratione importet puram perfectionem actualitatis, est enim ultima actualitas potentiae operantis quatenus operantis; si esset in genere substantiae, esset pura perfectio subsistens, quae necessario identificatur cum ipso esse per se subsistente. Atqui hoc est proprium operationis Dei, quae cum divino esse identificatur.

Hoc etiam argumentum impetitur a Scoto, cuius cavillationes dissolvit Caietanus in Comment. in l. c. S. Thomae. Et sane effatum, cui innititur obiectio Scoti: *potentia et actus sunt in eodem genere*, intelligendum est non de quocumque subiecto recipiente aliquem actum, sed de potentia quae essentialiter et ex ipsa natura est ordinata ad aliquem actum, ita ut ab eo *specificetur.* Unde non sufficit quaecumque receptio vel habitudo potentiae ad actum; sed propriae potentiae ad proprium actum, sine ordine ad quem potentia neque concipi neque existere posset. Huiusmodi potentia vocatur *potentia per se.* Dum contra subiectum aliquod susceptivum alicuius actus diversi generis vocatur *potentia per accidens.* Difficultas igitur Scoti fundatur in confusione potentiae *per se* cum potentia *per accidens.*

---

(1) Cfr. S. Bonaventuram (in II. Sent. Dist. 25).
(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 77. a. 1. cum comment. Caietani, qui Scoti obiectiones dissolvit.

OBIECTIONES

129. **Obiect. 1ª.** In omni ente creato principium essendi est idem cum principio operandi. Atqui essentia est principium essendi. Ergo essentia est principium operandi, et ideo potentia operativa non distinguitur ab essentia.

Resp. *Dist. mai.* Principium essendi creaturae est idem cum principio operandi *remoto* et *ut quo*, *Conc.*, cum principio operandi *proximo*, *Nego. Contrad. min.* Essentia est *principium quo* remotum operandi, *Conc.*, est *principium quo* proximum, *Nego.*

Obiect. 2ª. Differentiae essentiales non sumuntur ab accidentibus. Atqui differentiae sensibilis et rationalis sumuntur a sensu et intellectu. Ergo sensus et intellectus non sunt accidentia.

Resp. *Dist. mai.* Differentiae essentiales non constituuntur ab accidentibus, *Conc.*, non cognoscuntur per accidentia, *Nego. Contr. min.* Hae differentiae sumuntur a sensu et intellectu tamquam a manifestativis earum, *Conc.*, tamquam a constitutivis, *Nego. Nego cons.*

Obiect. 3ª. Si anima esset distincta a suis potentiis, posset intelligi sine illis. Atqui non potest. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Ab intellectu simpliciter apprehendente, *Conc.*, ab intellectu componente et dividente, *Nego. Contr. min. Nego cons.* Nam intellectus nequit cum veritate negare animae suas facultates.

Obiect. 4ª. Si potentiae sensitivae et intellectivae essent accidentia, anima diceretur intelligere et sentire per accidens. Atqui anima humana non intelligit neque sentit per accidens ita ut possit aliter operari. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Si sumatur ipsum principium remotum intellectionis, *Nego.* Si sumatur principium proximum, *Subdist.* Diceretur sentire et intelligere per accidens *proprium*, *Conc.*, per accidens *contingens*, *Nego. Contr. min. Nego cons.* Cfr. Log. nn. 195. 197.

Obiect. 5ª. Potentiae dicuntur partes animae. Atqui partes rei constituunt ipsam rem. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Dicuntur partes essentiales animae, *Nego*, partes potestativae seu potentiales, *Conc. Contr. min. Nego cons.*

Obiect. 6ª. Anima est nobilior quam forma accidentalis. Sed forma accidentalis est sua virtus, cum non agat per aliud. Ergo etiam anima est sua potentia.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Est virtus instrumentalis animae, *Conc.*, est virtus principalis, seu principium primum operationis, *Nego.* Ex his quae de accidentibus diximus satis intelligitur potentias operativas esse virtutes animae in qua subiectantur.

Obiect. 7ª. Si potentiae distinguerentur ab essentia animae, ab una et simplici essentia prodiret multitudo potentiarum. Atqui ab uno simplici non potest multitudo dimanare. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Multitudo prodiret ab una essentia *absolute* considerata, *Nego*, *relative* considerata i. e. secundum varias relationes reales ad varias potentias, *Conc. Dist. min.* Efficienter, *Nego*, per resultantiam, *Subdist.* Si sit actus in omni ordine purus, *Conc.* si sit actus relative purus, *Nego. Nego cons.*

THESIS XLII.

Potentiae operativae specificantur *a)* per actus, tamquam per causas formales seu intrinsece constituentes potentias operativas in actu; *b)* per obiecta vero formalia, tamquam per principia extrinseca seu causas efficientes aut finales.

PROBATUR.

130. *Quoad 1um.* Quum potentia quaelibet in quantum huiusmodi determinetur per actum, ad quem transcendentaliter ordinatur, necesse est ut ab eo specificetur tamquam per causam formalem et intrinsecam. Iamvero actus proprius potentiae operativae, in quantum operativae, est operatio seu actio sibi correspondens. Ergo potentia quaelibet operativa specificatur per actum sibi respondentem, tamquam per causam formalem seu intrinsece constituentem potentiam operativam quâ talem.

Quoad 2um. Operatio nequit esse, nisi sit determinata, nequit autem esse determinata, nisi versetur circa aliquod obiectum, ad quod se habeat vel tamquam ad terminum seu finem, si sit operatio potentiae activae (ut augmentatio terminatur ad debitam quantitatem), vel tamquam ad principium seu causam extrinsecus moventem, si sit operatio potentiae passivae (ut visio determinatur ab actione corporis luminosi). Iamvero aliquid specificatur ab extrinseco per id, per quod determinatur ad esse tamquam per causam efficientem vel finalem, quum omne agens ad hoc agat ut similitudinem suam in aliud inducat, et « omne, « cuius esse non est nisi propter finem aliquem, habet modum sibi « determinatum ex fine ad quem ordinatur, sicut serra est huiusmodi « et quantum ad formam et quantum ad materiam, ut sit conveniens « ad finem suum, qui est secare » (1). Ergo operatio specificatur ab obiecto.

---

(1) S. Th. qq. dd. de Verit. q. 15. a. 2.

Quum igitur potentia operativa specificetur ab operatione, operatio autem specificetur ab obiecto, patet potentias operativas specificari ab operationibus suis tamquam a causa formali, ab obiecto autem, tamquam a principio extrinseco se habente ad eas, si sint passivae, ut causa efficiens, si sint activae, ut causa finalis.

Hanc autem specificationem potentiae procedere ab obiecto non materialiter sed formaliter accepto, patet ex eo quod obiectum formale dicitur obiectum secundum eam rationem seu formalitatem acceptum secundum quam *per se* attingitur a potentia operativa. Imvero aliquid specificatur per id, quod *per se*, non per *accidens*, attingitur ab ipso. Ergo virtus operativa specificatur ex obiecto formaliter et non materialiter tantum accepto. Idcirco S. Thomas (1) ait: « Non quaecumque « diversitas obiectorum diversificat potentias animae, sed differentia « eius, ad quod *per se* potentia respicit, sicut sensus per se respicit « passibilem qualitatem, quae *per se* dividitur in colorem, sonum et « huiusmodi, et ideo alia potentia sensitiva est coloris, scilicet visus, « et alia soni, scilicet auditus. Sed passibili qualitati aut colorato « accidit esse musicum, vel grammaticum, vel magnum et parvum, « aut hominem vel lapidem, et ideo penes huiusmodi differentias potentiae animae non distinguuntur ».

OBIECTIONES.

131. **Obiect. 1ª**. Idem obiectum pertinet ad diversas potentias. Atqui specificativum alicuius potentiae non potest esse commune diversis potentiis. Ergo potentiae non specificantur ab obiecto.

Resp. *Dist. mai.* Idem obiectum secundum diversas formales rationes acceptum, *Conc.*, secundum eamdem rationem, *Nego. Contr. min. Nego cons.*

Obiect. 2ª. Quaedam obiecta diversa et propria diversarum potentiarum, (ex. gr. color, qui est obiectum proprium visus, et sonus, qui est obiectum proprium auditus) sunt simul obiectum proprium tertiae cuiusdam potentiae (sic color et sonus pertinent ad potentiam, quae dicitur sensus communis). Atqui si diversa obiecta pertinent simul ad diversas potentias et ad unam communem, potentiae non distinguuntur per obiecta formalia, quia id quod est causa distinctionis in uno, debet esse causa distinctionis in omnibus. Ergo potentiae non specificantur per obiecta formalia.

Resp. *Dist. mai.* Diversa obiecta diversarum potentiarum sunt simul obiectum proprium tertiae cuiusdam potentiae eiusdem perfectionis

---

(1) 1. p. q. 77. a. 3.

et sub eadem ratione formali, *Nego*, superioris perfectionis et sub diversa seu universaliori ratione formali, *Conc. Contr. min.* et *Nego cons.* Sensus communis est perfectior sensibus exterioribus et habet pro obiecto *ipsum genus passibilis qualitatis*, singuli autem sensus exteriores habent pro obiecto *aliquam speciem passibilis qualitatis*, quae tamen se habet ut genus intermedium ad species infimas. Sic color qui est obiectum proprium visus se habet ut genus intermedium ad varias species colorum, sonus se habet ut genus intermedium ad varias species sonorum etc.

Obiect. 3ª. Contrariorum est eadem potentia, sicut visus est albi et nigri. Atqui si eadem potentia respicit contraria obiecta, potentiae non specificantur per actus et obiecta. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Contrariorum est eadem potentia, si communis ratio contrariorum sit obiectum formale talis potentiae, *Conc.*, secus, *Nego. Contr. min.* et *Nego cons.*

Obiect. 4ª. Facultates organicae sunt in diversis organis. Atqui potentiae, quae sunt in diversis organis diversificantur ratione organorum. Ergo distinctio potentiarum procedit ab organis, non ab obiecto.

Resp. *Dist. mai.* Facultates organicae sunt in diversis organis ita ut organa ordinentur ad potentias, ut materiale ad formale, *Conc.*, ita ut potentiae sint propter organa, *Nego. Contr. min. Nego cons.* Quamvis in ordine cognitionis nostrae et generationis, quae procedunt ab imperfecto ad perfectum, priora sint organa, utpote sensibilia per se; tamen ordine dignitatis et intentione naturae, potentiae sunt priores organis et se habent ad ea ut forma ad materiam et ut finis ad ea quae sunt ad finem (1).

Obiect. 5ª. Nihil specificatur per id quod est posterius et extrinsecum. Atqui actus est posterior potentia, obiectum autem est extrinsecum. Ergo potentiae operativae non specificantur per actus et obiecta.

Resp. *Dist. 1. membr. maioris.* Nihil specificatur per id quod est posterius tum secundum esse, tum secundum intentionem, *Conc.* quod est posterius secundum esse, sed est prius secundum intentionem, *Nego. Dist. 1. membr. maioris.* Nihil specificatur per id quod est extrinsecum et non est principium vel finis, *Conc.*, quod est extrinsecum et est principium vel finis, *Nego. Contrad. min. Nego cons.* Solutio patet ex dictis in demonstratione Thesis.

---

(1) Cfr. S. Th. qq. de Anima a. 13. ad 6.

THESIS XLIII.

Tres sunt potentiae operativae propriae viventis vegetativi, nempe augmentativa, nutritiva, generativa.

PROBATUR.

132. Potentiae operativae specificantur, mediantibus actibus, per obiecta formalia (sicut demonstravimus in Thesi 42.). Iamvero, quum viventis vegetativi propria operatio sit movere seipsum quoad executionem motus vel in bonum sui tantum, vel etiam in bonum speciei (sicut demonstravimus in Thesi 39.); sub triplici respectu potest huiusmodi bonum attendi: 1. *quatenus vegetans adsequatur debitam quantitatem,* 2. *quatenus conservetur in esse et in debita quantitate,* 3. *quatenus perpetuetur eo modo, quo potest perpetuitatem adsequi,* nempe quamvis non in seipso individuo, quod corruptibile est, tamen in sua specie per productionem aliorum individuorum eiusdem speciei.

a) **Ad adsecutionem debitae quantitatis ordinatur virtus augmentativa** quae definiri potest: « Principium, quo vivens potest ex alimento adsequi maiorem quantitatem ». Huius potentiae operatio, videlicet *augmentatio,* ita definitur a Sylvestro Mauro (1). « Aggeneratio novae substantiae quantae, ut quanta est, facta ex alimento introsuscepto, virtute formae, ad acquirendam debitam magnitudinem ».

b) **Discrimen inter augmentum corporum viventium et non viventium** ex tradita definitione apparet. *Viventia* enim augentur per introsusceptionem alimenti, quod virtute formae convertitur in eorum substantiam. *Non viventia* autem augentur per aggregationem partium discretarum, quae simul uniuntur ad efformandam maiorem massam. Sic augetur massa aquae ex guttis. Ad ignem quod attinet, hic neque est specialis substantia, neque in combustione proprie nutritur; quia cum nova materia combustibilis apponitur, haec non conservat ignem in praecedente materia accensum, sed ex ea resultat novus ignis numero diversus a priori.

c) **Ad conservationem in esse et in debita quantitate ordinatur virtus nutritiva,** quae ex Aristotele definiri potest: « Principium, quo vivens per conversionem alimenti in suam substantiam conservare potest seipsum reparando partes deperditas ». Cf. S. Thom. (1. p. q. 119. a. 1.). Huius potentiae operatio, videlicet *nutritio,* ita

---

(1) Quaest. Philos. Vol. 3. q. 35.

definitur a Sylvestro Mauro (l. c. quaest. 34.). « Reparatio partium deperditarum per introsusceptionem alimenti eiusque conversionem in substantiam aliti ».

d) **Ad perpetuandam speciem ordinatur virtus generativa** quae definiri potest: « Principium, quo vivens potest producere aliud vivens sibi simile, et quodammodo coniunctum ». Huius potentiae operatio seu *generatio* definitur: « Origo viventis a vivente, principio coniuncto in similitudinem naturae » (1). Quidam hisce verbis addunt verba *per se* vel *vi productionis* ad ostendendum requiri ad generationem viventium, ut principium coniunctum sit ex se seu *naturaliter* ordinatum ad productionem viventis eiusdem speciei. Caeteroquin si verba *ex principio coniuncto* stricte sumantur, non est necessaria huiusmodi additio.

e) **Discrimen inter generationes viventium et non viventium.** Ex tradita definitione apparet generationem non viventium esse ordinis essentialiter inferioris generatione viventium. Haec enim ex intrinseco producunt aliquid sibi simile in specifica natura. Non viventia autem ex extrinseco producunt aliquid extrinsecum, cum quo conveniunt quidem in genere corporis non viventis, non autem in eadem specie. Per actionem enim agentium naturalium ex elementis resultant mixta inanimata, ex quibus iterum vi agentium naturalium resultant vel corpora elementaria, vel alia mixta. Idcirco S. Thomas (2) *tria discrimina adsignat inter generationem viventium et non viventium;* ait enim: « Dicendum quod cum generatio sit communis omni-
« bus corporibus corruptibilibus; tamen corporibus animatis est spe-
« cialis modus generationis, et propter hoc etiam habent specialiter
« inter alias vires animae vim generativam. In viventibus enim *primo*
« ex generante deciditur aliquid, quod est sufficiens ad generationem
« quantum ad principium activum et passivum... Et ideo sequitur
« *secundum*, scilicet quod generatio est per modum exitus a generante,
« quod non est in generatione inanimatorum. *Tertium* autem est,
« quod generatum exiens a generante, in principio generationis adhaeret
« ei, et est in eo vel per contractum vel per consolidationem, ut patet
« in fructibus, qui colligantur plantis ».

Corollarium. *Potentia generativa aliis duabus antecedit.* Nam 1. ordinatur ad bonum speciei, quod est perfectius et divinius, quam bonum individui; 2. tunc evolvitur, quum vivens perfectionem sibi debitam fuerit assequutum; 3. utitur, tamquam ministris, potentiis

---

(1) Cfr. 1. p. q. 27. a. 2.
(2) Cfr. S. Th. in III. Sent. Dist. 8. q. 1. a. 1.

augmentativa et nutritiva; 4. extenditur ad corpora exteriora, quae generans extra se in sui specificam similitudinem producit (1).

OBIECTIONES.

133. **Obiect. 1ª.** In assignandis potentiis viventis vegetativi, recensendae sunt eae, quae omni vegetabili conveniunt. Atqui virtus generativa non convenit omni vegetabili. Ergo male adsignatae sunt tres potentiae.

Resp. *Dist. mai.* recensendae sunt eae, quae conveniunt omni vegetabili *perfecto* in suo genere, *Conc.*, etiam vegetabili *imperfecto*, *Nego. Contrad. min.* Virtus generativa non convenit omni vegetabili *perfecto*, *Nego,* non convenit quibusdam imperfectis vegetabilibus, *Transeat*, vel *Omitto.* Dixi *transeat*, quia ex recentioribus inventis, optime a claro naturalista Pasteur vindicatis, resultat omnia prorsus viventia reproduci per generationem a viventibus eiusdem speciei, quamvis modus reproductionis non sit aequalis in omnibus.

Obiect. 2ª. Potentiae communes non viventibus non sunt vitales. Sed potentia generandi est communis etiam non viventibus. Ergo non est vitalis.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Secundum rationem essentialiter diversam, *Conc.*, secundum eamdem prorsus rationem, *Nego.* Nam *generatio*, de qua hic est sermo, est ea cui competit definitio in Thesi allata. Quae definitio non competit generationi non viventium, ad quam proinde non requiritur specialis potentia in generante, sed sufficiunt qualitates alterativae.

Obiect. 3ª. Potentia augmentativa, nutritiva et generativa dicuntur vires naturales, earumque operationes dicuntur similiter naturales. Sed potentiae et operationes animae excedunt vires et operationes naturales. Ergo hae potentiae non sunt propriae animae.

Resp. *Dist. mai.* Dicuntur *naturales,* quia procedunt a natura viventis tamquam *a principio quo remoto*, *Conc.*, dicuntur *naturales,* quia sunt eiusdem rationis cum operationibus non viventium, *Subdist.* Quatenus habent et finem et speciem prorsus determinata a natura, *Conc.,* sub aliis respectibus, *Nego. Contrad. min.* Potentiae et operationes animae excedunt vires et operationes naturales inanimatorum *magis* vel *minus* pro diversitate gradus perfectionis vitalis, *Conc.*, omnes eodem modo, *Nego.* Solutio patet ex Thesi 39. *De triplici gradu perfectionis vitalis.* Insuper advertendum est potentias vegetativas, dum suas eliciunt operationes, uti tamquam instrumentis qualitatibus activis,

---

(1) S. Th. 1. p. q. 78. a. 2.

quae inveniuntur etiam in corporibus inorganicis, quum sint principia actionum naturalium in infimo gradu entis corporei. De quarum virium (quae dispescuntur in chimicas, physicas et mechanicas) subordinatione ad principium formale corporis viventis dicemus in quaest. seq.

Obiect. 4a. Si pro diversitate operationum viventis vegetabilis adsignandae sunt diversae potentiae animae vegetativae, addi deberent multae aliae potentiae, quum habeantur in vivente attractio alimenti, eius concoctio, humorum circulatio, respiratio, secretio etc. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Si reliquae operationes enumeratae haberent finem prorsus distinctum a fine alicuius ex tribus potentiis vegetativis, *Conc.*, si habent finem subordinatum, *Nego. Nego. min.* et *Cons.* Ut ex demonstratione Theseos apparet, triplex formalis ratio virtutis vegetativae allata est ex diverso bono, ad quod unaquaeque est ordinata. Quapropter caeterae potentiae, quarum operatio respicit dispositionem mediorum ad assequutionem alicuius ex supradictis finibus, sunt sub genere alicuius ex tribus vegetativae animae virtutibus.

APPENDIX.

DISCRIMINA MATERIALIA INTER CORPORA VIVENTIA ET NON VIVENTIA (1).

134. Quum materia debeat esse proportionata formae, quae est finis immediate a natura intentus in productione rerum, necesse est, ut pro diverso gradu formarum diversa sit materialis dispositio in compositis corporeis. Praecipua discrimina inter materiales dispositiones viventium et non viventium sunt sequentia:

1.um Discrimen quoad structuram et qualitates partium dimensivarum. Etenim hae in non viventibus sunt *homogeneae et iisdem qualitatibus* praeditae. In viventibus autem sunt *heterogeneae* et *non omnes iisdem qualitatibus affectae,* sed aliae sunt *duriores*, aliae *molliores,* aliae *calidiores*, aliae uno *colore* vel *sapore*, aliae diverso *colore* vel *sapore* affectae, ut variis vitae exigentiis respondeant. Quae varietas partium eo maior est quo vivens est perfectior, et ideo est maxima *in homine.*

Ex hoc sequitur discrimen *quoad figuram*, seu quoad *determinatum typum morphologicum*, nam in eodem typo conveniunt individua viventia eiusdem speciei. Dum contra non viventia, excepto casu chrystallizationis, in eo non conveniunt.

---

(1) Haec discrimina optime proposuit et evolvit cl. *RR. DD. Lorenzelli Phil. Theor.* Vol. 2. lect. 5. a quo haec compendiatim desumpsimus.

2.um **Discrimen quoad chimicam compositionem.** Etenim propter multiplicitatem partium et qualitatum respondentium exigentiis multiplicium operationum corporum viventium, haec nequeunt esse simplicia seu elimentaria neque possunt esse mixta resultantia tantum ex duobus vel tribus corporibus elementaribus, sed pluribus. Idcirco ipsa vegetalia, quae gaudent infimo tantum gradu vitae, constare debent saltem ex quatuor corporibus elementaribus, nempe ex *oxygenio*, *hydrogenio*, *carbonio* et *azoto*. Animalia autem praeter quatuor haec elementa, continere debent pro varietate suae perfectionis in varia proportione alia corpora elementaria, puta kalium, magnesium ferrum, clorum, calcium, silicium, phosphorum, sodium, sulphur etc. Qua de re consuli possunt Naturalistae.

3.um **Discrimen quoad generationis materiam.** Viventia enim movendo seipsa formant ex materia sibi intrinseca fructus vel semina praedita virtute ab ipsis impressa; et ita producunt extra se individua sibi similia in natura. Contra non viventia ex materia omnino extrinseca producunt aliquid extra se. Ex quo discrimine sequitur quartum discrimen.

4.um **Discrimen in acquirenda debita magnitudine.** Etenim non viventia statim ac producuntur accipiunt debitam magnitudinem. Viventia autem, quum ex semine generentur, deveniunt paulatim ad magnitudinem suae naturae debitam.

5.um **Discrimen quoad sui conservationem et durationem.** Ad id enim sufficit pro non viventibus, ut per virtutem principiorum naturalium resistant corrumpentibus exterioribus. Viventia autem corporea debent praeterea per conversionem alimenti in propriam substantiam restaurare humores consumptos a calore necessario ad multiplices vitae vegetativae functiones, atque servare eam temperamenti proportionem, quae a chimica eorum compositione prorsus expostulatur. Quum autem huiusmodi operationes sint corporeae, fiunt enim virtutibus organo corporeo affixis, omne autem *corpus agendo repatitur*, necesse est ut *virtus conservativa* viventis corporei gradatim debilitetur. Et sane quum organa sunt nova, virtus conversiva potest non solum restaurare deperditum, sed etiam nova addere, et tunc habetur augmentum. Deinde valet tantum ad restaurandum deperditum, et tunc *cessat augmentum*. Tandem ne quidem ad restaurandum deperditum sufficit, et tunc incipit *diminutio* et *senectus* quae terminatur ad mortem. Ex hoc apparet cur vivens corporeum sit naturaliter mortale, et cur quaedam species plantarum et animalium sint magis longaevae, quam aliae (1).

(1) Cfr. 1. p. q. 102. a. 2.

QUAESTIO XVI.

DE ERRONEIS SENTENTIIS CIRCA PRINCIPIUM VITALE PLANTARUM ATQUE SPECIERUM EVOLUTIONEM

THESIS XLIV.

Refutatur sententia negantium plantis animam vegetativam.

EXPOSITIO SENTENTIAE REFUTANDAE.

135. Atomistae et quidam alii negant plantas constitui tales per esse substantiale vi principii intrinseci substantialis essentialiter superioris principiis operativis sive proximis sive remotis corporum inorganicorum; sed autumant plantas constitui tales per esse aliquod accidentale resultans ex viribus chimicis, physicis et mechanicis propriis corporum non viventium, quatenus corpuscula atomica secundum debitas proportiones sub accidentali organismi dispositione aggregantur, ita ut 1. unaquaeque planta non sit, nisi artificiosum aggregatum corpusculorum retinentium propriam essentiam et propriam existentiam, quod vocant organismum, 2. ex transeunte operatione unius corpusculi in aliud sub conditionibus organismi aiunt resultare vires illas, quae vegetativae dicuntur, secundum quas planta operans elicit operationes vitae vegetativae, nempe nutritionem, augmentationem, generationem.

REFUTATIO.

136. Sententia quae 1° plures conceptus confundit, 2° principium casualitatis pessumdat, et 3° manifestae experientiae contradicit, reiicienda est tamquam falsa. Atqui talis est sententia Atomistarum caeterorumque negantium animam vegetativam plantis. Ergo reiicienda est ut falsa. Et sane:

I. **Plures conceptus confundit.** Nam eius patroni *a)* confundunt conditiones prorsus oppositas sub quibus artificiosum aggregatum corporum non viventium operatur operatione aliqua apparenter immanente et eas sub quibus operantur corpora viventia, etiam mere vegetalia; nec ullam sufficientem rationem adducere queunt, cur machina artificialis cesset operari, quando eius partes assequutae fuerint conna-

turalem dispositionem, planta autem tunc incipiat suam operationem, quando in sua connaturali dispositione primo versatur, et eo perfectiores et multiplices vitae vegetativae operationes eliciat, quo perfectius eius partes in connaturali dispositione versantur (cfr. n. 119.).

b) Confundunt augmentum et generationem propriam viventium cum augmento et generatione non viventium. Etenim *non viventia* producunt simile et augeri videntur cum ex alio sibi extrinseco exprimunt aliquid extra se, ut cum ignis ex lignis per calorem dispositis educit seu exprimit alium ignem. Corpora vero *viventia* producunt sibi simile, cum ex aliquo sibi intrinseco exprimunt aliquid extra se in similitudinem suae essentiae, nutriuntur autem et augentur cum ex aliquo sibi extrinseco exprimunt aliquid intra se identificatum cum sua substantia (1).

II. **Principium causalitatis pessumdat.** Etenim si principium formale plantarum esset quaedam accidentalis vis resultans ex mera aggregatione corpusculorum in figuram organismi disposita, effectus haberetur ante suam causam. Etenim:

a) Planta iam ab initio suae germinationis elicit proprias operationes evolutivas, quibus distinguitur non solum a corporibus, cum quibus convenit in genere remoto, nempe a non viventibus, sed etiam ab iis cum quibus convenit in genere proximo, nempe a plantis specie diversis. Atqui harum operationum primum principium intrinsecum nequit esse forma accidentalis organismi. Ergo esse debet ipsa forma substantialis, vi cuius planta constituitur in specie determinata et infima. Et re quidem vera:

1° Idem nequit esse causa efficiens suipsius. Sed planta in prima sui evolutione nondum est disposita in organismum, sed est tantum cellula, ut apud physiologos constat. Ergo evolutionis plantae primum principium intrinsecum esse nequit forma accidentalis organismi.

2° Nequit esse causa diversitatis sive substantialis sive accidentalis id quod nullam habet ex se distinctionem formalem. Sed plures plantae diversae inter se speciei evolvuntur sub iisdem conditionibus athmosphericis, telluricis etc. a cellulis habentibus prorsus eamdem dispositionem partium. Ergo nequit diversa dispositio partium esse primum principium intrinsecum evolutionis plantarum secundum species suas.

3° Si per chimicas, physicas et mechanicas combinationes corporum elementarium efformentur cellulae materialiter prorsus similes illis, quae germinant, et ponantur in iisdem adiunctis, quamvis habean-

---

(1) Cfr. 1. q. 78. a. 2. ad 2.

tur eaedem vires resultantes et eadem accidentalis dispositio, nulla planta evolvitur. Atqui si resultantia virium, quae corporum elementarium propriae sunt, esset principium formale intrinsecum plantae, haec in talibus conditionibus germinare deberet. Ergo frustra negatur plantis principium primum intrinsecum superioris ordinis, ratione cuius constituatur in suo esse viventis. Ergo, quocumque se vertant adversarii, negare coguntur principium causae sufficientis.

b) Dum adversarii volunt per vires proprias corporum elementarium; prouti sub forma accidentali organismi operantur, sufficienter explicare operationes vegetativas plantae, incidunt in circulum vitiosum. Nam, ut caetera omittamus, inter vitae vegetativae operationes habetur reparatio organismi in laesionibus eius. Iamvero, si vires propriae corpusculorum elementarium in tantum valerent operari operationes vegetativas in quantum essent sub organismo, et in tantum organismus repararet seipsum in quantum huiusmodi vires operarentur sub ipso, idem esset simul causa efficiens et effectus sui ipsius secundum idem, quod repugnat. Ubi nota laesiones in aliquibus plantis eousque pertingere posse, ut maior pars organismi destructa sit, quin planta pereat. Quin imo saepe maximae amputationes prosunt vegetationi quarumdam plantarum.

III. **Manifestae experientiae contradicit.** Etenim ad explicanda saltem praecipua phaenomena vitae vegetativae, sive adversarii velint eam esse veram vitam, sive nolint, adsignari debet principium aliquod proportionatum per quod explicetur constans conspiratio harum virium ad immutabilem typum organismi evolvendum, conservandum, reproducendum. Atqui tale principium rationaliter reponi nequit in accidentali conditione organismi, sub qua vires propriae substantiae corporeae non viventis per quamdam resultantem vim operentur. Ergo in vegetantibus admittendum est primum principium formale intrinsecum superioris ordinis pro operationibus quae sunt propriae vegetantium.

Minor prob. Impossibilis esset stabilis conspiratio virium ad unum typum variis et miris operationibus in unaquaque specie evolvendum conservandum et reproducendum, si haec unice oriri deberet ex mero temperamento virium elementarium in artificioso aggregato organismi. Etenim temperamentum virium, quod convenit alicui congregationi elementarium corpusculorum, *necessario* pendet ab apta attemperatione vis corporis uniuscuiusque elementaris ad vires aliorum corpusculorum. Iamvero in organismo vivo *propter iuges actiones et reactiones cum exterioribus agentibus, propter necessitatem iugis innovationis variorum aggregati elementorum, per intestinos processus secretionis*

atque assimilationis etc., singulis momentis plura elementa cessant habere aptam attemperationem, evadendo inutilia et nociva. Ergo si apta attemperatio vis corpusculi elementaris ad vires aliorum corpusculorum esset causa temperamenti virium totius plantae et eo mediante esset causa evolutionis, conservationis et reproductionis organismi secundum unum et eumdem atque perfectum typum, necesse esset hunc typum ad iugem alterationem temperamenti virium iugiter alterari, et sic post breve tempus loco evolutionis, conservationis et reproductionis eiusdem typi organici, haberemus imminutionem, corruptionem, destructionem organismi et impossibilitatem reproductionis per generationem novorum individuorum in eadem specie organica. Quae sunt manifestae experientiae repugnantia.

137. **Nota.** *Falsum est per artem chimicam fieri substantias vere organicas.* Nam ad substantiam vere organicam habendam requiritur, ut haec si apta nutriri, crescere, fructificare. Iamvero composita quaedam per artem chimicam efformata, quae dici solent organica, sunt tantum *aequivoce talia*, nullius enim ex supradictis operationibus sunt capacia, sed habent tantum similitudinem cum mixtis resultantibus *ex morte* alicuius vegetalis vel a vivente organismo extractis. Huiusmodi sunt *ex. gr.* carbura hydrogenii, acidum formicum et similia. Ratio autem, cur talia mixta fieri possint etiam per artem chimicam, est quia hae combinationes elementorum non adaequant virtutem formae substantialis vegetativae, quamvis ab ea producantur.

THESIS XLV.

Sententia Lamarckii, Darwinii, caeterorumque evolutionistarum refutatur.

PRAENOTIONES.

138. Variae Evolutionistarum classes in eo conveniunt, ut primam originem viventium corporeorum, sive plantae ea sint, sive bruta, sive homines, reponant in quodam originario concursu corporum elementarium vel atomorum eorumque virium, ex quo remotissimis in temporibus prima germina vitalia resultaverint, ita ut per horum successivas evolutiones ac mutuas actiones et passiones, quas nomine *luctae pro existentia* designare consueverunt, ortum habuerint varia genera et species viventium usque ad hominem, ab imperfectioribus ad perfectiora procedendo. Ne bis idem agamus, eorum theoriam gradatim exponemus et refutabimus. Postquam autem ambiguas quasdam sen-

tentias, quibus sua sophismata fulcire conantur, quo sensu veritatem habeant, quo non habeant declaraverimus, eorum argumenta loco obiectionum proponere atque dissolvere non omittemus.

REFUTATIO.

139. Sententia, quae 1° falsis nititur fundamentis, quae 2° contradicit principio causalitatis, quaeque 3° ipsas leges inductionis possumdat, reiicienda est tamquam falsa et absurda. Atqui talis est sententia evolutionistarum. Ergo est prorsus reiicienda.

I. **Evolutionismus falsis nititur fundamentis.** Etenim *a) Primum eius fundamentum* est, ut supponat principia prima intrinseca corporum esse atomos, variasque corporum species sive non viventium, sive viventium quocumque gradu vitae, resultare ex aggregationibus atomorum diverso ordine dispositarum. Iamvero huius fundamenti inanitas et absurditas abunde in primis Quaestionibus demonstrata sunt. Ergo Evolutionismus falso nititur fundamento.

b) Secundum fundamentum, cui praefata sententia innitur est, ut supponat principium formale vitae esse quamdam vim resultantem ex viribus corporum inorganicorum sub conditionibus organismi. Atqui haec affirmatio, cuius falsitas quum agitur de ipsis plantis in Th. 44. demonstrata est, evadit absurda quum sermo est de brutis, impia simul et absurda quum ad hominem extenditur, ut ex dictis patet et ex dicendis ulterius patebit. Ergo.

c) Tertium evolutionisticae sententiae fundamentum est ex concursu atomorum vel corporum elementarium quadam vice resultasse virtutem germinatricem eorum viventium, quae postmodum usque ad hominem evoluta sunt. Iamvero hoc fundamentum, etiamsi permittantur falsae hypotheses supra reprobatae, quibus innititur, adhuc apparet non minus gratuitum, quam omni probabilitate destitutum. Si enim semel concursus corporum elementarium virtutem habuit causandi prima germina, cur deinceps tali virtute destitutus fuit? (1).

---

(1) Ad rem optime omnino cl. *B. Saint-Hilaire* (Traité des Parties des Animaux etc. d'Aristote. Tom. I. Préface). « L'arrière pensée, que caresse le transformisme, c'est de « faire sortir la vie du concours fortuit et inconscient d'éléments purement matériels. « A l'en croire, quelques uns des corps simples, qui sont l'étude de la chimie, se seraient « un jour recontrés, on ne nous dit pas par quelle cause, disparue depuis cette époque; « et de leur contact fécond, aurait jailli tout à coup l'etincelle inextinguible. Mais s'il « en a été ainsi, si en effet la vie a surgi par hasard du rapprochement de forces phy- « siques, purquoi ces forces auraient-elles cessé leur action, après cet instant pour tou- « jours évanoui? Pourquoi n'agissent-elles plus à cette heure, devant nous, comme elles « agissaient alors? C'est la question que faisait Agassiz, il y a vingt ans; on n'y a « pas répondu, parce qu'on ne peut pas y répondre, si ce n'est par des hypothèses in- « accettables ».

d) Quartum fundamentum, quod priora (a nobis iam eversa) supponit, statuit evolutionem specierum superiorum idest perfectiorum viventium a speciebus inferioribus, seu imperfectioribus, locum habuisse non solum per *efficaciam productivam* imperfectiorum, sed praecipue per *inclinationem* vel *selectionem naturalem* viventium inferiorum ad gradus vitae superiores in opportunis adiunctis atque *per luctam pro existentia.* Iamvero hoc etiam fundamentum ruit. Nam 1° falsum est ens perfectionis essentialiter inferioris habere *efficaciam producendi* ens in superiori perfectionis essentialis gradu subsistens. Quod enim neque formaliter neque eminenter continet perfectionem aliquam, nequit in aliud subiectum eam quomodocumque causare. 2° Falsum est *inclinationem* vel *selectionem naturalem* extendi ultra accidentales aliquas perfectiones compossibiles cum natura appetentis. Nam secus hoc ens appeteret destructionem suipsius, quod repugnat. Idcirco S. Th. (1) ait: « Inest unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse; « quod non conservaretur, si transmutaretur in alteram naturam. Unde « nulla res, quae est in inferiori gradu naturae, potest appetere supe- « rioris naturae gradum; sicut asinus non appetit esse equum, quia si « transferretur in gradum superioris naturae, iam ipsa non esset. Sed « in hoc imaginatio decipitur: quia enim homo appetit esse in altiori « gradu quantum ad aliqua accidentia quae possunt crescere absque « corruptione subiecti, aestimatur quod possit appetere altiorem gra- « dum naturae, in quem pervenire non possit, nisi esse desineret ». Falsum est *ex lucta pro existentia* multiplicari species viventium. Nam ex ea sequitur oppositum, nempe extinctio specierum, quarum individua in hac lucta vincuntur.

II. **Evolutionismus contradicit principio causalitatis.** Etenim principium causalitatis pronuntiat *non dari effectum absque proportionata causa,* quae videlicet non contineat vel *formaliter* si sit univoca, vel *eminenter* si sit aequivoca perfectionem sui effectus. Atqui in sententia evolutionistica oppositum asseritur. Nemo enim serio dixerit corpora elementaria continere vel *formaliter* vel *eminenter* perfectionem vitae vegetativae sensitivae, intellectivae; aut plantas imperfectas continere formaliter vel eminenter perfectiones proprias plantarum perfectarum, brutorum et hominum, aut imperfecta bruta similiter continere perfectiones proprias brutorum perfectiorum, et ipsas perfectiones proprias hominis. Ergo sententia evolutionistica contradicit principio causalitatis.

Nota. *De distinguenda insufficientia* **quantitativa** *ab insufficientia*

(1) 1. p. q. 63. a. 3.

quidditativa. Ad sophistarum cavillationes dissolvendas sedulo notandum est improportionem inter mineralia et vegetalia et inter varia genera et species viventium corporeorum non esse tantum *quantitativam,* ita ut per meram additionem individuorum adaequari possit (quemadmodum adaequatur insufficientia unius equi ad trahendum currum per additionem alterius equi), sed esse *quidditativam,* quae nulla multiplicatione individuorum ordinis inferioris adaequari posset etiamsi in infinitum multiplicarentur. Sic infinita mineralia non darent perfectionem *quidditativam* unius vegetalis, neque infinitae plantae darent perfectionem quidditativam unius bruti, neque infinita bruta perfectionem quidditativam unius hominis.

III. **Evolutionismus leges inductionis pessumdat.** Etenim has leges omnino pessumdat sententia, quae *a)* manifestissimae experientiae contradicit; quae *b)* ad eludendam manifestae experientiae vim, confugit ad confictas quasdam extinctorum viventium species in fossilibus terrae stratis imaginatas, ut in eis evolutionem locum habuisse affirmet; quae etiam quoad hanc gratuitam suppositionem falsitatis arguitur a geologorum explorationibus in fossilibus terrae stratibus, in quibus extinctarum specierum organismi inventi sunt et in dies inveniuntur; quae *c)* confundit varietates accidentales stirpium cum essentialibus specierum differentiis. Iamvero hisce vitiis laborat evolutionistica sententia. Ergo reiicienda etiam est utpote inductionis legibus et manifestae experientiae opposita.

Et sane *a)* manifestissima experientia a remotissimis naturalis historiae temporibus usque ad nostram aetatem demonstrat omnia entia organica ad aliquas reduci classes, quae licet pro adiunctorum varietate quoad secundaria quaedam accidentia variari possint, tamen inter certos limites ita concluduntur, ut eos omnino transire non valeant. Qui limites pertinent ad accidentia propria determinatae classis seu speciei, suntque potissimum figura, structura, instinctus, modus emittendi vocem (sic ex. gr. omnes stirpes canum retinent latrabilitatem, equorum hinnibilitatem etc.), indefinita foecunditas individua generandi eiusdem speciei, ita ut si ex minus naturali coniunctione duorum individuorum diversae speciei sub eodem proximo genere contentae proles hibrida enascatur, haec vel remaneat sterilis, vel prolem gignat specifice similem alterutri avorum. Sic mulus generat vel asinum vel equum. Attamen animadvertere iuvat, quod etiamsi hibrida gauderent perpetua foecunditate, nihil sequeretur in favorem evolutionismi, quum tales hibridorum stirpes causarentur a viventibus proportionatae perfectionis. Iamvero haec *fixitas specierum*, quam omnium aetatum experientia proclamat, est omnino opposita theoriae evolutionisticae. Ergo...

Itaque *b)* evolutionistae, quum nihil habeant quod serio opponant huic exploratae *fixitati specierum*, confugerunt tamquam ad arcem, ad somniatam epocham evolutionis specierum, quarum exuviae in fossilibus telluris stratibus abscondi asseruerunt, simul affirmantes species non amplius transformari in alias quum ad perfectum quemdam organismi typum pervenerint. Sed hae assertiones, quae *rationaliter* absurdae sunt propter rationes superius allatas, non solum *experimentaliter* gratuitae, sed etiam *experimentaliter* falsae prodierunt. Etenim in fossilibus telluris stratis geologorum industria exploratis nullum vestigium invenitur typorum primitivorum, quos Lamarkius vocavit *protagonismos*, Darwinius autem *prototypa*. Inveniuntur quidem exuviae organismorum specierum extinctarum, sed hae permixtae sunt exuviis organismorum specierum adhuc existentium sive plantarum sive animalium, eosque exhibent characteres, qui perfectam distinctionem uniuscuiusque speciei a caeteris praeseferunt, ita ut necesse sit affirmare *fixitatem specierum* etiam tunc locum habuisse tum quoad species extinctas tum quoad species adhuc existentes.

Tandem *c)* evolutionistae etiam ex hac arce deiecti, confugiunt ad confundendam mutationem unius speciei in aliam, quae numquam contigit, cum variationibus individualibus, et regionalibus ex quibus oriuntur variae stirpes eiusdem speciei. Quas stirpes remanere in eadem specie cuilibet ratione utenti manifestum est. Retinent enim semper α) eumdem typum fundamentalem, sicut patet in variis stirpibus (razze) sive equorum, sive canum, sive psittacorum, sive turturum, sive hominum etc. β) Retinent accidentia propria speciei seu proprietates differentiales. Sic omnes stirpes equorum retinent *hinnibilitatem*, omnes stirpes hominum *risibilitatem* et *rationalitatem* etc. (cfr. quae diximus sub litt. *a)*. γ) Individua diversarum stirpium generant prolem foecundam eiusdem stirpis et sic in indefinitum.

IV. **Refutationis confirmatio extrinseca.** Haec praestatur non solum a gravissimis Scientiarum Naturalium cultoribus, sed etiam ex his, quae ipsi evolutionistae licet inviti fateri coguntur. Primi enim magno numero et pondere evolutionismum inter chimaeras et fabulas amandant. Meminisse sufficiat R. Wirchow, J. Pasteur, E. Miln Edwards, De Quatrefages, Aeby, Agassiz, Bianconi, Saint Hilaire, quorum scripta et hac super quaestione sententiae omnibus in naturalibus scientiis vel mediocriter versatis notissima sunt.

Evolutionistae autem ipsi fatentur suam sententiam fundari in imaginatis coniecturis (1). Ex horum testimoniis, quae facile multiplicari

---

(1) H. Taine, de l' intelligence. T. 2. lib. 4. c. 3. 3. ait: « On conçoit que dans cette prodigieuse évolution, qui s' etend depuis la formation du système solaire; jusqu' à

possent, apparet evolutionistas *implicite* asserere suam sententiam nulla certitudine, nullaque seria probabilitate gaudere, sed esse imaginariam hypothesim solido fundamento destitutam; quum conclusio nequeat esse certior, quam principia quibus innititur. Quod autem *explicite* denegent id quod *implicite* affirmant, praeiudicatae eorum opinioni tribuendum est, quae eorum mentes a recte ratiocinandi legibus avertit (1).

ANIMADVERSIONES

AD AMBIGUITATES QUASDAM DILUCIDANDAS.

140. Antequam obiectiones proponamus et solvamus, animadvertere iuvat adversarios praeter ea, quae superius refutavimus, confundere proprietates genericas cum proprietatibus differentialibus entium corporeorum. Ne igitur ignorantiâ elenchi laborent, animum applicent sequentibus veritatibus omni Logico manifestis.

a) Quum omnia viventia corporea conveniant in genere physico substantiae corporeae, necesse est ut conveniant in accidentibus propriis corporis in quantum corpus est.

b) Insuper necesse est, ut substantiae corporeae, quae sunt sub eodem genere proximo, conveniant in pluribus accidentibus, quam ea quae conveniunt tantum in aliquo genere magis vel minus remoto. Etenim convenire debent etiam in accidentibus propriis generis proximi. Sic in pluribus accidentibus convenire inter se debent *equus* et *homo*, quam *lapis* et *homo*. Et ideo ex convenientia in huiusmodi accidentibus perperam quis inferret identitatem specificam eorum.

c) In hac graduali convenientia et discrepantia fundatur principium saepe a S. Thoma commemoratum, nempe: « *Supremum ordinis inferioris attingere infimum ordinis superioris* » (2). Quod principium extendi proportionaliter potest etiam ad substantias spirituales creatas. quae licet non conveniant nobiscum in eodem *genere physico*, tamen conveniunt in eodem *genere logico*. Quum enim rerum essentiae constituantur aliae aliis perfectiores per maiorem vel minorem partici-

---

celle de l'homme moderne, les lacunes soient grandes et nombreuses, elles le sont en effet, et souvent nous n'avons pour les combler, que des conjectures ». Et A. Bain, Logique de la Biologie : « L'hypothèse contient un élément imaginaire, qui s'associe à des faits imparfaitement connus ». Theodorus autem Ribot (La Psycologie Anglaise contemporaine) ait: « Si nous en venons de la terre aux plantes et aux animaux, *qui vivent ou ont vecu*, les faits nous manquent pour vérifier la loi... Les données actuelles de la paléontologie ne permettent de rien affirmer ».

(1) Recte igitur clarus B. Saint Hilaire (loc. sup. cit.). « Un des torts les moins pardonnables du transformisme, c' est donc de substituer au mond qui est sous nos yeux. la chimère d'un mond entierement faux ».

(2) 1. p. q. 78. a. 2.

pabilitatem perfectionis essendi (Ont. n. 84. Coroll. 3.), et per hanc diversimode, licet semper deficienter, imitentur ipsam perfectionem Divinae Essentiae, a qua fundamentaliter omnis rerum possibilitas pendet (Ont. Th. 35); necesse est, ut dentur gradus possibiles perfectionum essentialium finitarum ita connexi, ut ex eis resultet quasi quaedam scala, in qua licet superior gradus immediate praecedens inferiorem sit per differentiam specificam essentialiter distinctus ab eo, et quoad hoc nunquam eius perfectio possit ab inferiori aequari, tamen sit huic magis similis quam cuicumque alii essentiae, quae conveniat cum ea in aliquo genere minus proximo vel magis remoto.

d) Quum materia disponi debeat in ordine ad formam et ad operationes proprias consequentes talem formam, necesse est ut corpus viventis habeat organa proportionata operationibus propriis naturae eius. Sicut enim in Thesi 30. agentes *de Finalitate Naturae* demonstravimus, *ipsum fieri* rerum naturalium regitur ad normam finalitatis, ad quam ipsae, earumque operationes, ordinantur. Quapropter maior vel minor similitudo seu analogia organorum in viventibus diversarum specierum non procedit ex evolutione unius speciei viventium ab alia, sed ex maiori vel minori similitudine operationum vitalium ad quas ordinantur. Perperam igitur evolutionistae ex similitudine seu analogia organismi inferunt trasformationem unius speciei in aliam.

e) Item evolutionistae confundunt *processum embriologicum*, (qui locum habet quum materia embrionis per virtutem a generante impressam gradatim disponitur transeundo per formas indeterminatas intermedias ad formam determinatam eiusdem speciei cum forma generantis, quae est terminus talis processus), cum evolutione viventis superioris speciei a vivente speciei inferioris, et viventis speciei infimae a non vivente. Processus embriologicus non favet sed obest evolutionismo, quia embrio causatur a vivente illius speciei, in qua embrio post periodum formationis subsistet ut ens perfectum.

Tandem *f) similitudines* seu *analogiae embrionales*, quas in initio praeseferunt embriones animalium diversae speciei, proveniunt ex eo quod omnes conveniant in ratione generica physica. *Discrimina* vero quae statim manifestantur tum quoad structuram, tum quoad figuram quando processus inchoatur, et quae evadunt semper maiora usque ad ultimum terminum perfectae formationis prolis, manifeste ostendunt diversitatem specificam virtutis formativae. Quapropter totus *processus embrionalis* adaequate inspectus e diametro opponitur placitis evolutionistarum (1).

---

(1) Qui ampliorem refutationem evolutionismi expostulat conferre potest opusculum nostrum, cui titulus: **Le specie organiche secondo la dottrina di S. Tommaso e la moderna teoria degli evoluzionisti.**

OBIECTIONES (1).

141. **Obiect. 1ª.** Ars *per selectionem* obtinet perfectiores plantas et perfectiora animalia. Atqui natura plus potest quam ars. Ergo per selectionem naturalem haberi possunt species diversae et perfectiores.

Resp. *Dist. mai.* Ars per selectionem obtinet plantas et animalia accidentaliter perfectiora, ita ut constituant novas *stirpes*, *Conc.*, essentialiter perfectiora, ita ut constituant novas *species*, *Nego. Contrad. min.* Natura potest plus quam ars, semper tamen salvis principiis causalitatis et propriae conservationis, *Conc.*, hisce principiis eversis, *Nego. Nego cons.* Solutio patet ex demonstratis in Thesi.

Obiect. 2ª. Materia prima naturalem appetitum habet omnium formarum corporearum usque ad humanam. Atqui in hac hypothesi debent naturaliter evolvi ex materia variae species corporum aliae aliis perfectiores. Ergo ex appetitu materiae probatur evolutionismus.

Resp. *Dist. mai.* Materia prima habet naturalem appetitum *passivum* omnium formarum, *Conc.*, appetitum *activum*, *Nego. Contrad. min. Nego cons.* Solutio patet ex dictis in Quaest. IV. Thesib. 16. et 17. *De eductione formarum de potentia materiae,* ubi demonstravimus requiri agens proportionatum, animam vero humanam ne quidem de potentia materiae educi posse a parentibus, sed creari debet immediate a Deo.

Obiect. 3ª. Ex duobus individuis diversae speciei generari possunt individua tertiae cuiusdam speciei, quae hibrida vocantur. Ergo ex una specie potest diversa species evolvi.

Resp. *Dist. mai.* Ex duobus individuis speciei *remotae*, *Nego; speciei valde proximae*, *Subdist.* Ita ut haec tertia species sit perfectior specie utriusque parentis, *Nego*, ita ut sit media quaedam species, quae ut plurimum vel sterilis est, vel gignens prolem redeuntem ad speciem alterutrius avi, *Conc. Dist. cons.* Ex individuis diversae speciei evolvi potest nova species essentialiter perfectior specie utriusque parentis, *Nego*, species quaedam *media*, seu *hibrida*, atque (ut ex experimentis hucusque compertis constat) similis infoecunda prolis, *Conc.* In ipsa Thesi ostendimus *hibrida* non favere evolutionismo, quia *hibrida* sunt viventia producta a viventibus speciei proximae, neque excedere in perfectione quidditativa perfectionem utriusque parentis.

Obiect. 4ª. Evolutionismus docet processum naturae in prima constitutione specierum fieri ex imperfecto ad perfectum. Atqui hoc etiam

(1) Has et similes Obiectiones collectas et optime solutas invenies apud saepe laudatum cl. RR. DD. *Lorenzelli Phil. Theor.* Vol. 2. Lect. 6.

manifestat *Embriologia* de processu naturali ex seminibus ad viventia, qui ex inorganico procedit ad organicum. Ergo evolutionismus non repugnat.

Resp. *Dist. mai.* Evolutionismus docet processum naturae fieri ex imperfecto ad perfectum absque proportionata causa efficiente, *Conc.*, per influxum proportionatae causae efficientis. *Nego. Contrad. min.* Embriologia manifestat processum a seminibus ad viventia, supposito influxu proportionatae causae, nempe generantis eiusdem speciei cum individuo quod resultabit in termino processus generativi, *Conc.*, absque influxu proportionatae causae, *Nego. Nego cons.*

Obiect. 5ª. *Embriologia comparata* manifestat similitudinem embrionum diversarum specierum in initio formationis. Ergo non repugnat ex eodem principio materiali evolvi species aliae aliis perfectiores.

Resp. *Dist. mai. Embriologia comparata* manifestat similitudinem aliquam extrinsecam et mere accidentalem, quae gradatim propter diversitatem principii intrinseci evanescit, *Conc.*, manifestat similitudinem intrinsecam et essentialem, *Nego. Nego cons.* Argumentum adversariorum retorqueri debet, nam si embriones eodem principio intrinseco actuarentur, deberent semper maiorem similitudinem in processu formativo praeseferre. Dum oppositum omnino contingit. Similitudo extrinseca, in initio procedit ex eo quod omnes embriones conveniant in eodem genere remoto (cfr. n. 140. f.).

Obiect. 6ª. *Anatomia comparata* refert similitudines organorum ex. gr. inter pedem canis et manum simiae. Atqui hae similitudines explicari nequeunt absque communitate originis. Ergo ab eodem typo omnia viventia evoluta sunt.

Resp. *Dist. mai.* Anatomia comparata refert similitudinem genericam organorum magis minusve remotam provenientem ex simili fine ad quem huiusmodi sunt ordinata, *Conc.*, provenientem a communitate originis, *Nego. Nego minorem et consequentiam* (cfr. n. 140. b.).

Obiect. 7ª. Nisi esset communitas originis non possent explicari quaedam membra inutilia aliquarum specierum ex. gr. *ungulae appendiculares* in parte externa praeposterorum pedum in bobus et porcis. Ergo ab eodem typo omnia viventia evoluta esse tenendum est.

Resp. *Dist. antec.* Si talia membra essent inutilia *per se toti speciei*, *Trans.*, si sunt inutilia tantum *per accidens* quibusdam individuis speciei, ob specialia adiuncta locorum, in quibus degunt, *Nego* et *nego conseq.* Quamvis *ungulae appendiculares* sint inutiles bobus et porcis, qui degunt tantum in planis, deserviunt tamen eis, qui descendunt a montibus, ut securius regant corpus. Praeterea quamvis nobis non sint compertae omnes utilitates membrorum, tamen eae penitius inspi-

cienti naturam gradatim innotescunt. Quaedam autem membra sive ad aptiorem interiorum partium evolutionem, sive ad ornatum ab Auctore Naturae elargita sunt.

Obiect. 8ª. In quibusdam humanis craniis etruscorum inventum est *os frontale* duplex, sicut est in simia. Ergo amittenda videtur theoria atavismi inter hominem et simiam.

Resp. *Dist. mai. Os frontale* duplex inventum est in humanis craniis naturalibus et in conditionibus normalibus, *Nego,* in craniis monstruosis et in conditione anormali, videlicet temporis iniuria corruptis, *Conc. Nego cons.* Perfectio animae humanae, quae est nobilissima omnium formarum, efficit ut os frontale humanum sit unicum videlicet non resultet ex quadam sutura duarum partium. Etenim ut sapienter advertit S. Thomas (C. G. Lib. 2. c. 68.) « quanto forma magis vincit materiam, tanto ex ea et materia magis efficitur unum ». Attamen nil mirum quin *per accidens* ex debilitate virtutis, aut ob aliud impedimentum frustretur aliquando effectus a natura intentus, sicut accidit in monstris. Caeterum, ad simias quod attinet, earum structura adeo discrepat a structura humani corporis, ut etiam ex hoc capite absurda appareat theoria darwinistica.

Obiect 9ª. *Metamorphoses,* quae locum habent in *bombyce mori* (baco da seta) et in quibusdam plantarum vel animalium speciebus manifeste persuadent veritatem sententiae evolutionisticae.

Resp. *Dist.* Si hae *metamorphoses* essent mutationes de una specie in aliams peciem, *Conc.*, si sunt (ut revera sunt) mutationes de uno in alium statum proprium individuorum eiusdem speciei, *Nego.* Hae mutationes fiunt *de statu imperfecto in statum perfectum*, seu de iuventute in maturitatem. Sic in *bombycibus mori* periodus nutritionis et augmenti est manifeste distincta a periodo productionis seminum aut ovulorum, qua in periodo dispositio organica est valde diversa a praecedenti. Similes mutationes cernuntur in frumento et in pluribus aliis vegetalibus.

142. **Corollarium.** *Prima individua viventium corporeorum uniuscuiusque speciei produci debuerunt a Deo actione terminative distincta.*

Etenim, quum materia prima existere nequeat absque aliqua forma substantiali, et quum potentia passiva materiae nequeat determinari ad actum, nisi ab agente quod habeat vel *formaliter* vel *eminenter* perfectionem talis actus; necesse est ut supremum agens, nempe Deus, non solum prima individua corporum elementarium, utpote entia contingentia, *immediate per creationem* in esse produxerit; sed etiam debuit *immediate* sive per creationem totius compositi, sive ex praeexistente

corporum elementarium materia (ut fecisse christiana revelatio nos docet) producere prima individua uniuscuiusque speciei viventium corporeorum, quae deinceps per virtutem generativam ex praeexistente materia produxerint nova individua suae speciei, et haec alia usque ad praesentem diem. Etenim prima individua uniuscuiusque speciei, utpote et ipsa essentialiter contingentia, produci debuerunt ab alio vivente. Atqui huiusmodi non potuit esse vivens contingens diversae speciei, utpote carens forma, ad cuius similitudinem educeret de potentia materiae praeexistentis farmam diversae speciei. Ergo debuit esse *immediate* ipsum ens necessarium, quod eminenter continet quidquid rationem perfectionis habet in entibus contingentibus. Id autem non impedit, quominus Deus, pro ordinatissima ratione suae sapientiae et bonitatis, ita immediate produxerit prima individua specierum viventium, ut secundum exigentiam naturalem eorum eius actio terminativa ab imperfectioribus ad perfectiora processerit.

TRACTATUS SECUNDUS

DE VARIIS GRADIBUS VITAE COGNOSCITIVAE.

QUAESTIO XVII.

DE COGNITIONE IN GENERE.

THESIS XLVI.

Cognitio recte definitur operatio immanens, qua res apprehendimus per assimilationem intentionalem potentiae cognoscitivae cum re cognita.

PROBATUR.

143. *Cognitio* dicitur *a) operatio immanens*, ut secernatur ab operationibus transeuntibus; est enim perfectio operantis quatenus operantis. *b)* Adduntur caetera verba, ut cognitio secernatur a caeteris operationibus vitalibus, sive vegetativis sive appetitivis. Etenim operationes appetitivae tendunt ad apprehendendam rem secundum esse reale. Operationes autem vegetativae assimilatrices perficiunt assimilationem secundum materiam. Ita enim alimentum convertunt in substantiam aliti, ut remaneat materia alimenti actuata per formam substantialem aliti. In operatione autem cognoscitiva habetur quidem *assimilatio*, non autem secundum materiam, sed *secundum formam*, quia cognoscens praeter formam propriam habere etiam debet formam rei cognitae. Attamen haec assimilatio est intentionalis, quia assimilatio potentiae cognoscitivae cum re cognita non est secundum *esse reale*, sed secundum *esse intentionale;* videlicet est talis repraesentatio rei facta in potentia cognoscitiva, ut eius vi subiectum cognoscens, quin egrediatur extra seipsum et quin res exterior in ipsum ingrediatur, rei notitiam acquirat. Ita fit ut potentia cognoscitiva, actuata secundum formam similem rei cognitae, sit *intentionaliter* id, quod res cognita est *realiter* in seipsa.

Quapropter *esse intentionale,* est ipsa actuatio potentiae cognoscitivae secundum formam vel similitudinem rei cognitae; et ideo dicitur *intentionale*, quia per ipsum potentia cognoscitiva intendit seu fertur in obiectum, ipsum cognoscendo.

THESIS XLVII.

Ad hoc ut potentia cognoscitiva eliciat actum cognitionis determinatae, actuari debet per speciem cognoscitivam, idest per formam vel similitudinem intentionalem illius rei, quam actu cognoscit.

PROBATUR.

144. Quum cognitio sit operatio immanens, quae terminatur ad obiectum aliquod determinate cognoscendum; necesse est, ut potentia cognoscitiva, quin egrediatur a seipsa, determinetur ad actum cognitionis eliciendum circa determinatum obiectum. Atqui haec determinatio potentiae nequit habere locum, nisi per hoc, quod obiectum determinet intrinsece potentiam cognoscitivam ut actus potentiam, vel per suam ipsam formam (si haec sit huiusmodi ut possit intentionaliter, seu cognoscitivo modo, coniungi potentiae), vel per aliquam similitudinem suam; secus non adesset ratio sufficiens cur potentia eliceret vel non eliceret actum cognitionis, neque cur unum potius quam aliud obiectum cognosceret. Ergo ad hoc ut potentia cognoscitiva eliciat actum cognitionis determinatae, necesse est ut actuetur per formam vel similitudinem intentionalem illius rei quam actu cognoscit. Quae similitudo vocatur *species impressa*.

Dices: Inter res et imagines earum nulla datur proportio seu similitudo. Atqui si non datur proportio, non potest res cognosci per speciem. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Nulla datur proportio naturae seu in essendo, *Conc.*, nulla datur proportio in repraesentando, *Nego. Contrad. min. Nego cons.*

THESIS XLVIII.

Ad esse intentionale habendum requiritur ut potentia cognoscitiva, in qua invenitur, sit magnae actualitatis, et eo maioris, quo esse intentionale est perfectius et universalius; videlicet requiritur ut potentia cognoscitiva recedat a coarctatione materiae magis vel minus, prouti esse intentionale ipsas conditiones materiales respuit vel non respuit.

DEMONSTRATUR.

145. Quum potentiae subiectivae proprium sit coarctare formam seu actum, qui in ipsa recipitur; actus autem ex se importet perfectionem

absque limitibus in eo ordine in quo est purus actus (cfr. Phil. Prim. Quaest. VIII. De Actu et Potentia), necesse est ut ea virtus vel natura quae remanendo id quod est in suo esse reali, extendi potest ad plures res intentionaliter repraesentandas, sit immunis a coarctatione materiae; atque eo magis, quo ad plura et universaliora obiecta se extendit. Quum enim species cogniti sit in cognoscente, necesse est ut cognoscens praeter formam suam habeat etiam formam rerum, quas intentionaliter repraesentat.

Confirmatur verbis S. Thomae (1): « Cognoscentia a non cognoscen- « tibus in hoc distinguuntur, quia non cognoscentia nihil habent, nisi « formam suam tantum; sed cognoscens natum est habere formam « etiam rei alterius, nam species cogniti est in cognoscente. Unde ma- « nifestum est, quod natura rei non cognoscentis est magis coarctata et « limitata. Natura autem rerum cognoscentium habet maiorem ampli- « tudinem et extensionem. Propter quod dicit Philosophus (de Anima « lib. 3. text. 37.) quod *anima est quodammodo omnia*. Coarctatio autem « formae est per materiam. Unde et supra diximus quod formae secun- « dum quod sunt magis immateriales, secundum hoc magis accedunt « ad quamdam infinitatem (negativam et se tenentem ex parte actus: « cfr. quae de infinitate diximus in Ont. n. 91.). Patet igitur quod im- « materialitas alicuius rei est ratio cur sit cognoscitiva; et secundum « modum immaterialitatis est modus cognitionis. Unde (de Anima lib. 2. « text. 124.) dicitur, quod plantae non cognoscunt propter suam ma- « terialitatem. Sensus autem cognoscitivus est, quia est receptivus « specierum sine materia (quamvis non sine materialibus conditionibus « et ideo infimus in ordine cognoscitivorum); et intellectus adhuc magis « cognoscitivus, quia magis separatus est a materia et immixtus, ut « dicitur (De Anima, lib. 3. text. 4.). Unde, cum Deus sit in summo « immaterialitatis, ut ex superioribus patet (quaest. 7. art. 1.), sequitur, « quod ipse sit in summo cognitionis ». Quo in testimonio S. Doctoris habemus compendiatim quidquid requiritur ad evolvendum conceptum cognitionis secundum varios eius gradus.

146. **Corollarium 1.** *Esse intentionale se habet ad potentiam cognoscitivam opposito prorsus modo ac esse reale se habet ad potentiam subiectivam.*

Nam potentia subiectiva sive in ordine essentiae, sive in ordine existentiae dicit limitationem et privationem actus, quem recipiendo coarctat. Potentia vero seu virtus cognoscitiva dicit actualitatem et illimitationem in sua virtute, ita ut habeat esse eo minus limitatum

---

(1) 1. p. q. 14. art. 1.

a potentialitate, quo magis universaliter et independenter ab extrinseco est repraesentativa rerum.

Corollarium 2. *Remotio a potentialitate est ratio cognitionis et secundum gradus elongationis a potentialitate dantur gradus perfectionis in cognoscentibus.*

Quapropter, *a)* entia corporea quorum formae sunt penitus immersae in materia, quae est *pura potentia subiectiva* in ipso ordine essentiae, a nulla prorsus potentialitate elongantur et ideo nullatenus sunt cognoscitiva. Ad hanc classem pertinent non solum corpora inanimata, sed etiam corpora animata mere vegetalia, quae quum habeant operationem circa ipsam concretam materiam; non habent formas satis elongatas a potentialitate materiae ita ut valeant esse principia operationis licet infime cognoscitivae.

b) Primum vestigium cognitionis habetur in entibus corporeis sentientibus, quorum formae sunt principia remota operationum, quae non fiunt circa ipsam concretam materiam assimilando illam nutritione vel augmentatione, sed quae cognoscitive apprehendunt res materiales sine materia quidem, sed non sine conditionibus materialibus.

c) Perfecta cognitione gaudent illa entia, quae habent esse omnino a materia immune, quaeque intellectiva vocantur. Haec enim immunitas, ut ex supradictis patet, omnino exigitur ad actualitatem illius virtutis, quae praeter proprium esse reale, potest actuari intentionaliter quoad ipsam quidditatem aliarum rerum secundum rationes prorsus a materia et a conditionibus materialibus abstractas.

QUAESTIO XVIII.

DE FACULTATE SENSITIVA GENERATIM CONSIDERATA.

147. **Facultas sensitiva generatim accepta definiri potest** *potentia, per quam anima unita corpori res materiales, quâ materiales, idest sub conditionibus materialibus percipit.* Quae definitio, bona est quia obiectum materiale et formale exhibet. Id enim, quod sensus percipit, est res materialis, sed ratio formalis, sub qua eam attingit, est aliqua passibilis qualitas sub determinatis dimensionibus et adiunctis loci, situs, etc. videlicet sub *conditionibus materiae individualis*, ex. gr. hoc corpus, determinatum ad hic et nunc, perceptum *a visu* quatenus hoc determinatum coloratum, *ab auditu* quatenus hoc determinatum sonans, *a tactu,* quatenus hoc determinatum durum vel molle etc.

Sensus nequit percipere ipsam rationem seu quidditatem rei materialis. Per traditam definitionem aperte patet neque naturam seu essentiam rei materialis, neque naturam qualitatum et caeterorum accidentium materialium cognosci posse a sensibus. Ad haec enim cognoscenda requiritur abstractio a conditionibus materialibus, quum sint rationes universales. Quod praestare nequit potentia, cuius obiectum est res materialis quatenus alligata conditionibus materialibus, seu *hoc quale quantum.* Idcirco S. Thomas (1) ait: « Naturas « sensibilium qualitatum cognoscere non est sensus, sed intellectus ».

THESIS XLIX.

Facultas sensitiva 1° est facultas organica, et 2° materialis in minimo gradu, et ideo 3° forma substantialis bruti, seu anima formaliter sensitiva, licet non sit stricto sensu spiritualis seu immaterialis, tamen est essentialiter simplicior formis substantialibus inferioribus.

PRAENOTIONES.

148. I. **Materiale stricto sensu.** Quum *materiale* a *materia* denominetur, proprio et stricto sensu importat quidquid cum materia

(1) 1. p. q. 78. a. 3.

necessario connectitur ita ut absque ea connaturaliter esse non possit. *Materiae* autem nomine designatur *a) materia prima* nempe primum subiectum mutationum substantialium, *b) materia secunda* nempe quaecumque substantia extensa, quae mediante quantitate est aliorum accidentium corporeorum susceptiva.

Quapropter *materiale* proprio et stricto sensu dicitur 1° ipsum compositum corporeum resultans ex unione materiae primae et formae substantialis, 2° quaelibet forma substantialis quae nequit habere *esse existentiae* independenter a materia, 3° omnes vires seu potentiae operativae quae resultant ex coniunctione formae substantialis materialis cum materia, 4° reliqua omnia accidentia substantiae extensae, nempe quantitas, figura, qualitates adhaerentes magnitudini, earumque operationes, locus, situs et tempus.

II. **Immateriale proprio et stricto sensu** dicitur quidquid recedit ab omnibus conditionibus aut proprietatibus materialitatis, videlicet quod est independens quoad esse et quoad operari a materia et a materialibus conditionibus.

III. **Varii gradus materialitatis formarum.** Non omnes formae, quae pendent quoad *esse* et *operari* a materia, eumdem habent gradum materialitatis, sed maiorem vel minorem prouti magis vel minus in operationibus, quarum sunt principia formalia, dependent a coarctatione materiae. Iamvero haec dependentia a coarctatione materiae est maior vel minor prouti in operationibus inveniuntur plures vel pauciores ex notis propriis materialitatis.

IV. **Notae propriae materialitatis sunt quatuor:** 1ª inhaerentia dimensionibus seu magnitudini quantitativae, 2ª omnimoda determinatio ad finem, 3ª determinatio naturalis a generante impressa ad specificationem motus, ita ut agens nullo modo sibi quaerat formam, quae ultimo ipsum determinet ad suam operationem, 4ª determinatio ad executionem motus, ita ut agens non sit per se causa sui motus.

In operationibus propriis corporum non viventium inveniuntur omnes quatuor notae materialitatis. — In operationibus propriis corporum viventium solâ vitâ vegetativâ inveniuntur tantum primae tres; quia vegetalia movent seipsa ad nutritionem, augmentum et generationem. — In operationibus propriis corporum viventium vita sensitivâ inveniuntur tantum primae duae, quia operationes sensitivae licet sint alligatae dimensionibus quantitativis et habeant finem omnino determinatum a natura, tamen sunt immanentes in ordine cognoscitivo et formam ultimo determinantem, seu speciem sensilem, non habent a generante, sed ipsa sentientia eam sibi acquirunt.

PROBATUR THESIS.

149. *Quoad 1um*. **Sensus est facultas organica.** Etenim facultas organica est ea, quae non potest esse principium adaequatum operationis independenter ab organo materiali, quod ad eamdem operationem intrinsece concurrere debet, eo quod talis operatio habeat intrinsecam dependentiam a materialibus conditionibus et a materiali agente. Atqui huiusmodi est facultas sensitiva, *a)* cuius operationis obiectum est res materialis alligata conditionibus materialibus, puta hoc determinatum corpus coloratum, sonorum, dulce, etc., *b)* cuius operationis extrinsecum determinans est eadem res materialis alligata conditionibus materialibus, puta hoc determinatum corpus per suum determinatum colorem movens visum ad sui visionem, auditum ad sui auditionem, gustum ad sui gustationem etc. Ergo sensus est facultas organica.

Quoad 2um. **Sensus est materialis in minimo gradu.** Id patet ex dictis in Praenotionibus. Et sane materiale in minimo gradu est id quod tantum duas notas materialitatis habet in sua operatione, nempe inhaerentiam dimensionibus et omnimodam determinationem ad finem. Atqui sic se habet sensus in sua operatione, quae alligatur conditionibus materialibus, quaeque quum careat abstractione universalitatis nequit attingere rationem finis et mediorum ad finem, et ideo habet finem omnino praestitutum ab auctore naturae (cfr. Ontol. n. 141. Schol. 4). Attamen sentiens quaerit sibi formam per quam agat, et ponit executionem sui motus.

Quoad 3um. **Anima bruti est simplicior omnibus formis materialibus.** Forma quaelibet substantialis, quum sit actus, est simplex, licet, si babeat esse dependens a materia, non sit subsistens neque spiritualis seu immaterialis stricto sensu. Ergo anima formaliter sensitiva, cuiusmodi est anima bruti, est simplex, sed non per se subsistens et ideo neque spiritualis, neque immaterialis stricto sensu, quia solummodo est principium remotum operationis dependentis a materialibus conditionibus. Attamen est simpliciter omnibus formis substantialibus inferioribus, nempe mere vegetalium et non viventium, quia operationes sensitivae et facultates sensitivae, quae ab ipsa resultant, sunt in minimo materialitatis gradu.

Haec est ratio cur animae formaliter sensitivae et facultates sensitivae aliquando dicantur a s. Thoma spirituales seu immateriales lato sensu.

THESIS L.

1° Immutatio causata in facultate sensitiva ab obiecto sensibili non est secundum esse naturale, sed secundum esse intentionale, quod in casu nostro est spirituale lato sensu. Attamen 2° immutatio naturalis in organo sensorio non excluditur.

PRAENOTANDUM.

150. **Distingue immutationem naturalem ab immutatione intentionali sensibili seu spirituali late dicta.** *Naturalis immutatio* est ea per quam forma immutantis recipitur in immutato secundum esse naturale, idest secundum easdem dispositiones materiales, ita ut licet non sit eadem forma numerice, tamen sit eadem specifice; sic calor ignis recipitur in aqua calefacta. *Immutatio* autem *intentionalis*, seu *spiritualis late dicta*, est ea, per quam forma immutantis recipitur in immutato secundum esse intentionale sensibili seu spirituali (late dicto), ita ut forma non sit eadem neque numerice neque specifice sed tantum *repraesentative* secundum conditiones materiae individualis. Sic forma incendii recipitur in oculo vidente incendium, qui hac visione per se non comburitur neque calefit (1).

PROBATUR THESIS.

151. *Quoad 1um*. **Immutatio sensus est secundum esse intentionale, non secundum esse naturale.** Sensatio enim est operatio cognoscitiva, licet in infimo ordine (cfr. n. 149.). atqui ad operationem cognoscitivam, requiritur ut facultas sit in aliquo gradu immaterialitatis vel stricte vel saltem late dictae, cum agitur de cognitione alligata conditionibus materialibus (cfr. nn. 145. 146.). Sic enim fiet ut facultas habeat talem actualitatem, ut remanendo in sua forma, incipiat intentionaliter habere formam rei apprehensae. Porro si immutatio sensilis esset tantum secundum esse reale, seu secundum dispositiones materiales, operatio sensilis reduceretur ad maximum gradum materialitatis ac proinde esset simul et non esset operatio cognoscitiva, quod repugnat: videlicet novae dispositiones materiales inductae efficerent ut sentiens assimilaretur sensato non secundum formam intentionalem, sed tantum secundum formam materialem in maximo

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 78. a. 3.

materialitatis gradu, quae assimilatio esset corporis in quantum corporis, non sentientis in quantum sentientis. Ergo immutatio causata in facultate sensitiva non est secundum esse naturale, sed secundum esse intentionale.

Quoad 2um. **Immutatio naturalis in organo sensorio non excluditur.** Corpora enim sensibilia agunt vel immediate, vel mediante aere vel aethere vel aliquo alio medio materiali in organa sensoria exteriora per qualitates alterantes, et mediante hoc motu causato in organo determinant facultatem sensitivam informantem organum ad actum sensationis eliciendum, quo corpora exteriora percipiat sub ratione formali illius qualitatis determinatae alterantis per quam corpus sentitum agit in organum sentientis; sic movetur sensus visus ad videndum tintinnabulum, sensus auditus ad illud audiendum, sensus tactus ad illud tangendum etc.

Et sane nisi haberetur haec materialis immutatio organi ad suscipiendam qualitatem similem qualitati alteranti corporis exterioris, non posset facultas organica intentionaliter moveri ad hanc qualitatem percipiendam, quum determinatio facultatis fiat mediante organo. Organum autem in quantum corpus moveri debet motu stricte dicto a qualitate alterante sensibilis exterioris. Ergo in processus sensationis immutatio realis organi sensorii non excluditur.

COROLLARIA.

152. I. **Organum sensorium carere debet natura physica proprii sensibilis,** quae carentia est vel *totalis,* ut contingit in *organo visus*, vel quoad *eum gradum*, in quo qualitates alterantes inveniuntur in sensibili exteriori, ut contingit in *organo tactus.* Et sane si organum esset iam in actu earum qualitatum, non posset stricte moveri vel alterari secundum eas; sic quod iam est album non potest moveri ad albedinem. Quoniam igitur ut sensus sentiat impressionem exterioris agentis, requiritur immutatio organica, quae fit per motum stricte dictum, necesse est organum carere ea qualitate, quae constituit obiectum proprium sensus, cuius est organum. Circa varium modum huius carentiae pulcherrime loquitur S. Thomas (1): « Oportet, quod sicut « organum, quod debet sentire album et nigrum, neutrum ipsorum « habeat actu, sed utrumque in potentia, et eodem modo in aliis sen« sibus; sic etiam se habeat in sensu tactus; scilicet organum neque « sit calidum, neque frigidum actu, sed potentiâ utrumque. Aliter

(1) In II. De Anima Lect. 23.

« tam accidit hoc circa tantum, et circa alios sensus. Nam in visu « organum visus est in potentia ad album et nigrum, denudatum a « toto genere albi et nigri : est enim penitus carens colore. Sed organum « et medium tactus (quod medium est caro in sententia S. Thomae) « non potest denudari a toto generi calidi et frigidi, humidi et sicci, « componitur enim ex elementis, quorum hae sunt propriae qualitates. « Sed sic fit in potentia organum tactus ad sua obiecta, *in quantum « est medium inter contraria:* medium enim est in potentia ad extrema. « Et propter hoc, quanto animal habet complexionem magis reductam « ad medium, tanto habet meliorem tactum. Unde homo inter omnia « animalia est melioris tactus ».

Sic patet cur manus, quae naturalem calorem habet in gradu circiter decimoctavo centigradi, si corpora quaedam tangat, percipiat tamquam frigida ea quae inferiorem gradum caloris habent, quae autem superiorem gradum, percipiat tamquam tepida vel calida.

II. **Intellectus non debet carere natura spirituali ut spiritualia intelligat.** Nam ratio, cur sensus carere debeat natura qualitatum sensibilium, non procedit ex eo quod sit potentia cognoscitiva, sed ex eo quod sit *potentia organica.* Intellectus autem quum sit virtus inorganica, quo est actualior, nempe magis recedens a quacumque potentialitate, eo potest perfectius intentionaliter omnia repraesentare.

III. **Non est contradictio in eo quod sensatio sit simul simplex et organica.** Etenim quatenus est actus, est simplex, quatenus est actus non purus in ordine corporeo, subiectatur in organo ac proinde est organica; quatenus autem est operatio cognoscitiva, est simplicior omni operatione ordinis interioris sive vegetalium sive mineralium.

IV. **Facultates sensitivae radicantur in anima et subiectantur in composito corporeo.** Radicantur quidem in anima, quia sunt potentiae operativae quae se tenent ex parte formae substantialis, quae est principium quo remotum operationum (cfr. n. 84.). Subiectantur in composito, quia non sunt accidentia pure spiritualia. Et ideo destructo organo, quod est earum proprium subiectum, cessant formaliter esse. Remanent tamen radicaliter in anima, nisi haec ipsa cessaverit existere; et ideo ripristinato organo in composito vivente iterum resultaret in eo facultas sensitiva ipsi correspondens.

OBIECTIONES.

CONTRA THESES PRAECEDENTES.

153. **Obict. 1ª**. Potentia sensitiva est simplex et inextensa. Sed accidens inextensum non potest recipi in organo extenso. Ergo sensus non est facultas organica.

Resp. *Dist. mai.* Potentia sensitiva non est extensa *per se*, *Conc.*, non est extensa per accidens, *Subdist.* Ita ut non possit informare subiectum extensum, *Nego*, ita ut non possit dividi ad divisionem subiecti, *Conc. Contrad. min. Nego cons.* Nulla forma materialis est extensa per se, quum sit simplex, licet non ea simplicitate quae perfectionem importat, quae videlicet requirit ut res simplex sit per se subsistens in sua simplicitate. Attamen est extensa per accidens nempe ratione compositi extensi, et communicat vel non communicat in totalitate quantitativa, quae divisibilitatem importat in parte eiusdem rationis, prout est inferioris vel superioris perfectionis. Formae enim viventium perfectorum nullo modo sunt divisibiles, idest neque *per se* neque *per accidens*, quia primarium ordinem dicunt ad totum, secundarium autem ad partes; (cfr. n. 55. β.) et ideo non communicat in totalitate quantitativa.

Nota. *De animalibus quae decisa vivunt.*

Ex data solutione intelliges cur quaedam animalia imperfectiora si dividantur in plures partes, singulas partes vivant ut totidem animalia eiusdem speciei. Etenim haec animalia ob suam imperfectionem habent organismum valde simplex ita ut in qualibet parte sit aequaliter aptus ad talem formam. Quare per decisionem partes dissectae remanent aptae ad formam specifice eamdem licet numerice diversam. Quum autem materia statim ac est ultimo disposita ad aliquam formam, actuatur ab ea; necesse est ut in parte dissecta nova forma eiusdem speciei resultet. Hoc sensu forma animalis huiusmodi dicitur unica actu et multiplex potentiâ, diciturque *divisibilis per accidens* divisione quantitativa.

Obiect. 2ª. Si sensus esset facultas organica, sensatio procederet a duabus causis partialibus, nempe ab anima et a corpore. Atqui hoc est impossibile. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Sensatio procederet a duabus causis partialibus completis in suo esse, *Nego*, incompletis, quarum nempe una se habet ut potentia, alia ut actus per unicum esse actuata, *Conc. Contrad. min. Nego conseq.*

Obiect. 3ª. Sensus dicitur ab Aristotele susceptivus specierum sine

materia. Atqui si recipit species immaterialiter non pendet ab organo. Ergo est facultas inorganica.

Resp. *Dist. mai.* Sensus dicitur ab Aristotele suscipere species sine materia et sine dispositionibus materialibus, idest secundum esse intentionale et superexcedens modum essendi formae materialis in maximo et in medio materialitatis gradu, *Conc.*, dicitur recipere species immaterialiter stricto sensu, idest sine conditionibus individualibus materiae, *Nego. Contrad. min. Nego cons.* Solutio patet ex superius demonstratis.

Obiect. 4ª. Formae naturales recipiuntur in patiente sine materia agentis, quin dicantur recipi immaterialiter ex. gr. calor in aqua calefacta per ignem. Atqui species sensibiles dicuntur recipi immaterialiter. Ergo recipiuntur sine conditionibus materialibus. Ergo sensus est facultas inorganica.

Resp. *Dist. mai.* Formae naturales recipiuntur in patiente sine eadem *numerice* materia agentis, *Conc.*, sine eodem essendi modo i. e. *sine similibus materialibus dispositionibus* in materia patientis, *Nego.* Sunt enim hae formae in patiente *secundum esse reale. Dist. min.* Species sensibiles dicuntur recipi immaterialiter, quia recipiuntur *absque materialibus dispositionibus* in sensu, idest non secundum esse reale sed secundum esse intentionale, *Conc.*, dicuntur recipi immaterialiter quia recipiuntur *sine conditionibus materiae individualis*, *Nego. Nego utrumque conseq.* Ex obiectione sequitur tantum id, quod superius propugnavimus, nempe facultatem sensitivam esse in minimo materialitatis gradu, secus non posset intentionaliter assimilari obiecto suae cognitionis. Ad id autem requiritur et sufficit ut sensus sit immaterialis immaterialitate improprie dicta. Formae autem naturales, ex. gr. calor in aqua, recipiuntur non solum secundum *conditiones materiales,* nempe secundum determinatam extensionem, figuram et similia, sed etiam secundum *dispositiones materiales,* nempe secundum eumdem modum essendi, qui importat omnes coarctationes materiales, quae sunt propriae maximi gradus materialitatis. Unde nullo modo dici possunt recipi immaterialiter (1). Recole dicta in Thesi 50.

Obiect. 5ª. Facultas quae non potest pati passione proprie dicta est facultas inorganica. Atqui facultas sensitiva non potest pati passione proprie dicta: etenim est susceptiva contrariorum. Ergo facultas sensitiva est inorganica.

Resp. *Dist. mai.* Facultas quae nequit pati passione proprie dicta neque *per se* neque *per accidens, Conc.*, quae licet non *per se*, tamen

---

(1) Cfr. S. Th. de Anima lect. 24.

per accidens pati potest passione proprie dicta, *Nego. Contrad. min.* Facultas sensitiva non potest pati *per se* passione proprie dicta, *Conc.*, *per accidens, Nego. Dist. rationem additam.* Facultas sensitiva est susceptiva contrariorum sub conditionibus materiae individualis, *Conc.*, abstracta a conditionibus materiae individualis, *Nego. Nego conseq.* Ea facultas neque *per se* neque *per accidens* corrumpitur, quae suscipit formas contrariorum abstractas a conditionibus materiae individualis. Etenim in hac passione non indiget organo ut comprincipio, neque impressionem ab agente corporeo recipit. Talis facultas est intellectus possibilis, seu receptivus specierum stricte immaterialium quae in eum causantur ab intellectu agente. Facultas autem quae ad *passionem improprie dictam* suscipiendam indiget organo ut comprincipio, quamvis *per se* non possit pati *passione proprie dicta*, tamen *per accidens* tali passione pati potest ratione sui comprincipii, nempe organi quod informat. Hoc enim, quum sit corpus, pati *per se* potest *passione proprie dicta* et consequenter potest corrumpi *per se* propter excellentiam obiecti sensibilis, ex. gr. oculus propter excessum lucis. Quando autem compositum corporeum patitur et corrumpitur *per se,* forma quae ipsum ita informat ut non habeat esse independens ab ipso, patitur per accidens passione proprie dicta et per accidens corrumpitur. Passionem improprie dictam importare tantummodo transitum de potentia in actum mere perfectivum idest absque ullius formae amissione declarat S. Thomas (1).

Obiect. 6ª. Immutatio causata in facultate sententiae ab obiecto sensibili dicitur spiritualis. Sed immutatio spiritualis neque per accidens potest corrumpere id quod immutat. Ergo sensus est prorsus impassibilis, et ideo est inorganicus.

Resp. *Dist. mai.* Immutatio causata in facultate sentiente ab obiecto sensibili est spiritualis stricto sensu, *Nego,* lato sensu ita ut importet simul in organo physicam immutationem, *Conc. Contrad. min.* Immutatio stricto sensu spiritualis, *Conc.*, immutatio lato sensu spiritualis, *Nego. Nego cons.* Solutio patet ex supradictis de duplici immutatione altera naturali seu physica, altera intentionali. Ad sensationem utraque

---

(1) 1. p. q. 79. a. 2. « Respondeo dicendum quod pati tripliciter dicitur. Uno modo « propriissime, scilicet quando aliquid removetur ab eo quod convenit sibi secundum « naturam, aut secundum propriam inclinationem; sicut cum aqua frigiditatem amittit « per calefactionem, et cum homo aegrotat, aut tristatur. Secundo modo minus proprie « dicitur aliquis pati ex eo quod aliquid ab ipso abiicitur, sive sit ei conveniens, sive « non conveniens: et secundum hoc dicitur pati non solum qui aegrotat, sed etiam « qui sanatur; et non solum qui tristatur, sed etiam qui laetatur: vel quocumque modo « aliquis alteretur, vel moveatur. Tertio dicitur aliquis pati communiter ex hoc solo « quod id quod est in potentia ad aliquid, recipit illud ad quod erat in potentia, absque « hoc quod aliquid abiiciatur; secundum quem modum omne quod exit de potentia in « actum potest dici pati, etiam cum perficitur. Et sic intelligere nostrum est pati ».

requiritur et prima est ratio secundae. Sic propter primam seu physicam manus fit calida per actionem calefacientis, propter secundam idest per immutationem intentionalem seu spiritualem manus sentit calorem. Utraque immutatio exigit facultatem organicam, quia conditionibus materialibus alligantur et ab agente corporeo causantur. Idcirco S. Thomas (in II. De Anima Lect. 24) cum Aristotele concludit, ostendendo ad hoc ut aliquod corpus sentiat, non sufficere ut patiatur naturaliter ita ut evadat naturaliter simile agenti secundum talem formam, puta odorum vel calidum, sed insuper requiri ut informetur facultate sensitiva, vi cuius percipiat hanc qualitatem. « Solvit Ari« stoteles) rationem supra positam, dicens, quod si aliquid patitur ab « odore, quod non odorat, quid est odorare, nisi pati aliquid ab odore? « Et respondet quod odorare est sic aliquid pati ab odore, quod, sen« tiat odorem. Aer autem non sic patitur ut sentiat, quia non habet « potentiam sensitivam; sed sic patitur ut sit sensibilis (active), in « quantum scilicet est medium in sensu ».

Obiect. 7ª. Sensus remanent in anima humana separata. Sed si essent potentiae organicae, non remanerent in anima separata. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Remanent *formaliter*, *Nego*, *radicaliter*, *Conc. Contradist. sequel. minoris. Nego cons.* (cfr. n. 152. IV.).

Obiect. 8ª. Si sensatio esset organica, non haberetur identitas sentientis quoad diversas sensationes, immo quoad ipsam perceptionem alicuius compositi. Nam in extenso partes sunt distinctae. Iamvero ubi partes sunt distinctae actio unius extranea est actioni alterius. Ergo sensus est inorganicus.

Resp. *Nego sequelam asserti.* Ad rationem additam. *Dist. mai.* Sunt ita distinctae ut sint continuae et actuatae per idem esse totius, *Conc.*, sunt ita distinctae ut sint actu divisae in totidem supposita operantia, *Nego. Contrad. min. et nego conseq.* Profecto si corpus organicum sentientis esset aggregatum atomorum habentium propriam essentiam et existentiam, inconcepibilis esset identitas sentientis non solum quoad diversas sensationes, sed ne quidem quoad unicam sensationem. Sensus autem in falsa hac hypothesi esset facultas stricto sensu immaterialis; anima sensitiva esset per se subsistens et immortalis, nec iungeretur corpori ut forma sed ut motor. Quinimmo sensus confunderetur cum intellectu et everteretur essentiale discrimen bruta inter et homines. Quae omnes sequelae ex vitiata radice procedunt negatae unitatis essendi inter corpus et animam, videlicet ex male relicta doctrina Aristotelis et Sancti Thomae de primis principiis intrinsecis entis corporei. Adeo vera est sententia: *errorem parvum in principio magnum esse in fine.*

Obiect. 9ª. Omnes philosophi ex sensatione arguunt simplicitatem animae. Atqui id fieri non posset si sensatio esset organica. Ergo sensatio et sensus sunt inorganica.

Resp. *Dist. mai.* Arguunt ex sensatione simplicitatem quae importat perfectionem, nempe eam quae est propria actus seu formae per se subsistentis, *Nego*, simplicitatem, quae est propria formae materialis in minimo materialitatis gradu, *Conc. Contrad. min. Nego conseq.* Solutio patet ex superius dictis in Thesi 49.

Obiect. 10ª. Sicut se habet intellectus ad intelligibilia, ita se habet sensus ad sensibilia. Atqui intellectus intelligit sine organo. Ergo etiam sensus sentit sine organo.

Resp. *Dist. mai.* Quatenus tum intellectus noster tum sensus se habent in potentia ad proprium obiectum, *Conc.*, quatenus tum intellectus tum sensus absque organo, ceu comprincipio eliciant suam operationem, *Nego. Conc. min. Nego cons.* Hanc difficultatem ita solvit S. Doctor (1): « Sensitivum quodammodo se habet ad sensibilia sicut « intellectivum ad intelligibilia, in quantum scilicet utrumque est in « potentia ad sua obiecta. Sed quodammodo dissimiliter se habet in « quantum sensitivum patitur a sensibili cum corporis immutatione. « Unde excellentia sensibilium corrumpit sensum, quod in intellectu « non contingit. Nam intellectus intelligens maxima intelligibilium, « magis potest postmodum intelligere minora ».

Obiect. 11ª. In operibus brutorum animalium apparent quaedam sagacitates, quae supponunt in eis ratiocinium: ex. gr. « Canis inse- « quens cervum, si ad trivium venerit, odoratu quidem explorat an « cervus per primam vel secundam viam transiverit; quod si invenerit « non transisse, iam securus per tertiam viam incedit non explorando, « quasi utens syllogismo divisivo, quo concludi possit cervum per istam « viam incedere, ex quo non incedit per alias duas, cum non sint « plures » (2). Atqui ratiocinium est operatio facultatis stricto sensu immaterialis. Ergo anima sensitiva est stricto sensu immaterialis.

Resp. *Dist. mai.* Supponunt in eis ratiocinium *materialiter* et *executive, Conc.*, *formaliter* et *directive*, *Nego. Contrad. min.* Ratiocinium *formale* et *directivum*, *Conc.*, *materiale* et *executivum*, *Nego.* Hoc enim est in auctore naturae tribuente brutis inclinationem naturalem ad quosdam ordinatissimos processus, necessarios fini ad quem ea ordinavit. Simili difficultati ita occurrit S. Thomas (l. c.). « Ad tertium « dicendum, quod, sicut dicitur in III. *Physic.* text. 16. et seq., *motus*

---

(1) 1. p. q. 75. a. 3. ad 3.
(2) S. Th. 1. 2. q. 13. a. 2.

« *est actus mobilis a movente;* et ideo virtus moventis apparet in motu « mobilis; et propter hoc in omnibus quae moventur a ratione apparet « ordo rationis moventis, licet ipsa quae a ratione moventur, rationem « non habeant; sic enim sagitta directe tendit ad signum ex motione « sagittantis, ac si ipsa rationem haberet dirigentem: et idem apparet in « motibus horologiorum et omnium ingeniorum humanorum quae arte « fiunt. Sicut autem comparantur artificialia ad artem humanam, ita « comparantur omnia naturalia ad artem divinam. Et ideo ordo apparet « in his quae moventur secundum naturam; sicut et in his quae mo- « ventur per rationem, ut dicitur in II. *Physic.*, text. 49. Et ex hoc « contingit quod in operibus brutorum animalium apparent quaedam « sagacitates, inquantum habent inclinationem naturalem ad quosdam « ordinatissimos processus, utpote a summa arte ordinatos. Et propter « hoc etiam quaedam animalia dicuntur prudentia vel sagacia, non « quod in eis sit aliqua ratio, vel electio; quod ex hoc apparet, quod « omnia quae sunt unius naturae, similiter operantur. »

Quod si quaeras quomodo novimus haec animalia carere ratione, respondemus id nos legitime inferre non solum ex eo quod singula individua eiusdem speciei semper eodem modo ac nulla praevia disciplina talia operantur; sed etiam quia idem individuum quod praecellens omnino ingenium sortiri debuisset ad quaedam ordinatissima perficienda, quae caetera individua suae speciei eadem arte ac nulla praevia disciplina ab ipsa nativitate perficiunt, in caeteris facillimis, obviis atque repetitis vicibus ei contingentibus nullam prorsus sagacitatem aut disciplinabilitatem ostendit. Pulchra hac super re exempla refert *cl. P. Franciscus Salis-Seewis S. I.* in suo erudito Opere « *Gli istinti degli animali.* » Cap. 6. 7. 8.

Obiect. 12ª. Sensus respiciunt obiectum formale universale; sic visus respicit colorem, auditus sonum etc. Atqui potentia respiciens obiectum universale est stricto sensu immaterialis. Ergo sensus est facultas stricte immaterialis.

Resp. *Dist. mai.* Respiciunt obiectum universale ita ut percipiant ipsam rationem universalitatis sui obiecti, *Nego*, ita ut percipiant tantum singulare alligatum conditionibus materialibus, *Conc. Contrad. min. Nego cons.* Dicere ordinem activi vel passivi ad aliquid, quatenus hoc habet aliquam qualitatem communem pluribus, nullam importat immaterialitatem. Haec enim requiritur tantum ad apprehendendam ipsam rationem universalitatis, abstrahendo a singularibus. Si obiectio quidquam valeret, deberemus tribuere immaterialitatem ipsi materiae, quia dicit ordinem ad formas non solum numerice sed etiam specifice diversas successive suscipiendas, quod esset pugnantia dicere.

THESIS LI.

Ad sensationem requiritur species cognoscitiva determinans potentiam ad eliciendum actum cognitionis de aliquo obiecto.

PROBATUR.

154. I. Sensatio est actus cognoscitivus. Atqui demonstravimus in Thesi 47. ad omnem actum cognitionis eliciendum requiri speciem seu similitudinem intentionalem, quae determinet facultatem ad actum cognitionis circa determinatum obiectum. Ergo etiam ad sensationem requiritur species cognoscitiva.

II. Sensatio non perficitur nisi mediante immutatione causata in organo a qualitatibus activis corporum exteriorum; hac autem immutatione peracta sensus percipit praesentiam corporum exteriorum sub qualitate sensili respondente eius formali obiecto (1). Ergo actio corporis exterioris determinavit sensationem. Porro unumquodque agens producit effectum similem formae secundum quam agit. Ergo actio corporum exteriorum determinavit sensum ad eliciendum actum sensationis circa ipsum *per similitudinem sui* proportionatam facultati organicae. Quae similitudo est ea quam vocamus *speciem sensilem*.

III. Idipsum confirmatur ex S. Thoma, qui (2) ait: « Sicut res habet « esse per propriam formam, ita virtus cognoscitiva habet cognoscere « per similitudinem rei cognitae ». Et (3) « Sicut calor est principium « formale calefactionis in igne, ita species rei visae est principium for- « male visionis in oculo ».

155. **Quaeres.** Utrum ad sensationem praeter *speciem impressam* requiratur etiam *species expressa?*

Resp. cum S. Thoma (4): « Dicendum quod cognitio sensus exte- « rioris perficitur per solam immutationem sensus a sensibili: unde « per formam quae sibi a sensibili imprimitur (idest *per speciem im-* « *pressam*), sentit: non autem ipse sensus exterior format sibi aliquam « formam sensibilem (idest *speciem expressam*); hoc autem facit vis « imaginativa, cuius formae quodammodo simile est verbum intelle- « ctus ». Ratio autem est quia, ut videbimus inferius agentes de verbo inellectivo, *species expressa* non requiritur ad omnem cognitionem,

(1) Cfr. 1. p. q. 78. a. 3.
(2) 1. p. q. 17. a. 3.
(3) 1. p. q. 56. a. 1.
(4) Quodlib. 5. art. 9. ad 2.

sed tantum ad cognitionem quae debet sibi efformare terminum in quo cognoscat aliquid, ita ut hoc in specie expressa quasi in imagine ipsum non excedente cognoscatur etiam in sua absentia. Porro sensus exteriores quum accipiant determinationem a suo obiecto sensibili ita ut cum ipso continuentur ut passivum cum suo activo, sive immediate ut contingit in sensu tactus, sive mediante aethere vel aere ut contingit in visu et auditu, non habet locum species expressa tamquam imago vicaria in qua et qua mediante sensibilia exteriora percipiantur. Hinc fit ut sensus exteriores moveantur tantum ad praesentiam sui obiecti, qua cessante, cessat sensatio.

OBIECTIONES.

156. **Obiect. 1ª.** Corpus non potest imprimere quidquam in animam. Atqui ad causandam speciem sensibilem in sensu, corpus deberet agere in animam. Ergo vel non datur species sensibilis, vel certe haec non causatur a corpore exteriori.

Resp. *Dist. mai.* Corpus non potest imprimere quidquam in animam separatam a materia, *Conc.*, in animam informantem materiam, idest in compositum sensitivum, *Nego. Contrad. min. Nego cons.*

Obiect. 2ª. Si sensus cognosceret sensibilia, mediante specie sensibili, non apprehenderet immediate rem sed eius similitudinem. Atqui sensus immediate cognoscit rem sensibilem. Ergo in sensu non datur species sensibilis.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Si species esset *id quod* apprehenditur, nempe si esset *signum obiectivum, Trans.* si est id *quo* rex exterior apprehenditur, nempe signum *formale, Nego. Contrad. min. Nego cons.* (1).

Obiet. 3ª. Si in sensibus causaretur a rebus species sensibilis, haec esset praesens facultati cognoscitivae. Sed id quod est praesens facultati cognoscitivae est eius obiectum. Ergo si daretur species sensibilis, sensus non cognosceret res, sed earum species.

Resp. *Dist. mai.* Esset praesens *formaliter* i. e. ut *forma* faciens unum cum potentia cognoscitiva, ut ex eis resultet principium adaequatum cognitionis *in actu primo, Conc.*, esset praesens *obiective*, i. e. ut terminus obiectivus cognitionis, *Nego. Contrad. min.* Quod est praesens *obiective*, *Trans.,* quod est praesens formaliter, *Nego. Nego cons.* Per speciem sensilem sensus fit *in actu primo* i. e. proxime et adaequate potens elicere actum cognitionis circa rem, cuius haec species est repraesentativa ; ita enim sensus est potentia passiva, ut sit imma-

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 85.

nenter operativus. Quatenus igitur est *potentia passiva*, determinatur sensus a specie sensili, quatenus est *potentia operativa*, statim ac determinatur, elicit operationem cognoscitivam rei cuius similitudo refertur a specie impressa (1).

Obiect. 4ª. Simile simili cognoscitur. Sed sensus per speciem aliqualiter immaterialem nequit fieri similis rebus maxime materialibus. Ergo per species sensibiles non potest cognoscere corpora.

Resp. *Dist. mai.* Simile simili cognoscitur per similitudinem secundum esse intentionale, *Conc.*, secundum esse reale, *Nego. Contrad. min. Nego cons.*

---

(1) Cfr. S. Th. in III. de Anima lect. 12.

QUAESTIO XIX.

DE OBIECTO SENSUUM EXTERNORUM

THESIS LII.

Obiectum quod percipitur a sensibus externis *a)* sunt sensibilia exteriora, videlicet corpora sensibilia existentia; ita tamen ut *b)* id quod per se percipitur a sensibus sint ea accidentia sensibilia, quae movent sensus, id autem *c)* quod ab eis per accidens percipitur sit ipsa substantia corporea, quae horum accidentium est subiectum.

PRAENOTIONES.

157. Illud dicitur *per se* et *primario* apprehendi a facultate sensitiva, quod est eius proprium determinativum seu immutativum. Illud dicitur *per se* et *secundario* apprehendi, quod ita coniungitur cum proprio immutativo sensus, ut concurrat ad sensus immutationem, causando in immutatione aliquam diversitatem ex. gr. ut habeat maiorem vel minorem intensitatem, extensionem aut aliquid simile. Illud autem dicitur *apprehendi* tantum *per accidens* quod ita coniungitur cum proprio determinativo sensus, ut nullo modo concurrat proxime ad sensus immutationem, sed quum sit subiectum accidentium, quorum virtute immutatur sensus, eius praesentia sensibus innotescit. Subiectum enim est id *quod* per suas qualitates sensibiles immutat sensum.

Haec triplex divisio fere respondet divisioni *sensibilis per se*, quod subdividitur in *proprium* et *commune*, et sensibilis *per accidens;* de qua divisione loquuti sumus in Logica Maiori n. 238., qui locus est omnino conferendus.

PROBATUR THESIS.

158. *Quoad. 1um*. Id quod percipitur a sensu exteriori est *hoc quale quantum.* Atqui huiusmodi est corpus sensibile existens. Ergo id quod percipitur a sensibus externis sunt corpora sensibilia exteriora.

Quoad 2um. Ad hoc ut sensus exterior percipiat aliquod corpus sensibile existens, non sufficit quaelibet huius praesentia, sed requiritur ut corpus per suas qualitates activas sensui proportionatas, hunc mo-

vendo determinet ad eliciendum actum determinatae sensationis. Sic idem corpus exterius ex. gr. tuba, quatenus colorata in actu movet sensum visus ad eius praesentiam percipiendam in ratione huius colorati extensi, quatenus dura vel frigida movet sensum tactus ad eius praesentiam percipiendam in ratione huius duri vel frigidi extensi, quatenus actu sonans movet sensum auditus ad eius praesentiam percipiendum in ratione huius sonantis. Iamvero qualitates activae secundum quas movens movet mobile, sunt eae secundum quas agens suam similitudinem causat in patiente, quum unumquodque agat secundum quod est actu per suam formam. Ergo hae qualitates activae nequeunt aliam similitudinem seu speciem imprimere in facultate sensitiva quam suam. Porro illud *per se* apprehenditur a facultate cognoscitiva quod est eius determinativum. Ergo id quod *per se* percipitur a sensibus exterioribus sunt accidentia sensibilia quae eos movent. Idcirco ait S. Thomas (l. c.). « Exterius immutativum est quod *per se* a sensu « percipitur, et secundum eius diversitatem sensitivae potentiae distin« guuntur ».

Quoad 3um. a) Illud *per accidens* percipitur a sensu quod naturaliter connectitur cum eo, quod percipitur *per se*, utpote subiectum eius. Atqui substantia corporea naturaliter connectitur cum suis accidentibus propriis, cuiusmodi sunt quantitas et qualitates activae. Ergo substantia corporea a sensibus percipitur *per accidens. b)* Insuper illud percipitur *per accidens* a sensu, quod est *principium quo remotum* immutationis causatae in facultate sensitiva. Atqui substantia corporea ratione formae substantialis est principium quo remotum immutationis causatae per suas qualitates activas in facultate sensitiva. Ergo substantia corporea percipitur *per accidens* a sensibus externis.

159. **Scholion.** *De nexu inter obiectum sensus et intellectus in homine.* Naturalis connexio inter substantiam et eius proprietates est ratio cur intellectus noster, cuius cognitio ortum ducit a sensibus, abstrahere possit a phantasmate rei singularis speciem repraesentativam quidditatis eius. Quum autem haec quidditas apprehendatur a sensibus *per accidens*, nempe ratione suarum qualitatum activarum quae *per se* a sensibus apprehenduntur, necesse est ut conceptus intellectivus distinctus substantiarum materialium determinetur per qualitates sensibiles in phantasmatibus relucentes et virtute intellectus agentis abstractas a conditionibus individualibus, ut ita immaterialiter in intellectum possibilem imprimantur. Sic quidditas auri distincte cognoscitur ab intellectu nostro, quum concipitur tamquam substantiae, quae habet proprietates talis coloris, ponderis, ductibilitatis etc., ita ut per haec distinguatur a quidditate ferri vel argenti.

THESIS LIII.

Error ponentium facultatem sensitivam primo et directe percipere affectionem seu modificationem sensus, caeterique errores cum eo connexi refutantur.

PRAENOTIONES.

160. Quum omnis nostra cognitio a sensibus exterioribus ortum ducat; qui circa eorum obiectum erraverint, circa caeteras etiam philosophiae quaestiones errare necesse est. Id contingit modernae pseudophilosophiae instauratoribus, qui a Cartesio usque ad Kantium, Fichtium, caeterosque modernos rationalistas autumantes nostrarum sensationum obiectum primum et directum non esse corpora exteriora sed nostras affectiones vel ideas, eo devenerunt ut non solum de realitate entium subiecto cogitanti extrinsecorum, sed etiam de ipsius subiecti cogitantis deque ipsius cogitationis reali existentia dubitaverint, ita ut eam cum Fichtio Kantii discipulo inter somnia amandaverint. Praeclari huius moderni rationalismi doctoris verba (ex eius opere *Destinatio hominis,* quod ex germanica lingua in gallicam vertit D. Barchou de Penhoën) legisse iuvabit: « Nulla prorsus est res; ego « ipse non sum... Circa me realitas conversa est in inconditum somnium, « quin vita ulla realis ad somniandum detur, aut spiritus qui somniet, « aut somnium in quo somnium ipsum somniemus. Et sane eiusmodi « somnium esset *cogitatio.* Sed cogitatio, cogitatio ipsa! quam ego ut « meam nobilissimam proprietatem considerabam, et tamquam scopum « vitae meae, in quo fontem reperirem totius realitatis; cogitatio quo« que, huius somnii est somnium ». Et ita effectum est ut dum modernae scientiae instauratores superbe et inepte iactaverint rationem humanam sibi ipsi sufficere ad omnem veritatem demonstratione assequendam; eo devenerint ut de propriae existentiae et cogitationis realitate dubitaverint et inter somnia amandaverint.

Refutatio singulorum errorum.

161. I. **Cartesius.** Radix huius moderni scepticismi est in confundendo principio formali operationis perceptivae cum termino et obiecto perceptionis. Hanc confusionem, quae nos non sineret a mero subiectivismo egredi, invexit Cartesius, quum docuit obiectum primum et directum nostrarum sensationum non esse corpora exteriora, sed esse modificationes seu affectiones *animae nostrae* quas ideas sensibiles vocavit. Ex quo canone sequitur existentiam corporum non solum

externorum sed etiam corporis ipsius hominis cogitantis esse demonstrandam. Anima enim iuxta Cartesium est quae sentit, non compositum organicum.

Facilis hinc est via ad scepticismum Fichtianum. Si enim ad trutinam sententiam Cartesii revocabimus, eum vel falsitatis vel scepticismi facili negotio arguemus. Quaerimus enim ab eo: Haec animi affectio est ne cognitio sensilis alicuius obiecti vel non? Si respondeat affirmative, (ut necessario respondere debet, quia cognitio sensilis absque obiecto sensibili cognito repugnat in terminis), suo ipse ore fatetur obiectum sensibile esse primo et directe cognitum, ita ut nequeat affectionis animae cognitio praecedere eius cognitionem. Quapropter falsus est Cartesius quum asseruit affectionem animi esse id quod primo et directe a sensu percipitur.

Quod si negaverit eam esse cognitionem alicuius obiecti, tunc erit *non cognitio,* quia cognitio nullius obiecti non est cognitio.

Insuper, etsi daremus Cartesio, primum cognitum a sensu esse animi affectionem, nunquam possibile esset iuxta eius principia ad cognitionem existentiae corporum pervenire. Etenim ratio ob quam Cartesius statuit primum et directe cognitum a sensu esse animi affectionem, fuit immanentia operationis cognoscitivae, quae utpote necessario interior non potest ad exteriora se extendere. Confundit quippe modernae instaurator philosophiae immanentiam operationis cognoscitivae et principii formalis eiusdem cum intraneitate obiecti ad quod ultimatim terminatur cognitio. Iamvero in hac hypothesi Cartesiana impossibile esset etiam post infinitas animi affectiones cognitas pervenire ad cognitionem existentiae corporum. Nam si prima cognitio sensilis nequivit terminari ad obiectum exterius eo quod erat operatio immanens; neque secunda, neque tertia, neque ulla alia poterit, quum omnes sint essentialiter operationes immanentes.

II. **Lockius et recentiores Cartesiani.** Cartesii errori affinis et ad eumdem scepticismum ducens fuit opinatio Lockii et recentiorum Cartesianorum, qui qualitates sensibiles, quas hominum genus semper existimavit et existimat esse aliquas realitates existentes in corporibus, diviserunt *in primarias et secundarias. Primariae* essent eae, quas nos cum S. Thoma et Aristotele vocavimus *sensibilia communia*, nempe extensio, figura, soliditas, translatio localis et similia. *Secundariae* autem essent eae, quas nos vocavimus *sensibilia propria*, nempe color, sonus, sapor, odor, calor. Inter utramque classem hoc interesse autumant, qualitates primarias esse revera in rebus, qualitates autem secundarias minime, sed esse meras modificationes principii sentientis, quibus nihil respondet a parte rei.

Iamvero haec etiam sententia falsa est. Etenim

a) Inter accidentia corporea, ea quae *per se* et *primario* agunt in sensum, et quibus mediantibus percipiuntur caetera accidentia sensibilia, non solum esse debent in corpore exteriori, quia unumquodque agit secundum quod est actu per propriam formam seu perfectionem; sed etiam recenseri debent tamquam *primario sensibilia*, quia eorum vi caetera accidentia corporea et ipsum corpus percipiuntur. Iamvero huiusmodi accidentia sunt eae qualitates, quas adversarii iniuria vocant *secundarias*, nempe colores, soni, qualitates odorabiles et gustabiles, caliditas, durities et caeterae qualitates tangibiles, ut constat ex demonstratis in Thesibus 35. et 52. et confirmatur uniuscuiusque et totius generis humani experientia. Ergo falluntur adversarii non solum quum ita dividunt qualitates sensibiles ut secundarias nominent eas quae sunt primario sensibiles, primarias vero eas quae sunt secundario sensibiles; sed multo magis quum qualitates primario sensibiles aiunt esse meras modificationes sentientis.

b) Quum nos qualitates, quas adversarii vocant *primarias*, nempe *sensibilia communia* non valeamus cognoscere nisi per cognitionem earum qualitatum, quas adversarii vocant *secundarias,* quaeque revera sunt *sensibilia propria* (ut in Thesi 52. demonstravimus et experientia constat; nam non videmus superficiem nisi mediante colore, neque agitationem oceani nisi mediante colore vel sono etc.); si sensibilia propria non essent in rebus exterioribus, nulla via nobis suppeteret cognoscendi utrum sensibilia communia, et ipsa sensibilia per accidens nempe ipsae substantiae corporeae essent aliquid realiter existens a parte rei. Etenim apprehendendo sensibilia propria, apprehendimus sensibilia communia et sensibilia per accidens tamquam eorum determinationes, mensuras, vel subiecta. Si igitur ipsa sensibilia propria (quae vocantur ab adversariis qualitates secundariae) sunt merae modificationes nostrorum sensuum, quomodo eorum determinationes vel subiecta esse poterunt aliquid realiter existens a parte rei? Ergo in sententia adversorium necesse est ut intellectus noster, qui materiam suae cognitionis accipit a sensu, de omnium entium obiectiva realitate dubitet.

III. **Condillachius** prius partialiter, dein totaliter in subiectivismum et scepticismum incidit. Prius enim existimavit omnes qualitates sensibiles praeter tactiles esse meras affectiones subiecti sentientis quibus nil responderet in rebus exterioribus. Quum enim solus tactus resistentiam quamdam ab extrinseco provenientem experiatur, aestimavit posse tactum certiores nos reddere de existentia rei exterioris resistentis. Attamen, quum deinceps haec resistentiae sensatio visa ei

fuerit aliquid mere subiectivum, censuit nos ne quidem per tactum posse certiores fieri existentiae alicuius corporis. Nec mirum, siquidem confusionismo cartesiano imbutus discernere nescivit princi pi um formale intrinsecum sensationis ab obiecto extrinseco efficienter sensum determinante.

IV. **Humius** fassus est pugnam esse naturae cum philosophia eo quod natura nos suadeat esse a parte rei qualitates sensibiles; philosophia demonstret oppositum. Ipse autem, posthabita natura, pseudophilosophiae deliramenta amplexus, negavit non posse per sensus certificari de corporum existentia.

V. **Reidius,** ut Humii scepticismum vitaret, asseruit sensationes coniungi quidem cum exterioribus obiectis, sed non connecti cum eis tamquam cum causa efficiente determinationem in facultate organica. Quaerenti igitur quomodo certificari possum de exteriorum obiectorum realitate, si meae sensationes nullam cum eis connexionem habeant; respondebat certificari posse *per inspirationem*, quae est fundamentum et radix omnium cognitionum nostrarum.

VI. **Kantius** tandem statuit unumquemque nostrum non posse certitudinem habere nisi propriarum affectionum et exclusit processum philosophicum, quo Cartesius aestimabat se posse devenire ad certitudinem de existentia rerum, quae sunt extra nos. Quapropter docuit corpora nihil aliud esse quam collectiones nostrarum sensationum; principium autem cogitans seu τό *ego* non esse aliud quam *phaenomenon quoddam* efformatum auxilio duodecim pseudocategoriarum, quas ipse invexit et in quibus elementa subiectiva cum obiectivis, intellectum cum sensu, rationes abstractas cum concretis et plura alia confundit (1). Has autem pseudocategorias efformavit vi principiorum mere subiectivorum Leibnitii, vi causalitatis absque realitate obiectiva ab Humio affirmatae, et vi iudiciorum a priori seu inspirationis Reidianae. Quibus praeclaris categoriis ita efformatis intellectus noster virtutem haberet sibi constituendi obiecta exprimentalia, naturam sensibilem, mundumque universum, quin tamen ius haberet egrediendi extra se.

Quae Kantiana theoria monstro similis peperit insaniam Fichtii atque modernum nihilismum, qui in ordine morali nostris diebus humanam societatem sus deque vertit atque ad barbariem et ad impietatem impellit.

---

(1) Cfr. *Liberatore,* Metaph. spec. Parte secunda cap. 1. art. 3. nn. 185. et 190.

REFUTATIONIS CONCLUSIO

In qua innuitur doctrina de sensibili in actu et potentia deque sensu in actu et potentia.

162. Kantii caeterorumque refutati errores, iamdiu ab Aristotele et a S. Thoma in quibusdam veteribus deprehensi et refutati fuerant, simulque detecta radix confusionis, quae eos ad errandum impulit, videlicet ignoratio habitudinis inter actionem et passionem, et inter earum principium atque subiectum (cfr. n. 75.) Quapropter non distinguentes inter *sensibile in actu* (i. e. quatenus actu causat sensationem in sensu) et inter *sensibile in potentia* (i. e. quatenus est aptum movere sensum, sed eum non movet, puta quum lumen refulget, nemine illud aspiciente); neque distinguentes inter *sensum in actu* (i. e. quatenus actu movetur ab obiecto sensibili, puta quum visus motus a sole, hunc videt) et inter *sensum in potentia* (i. e. quatenus est aptus moveri ab obiecto sensibili, quamvis actualiter a nullo moveatur); nequiverunt intelligere quomodo licet unus et idem sit actus sensibilis et sentientis, qui subiectatur in sentiente, tamen principium causativum huius actus nempe subiectum agens et forma per quam agit sint sentienti extrinseca. Quum igitur animadverterint ipsum actum obiecti sensibilis, quâ talis, puta *sonationem* (quatenus hoc nomine significatur ipsa actualis motio organi auditivi ut procedens a corpore sonante), subiectari in sentiente (in quo quatenus recipitur, vocatur *auditio*) falso aestimaverunt ipsum obiectum huius sensationis esse intrinsecum sentienti (1).

(1) Cfr. S. Th. in III. De Anima. Lect.

QUAESTIO XX.

DE SENSIBUS IN PARTICULARI.

THESIS LIV.

a) **Praeter sensus externos dantur** *b)* **in animalibus perfectis quatuor sensus interni,** *c)* **specie ab invicem distincti, nempe sensus communis, imaginativa seu phantasia, aestimativa, et memoria.**

PROBATUR PRIMA PARS.

163. Dari quinque sensus exteriores ipsa experientia et humani generis consensus docent. Eorum autem distinctionem specificam desumendam esse a maiori vel minori accessu ad immutationem spiritualem, quam diversae qualitates sensibiles corporum determinant in facultate organica ipsis correspondente demonstrat S. Thomas (1). Haec autem maior vel minor spiritualitas immutationis resultat ex eo, quod minus vel magis admisceatur in organo de immutatione naturali. Itaque praesuppositis his, quae in quaest. 20. diximus de utraque immutatione, ita argumentum Angelici contrahimus: « Accipienda est ratio numeri et distinctionis exteriorum sensuum secundum illud, quod proprie ad sensum pertinet. Est autem sensus quaedam potentia passiva quae nata est immutari ab exteriori sensibili. Exterius ergo immutativum, est id quod *per se* a sensu percipitur, et secundum cuius diversitatem sensitivae potentiae distinguuntur. Sed in quibusdam sensibus invenitur immutatio spiritualis tantum (vel saltem ut recentiora experimenta suadent coniuncta cum minimo gradu immutationis naturalis in organo) sicut in visu; in quibusdam autem cum immutatione spirituali etiam naturalis, vel ex parte obiecti tantum, vel etiam ex parte organi. Ex parte autem obiecti invenitur transmutatio naturalis secundum locum quidem in sono, qui est obiectum auditus; nam sonus ex percussione causatur, et aeris commotione; secundum alterationem vero

(1) 1. p. q. 78. a 3.

« in odore, qui est obiectum olfactus; oportet enim per calidum alte-« rari aliquo modo corpus, ad hoc quod spiret odorem. Ex parte autem « organi est immutatio naturalis in tactu et gustu; nam et manus « tangens calida calefit, et lingua humectatur per humiditatem sa-« porum etc. ».

Ex his autem quae S. Thomas in solutionibus difficultatum ait, patet tactum se habere ut genus ad aliquas species sensationum tactilium, gustum autem reduci posse ad aliquam speciem tactus. Quo in casu gustus non distingueretur realiter a tactu quatenus generice sumitur, sed a tactu quantum ad alias species tactus quae per totum corpus diffunduntur. Caeteroquin nulla hucusque allata est melior ratio distinctionis et numeri sensuum exteriorum quam ratio S. Thomae (1).

PROBATUR SECUNDA PARS.

164. Ex ipsa interna et externa experientia, quam habemus de modo agendi animalium perfectorum et ex ipsa exigentia naturae sensitivae locomotivae apparet praeter sensus externos, quibus praesentiam aliquorum sensibilium animal apprehendit, necesse omnino esse ut animal per aliquam potentiam organicam proportionatam 1° discernat ab invicem sensibilia externa ex. gr. album a dulci; 2° ut in absentia sensibilis externi, cognoscere illud adhuc possit, ut moveatur de uno loco in alium ad illud quaerendum, ex. gr. ad quaerendum cibum; 3° requiritur ut habeat quasdam intentiones determinatas, vi quarum moveatur ad quaedam quaerenda et alia fugienda, non quatenus convenientia, vel disconvenientia sensui, sed quatenus utilia vel nociva, sicut hirundo paleam quaerit ad nidificandum et fugit accipitrem; 4° requiritur ut animal conservet huiusmodi intentiones.

Sensus communis. Iamvero primum praestatur *per sensum communem*, qui est quasi centrum et terminus ad quem convergunt sensationes sensuum externorum et his mediantibus ipsa sensibilia externa, quique definiri potest: *Facultas organica quae percipit et discernit sensationes et sensata sensuum externorum in eorum praesentia.* Eius *obiectum formale* est universalius obiecto uniuscuiusque sensus exterioris; nam est *singulare exterius quatenus intentionaliter immutativum omnium sensuum externorum.* Sensus enim communis percipit immutationes intentionales sensuum et eis mediantibus sensibilia propria omnium sensuum externorum. Esse facultatem organicam patet ex eo quod tum eius obiectum tum eius motivum est

---

(1) Cfr. cl. P. Sanctum Schiffini S. I. Disp. Metaph. Special. 4. Disp. Sect. 7.

alligatum conditionibus materialibus, nempe est *aliquid quale quantum.* Eius triplex munus sic paucis describitur a S. Thoma (Opusc. de Potentiis Animae Cap. IV).

« Ista autem potentia est animali necessaria propter tria, quae habet « facere sensus communis. *Primum* est, quod habet apprehendere omnia « sensata communia, quae sensus proprius non apprehendit; non enim « sensus proprius primo et per se apprehendit figuram vel motum, sed « *quasi* per accidens (i. e., ut suo loco diximus, *per se secundario* seu « *mediante sensibili proprio*)... *Secundus actus* sensus communis est « apprehendere plura sensibilia propria, quod non potest aliquis sensus « proprius: non enim potest animal iudicare album esse dulce, vel « ponere diversitatem inter sensata propria, nisi sit aliquis sensus, qui « cognoscat omnia sensata propria, et hic est sensus communis. *Tertius* « vero actus est sentire actus propriorum sensuum, ut cum sentio me « videre; non enim potest hoc sensus proprius, ut probatur Q. de « Anima, quia unius sensus proprii unum est obiectum. Unde cum *actus* « et *obiectum* visus, scilicet color, sint duo cognoscibilia, iudicium « utriusque non pertinet ad unum sensum proprium (qui quum sit « facultas organica nequit reflectere supra actum suum) cfr. Log. « n. 232. III. ».

Imaginativa. Secundum praestatur *per imaginativam* seu *phantasiam* quae est vis quaedam interior conservativa earum specierum, quae per sensus externos fuerunt receptae, et definitur: *Facultas organica, quae percipit sensationes et sensata sensuum externorum, in eorum absentia.* Ea vocatur a S. Thoma « quasi thesaurus quidam formarum per sensus acceptarum ». Hae formae quatenus conservatae in phantasia vocantur *phantasmata* seu interiores repraesentationes alicuius qualis quanti, puta templi, montis, arboris, sub conditionibus materiae individualis. Eius actus vocatur *motus factus a sensu secundum actum,* quia ut phantasia has species recipiat, moveri debet immediate a sensu communi, mediate autem a sensibus exterioribus et ab ipsa re sensibili exteriori. In homine est perfectior et participat de virtute intellectiva componendi partes apprehensas ex diversis sensibilibus: sic imaginamur montes aureos et leones alatos. Eam esse facultatem organicam patet ex eius obiecto et ex eius passione a re corporea. Eius organum adsignatur a S. Thoma pars cerebri immediate sequens organum sensus communis.

Aestimativa. Tertium praestatur *per aestimativam*, quae definitur: *Facultas organica apprehensiva earum intentionum, quae per sensus exteriores non accipiuntur*, videlicet apprehensiva *determinatae utilitatis* vel *nocumenti*, quae in re aliqua sensibili insunt in ordine ad

animal hanc facultatem habens. Hac facultate avis apprehendit paleam tamquam utilem ad nidificandum; canis apprehendit extraneum hominem ut noxium domui, quam custodit; ovis apprehendit lupum, ut inimicum naturae. *Aestimativa* in brutis vocatur *instinctus*, quia brutum per eam deprehendit in aliquo singulari respectus particulares utilitatis vel nocumenti *ex necessaria determinatione naturae*, videlicet non cognoscit tale individuum sub ratione aliqua communi puta ligni, vel agni, sed sub ratione singulari, inquantum nempe est terminus singularis alicuius suae actionis vel passionis *ad quam est naturaliter determinatum*. Sic avis cognoscit paleam non sub communi ratione ligni, sed ut terminum suae actionis nidificativae. Et lupus ovem ad vocem cognoscit non propter deprehensam connexionem inter effectum et causam, sed *ex naturali determinatione* seu *instinctu,* quo in ea voce apprehendit nutrimentum sibi conveniens.

In homine autem vocatur **cogitativa** vel **ratio particularis,** quia propter connexionem cum facultate intellectiva in eodem subiecto, homo per cogitativam apprehendit individuum sub ratione aliqua communi, nempe prouti subest alicui naturae communi, videlicet inquantum est individuum in specie auri, vel olivae, vel canis, vel hominis, et ideo utilitatem vel nocumentum deprendit in rebus non ex determinatione naturae, sed ex collatione plurium singularium ad invicem, puta respectu huius vel illius loci, vel temporis, vel personae, vel modi etc.

Ex modo dictis patet aestimativam esse potentiam organicam, quum sit omnino determinata *tum ex parte obiecti,* etenim est apprehensiva determinatarum intentionum utilitatis et nocumenti, *tum ex parte subiecti;* etenim non omnes brutorum species apprehendunt omnes utilitates et nocumenta, sed ea quae ipsis sunt determinata a natura: sic utilitas paleae ad nidificandum apprehenditur ab ave, non ab equo. Et ideo omnia eiusdem speciei individua aequaliter et necessario se habent ad utilitates et nocumenta ipsis determinata a natura, ut experientia constat.

Inepte igitur ex modo ordinato quo immediatum aliquod agens operatur quis inferret esse in eo rationem seu intellectum. Quamvis enim opus ordinatum sit evidens signum alicuius intellectus ordinantis, tamen ex eo non possumus statim inferre intellectum ordinantem esse eius, quod immediate operatur. Siquidem ex modo quo agens immediatum operatur deprehendamus in eo indifferentiam ad multa media et ad specialem ordinis formam, ita ut pro lubitu varios sibi determinet fines, media et ordines mediorum; evidens est tale agens, quod movet seipsum ad finem, esse intellectivum, quum haec omnia requirant

conceptus universales. Si autem agens immediatum sit prorsus determinatum ad media et ad finem, ita ut *instinctive* et *necessario* apprehendat determinatum ordinabile et determinatum modum ordinationis ad aliquem determinatum finem; evidens est tale agens moveri ab alio ad finem et ideo carere intellectu. Iamvero ita agere bruta per aestimativam, quae idcirco in eis vocatur *instinctus,* ex supradictis et ex quotidiana experientia manifestum est. Quapropter a Divino Intellectu diriguntur per instinctum eis proportionatum ad suas operationes ordinate exsequendas.

Aestimativae organum dicitur esse in media parte capitis eique immediate coniungi organum facultatis *memorativae*, de qua mox loquemur. *Fatuitas* in brutis et *amentia* in homine proveniunt ex corruptione huius organi.

Memorativa. Quartum praestatur a *facultate memorativa*, quae definitur: *Facultas organica conservativa et reproductiva intentionum, quas apprehendit aestimativa.* Quare obiectum huius facultatis est aliquod sensibile singulare non quomodocumque conservatum et intentionaliter reproductum, sed quatenus *prius sensatum* vel *prius aestimatum*, videlicet quatenus fuerat *prius* apprehensum per exteriorem aliquem sensum vel quatenus fuerat *prius* aestimatum tamquam utile vel nocivum ab aestimativa naturali (1). Sic equus ad phantasma clangoris tubae memoratur certaminis vel cursus prius peracti, et ad virgae aspectum memoratur praeteritae percussionis. Esse facultatem organicam probatur iisdem rationibus quas attulimus pro imaginativa et aestimativa (2).

Reminiscentia. In homine etiam datur memoria sensitiva seu memorativa, quae licet sit facultas organica, tamen quum radicetur in eadem essentia animae intellectivae extenditur ad aliquod, ad quod non pertingit memorativa brutorum, et sub hoc respectu vocatur *reminiscentia.* Etenim per hanc facultatem homo non solum ad phantasma unius sensibilis rei recordatur immediate alterius rei, sed etiam ex deliberatione quadam procedit quasi syllogistice ex uno memorato ad rursus memoranda quaedam prius cognita et nunc non memorata. Et ideo reminiscentia non est aliud quam *inquisitio alicuius quod a memoria excidit.* Qui motus quomodo fiat describitur a S. Thoma in Lib. de Memor. et Reminisc. Lect. 5. Ibi praeter multa praeclare dicta, quaeque sunt prorsus conferenda, haec habet: « Et ideo reminiscendo « venamur idest inquirimus id quod consequenter est ab aliquo priori,

(1) Cfr. S. Th. in Lib. de Memoria et Reminiscentia lect. 3.
(2) Cfr. S. Th. l. c. Lect. 8.

« quod in memoria tenemus... Secundum tempus quidem incipit quan-« doque a nunc, idest a praesenti tempore procedendo in praeteritum, « cuius quaerit memoriam: puta si quaerit memorari id quod fecit « ante quatuor dies, meditatur sic; hodie feci hoc, heri illud, tertia « die aliud et sic secundum consequentiam motuum assuetorum per-« venit resolvendo in id quod fecit quarta die ».

Ex his vero quae S. Doctor declarat ex Aristotele in Lect. 8. collatis cum supra dictis facile intelligimus *reminiscentiam* sumptam *pro actu* esse *inquisitionem alicuius quod a memoria excidit,* sumptam autem *pro facultate* esse ipsam memorativam quatenus inquisitione quadam syllogistica procedit de uno memorato ad inveniendum aliud a memoria elapsum. Excellentia autem aestimativae et memorativae in homine non habetur per id quod est proprium partis sensitivae, sed per affinitatem et propinquitatem ad rationem universalem per quamdam influentiam: semper enim virtus inferior fortificatur ex coniunctione sui cum virtute superiori, eo quod supremum naturae inferioris attingit infimum naturae superioris, praesertim si radicetur in eadem forma substantiali (1).

PROBATUR TERTIA PARS.

165. I. Potentiarum specificatio desumitur ab obiecto formali uniuscuiusque; ita ut diversa ratio obiecti diversitatem potentiarum ostendat. Iamvero quamvis omnes facultates sensitivae respiciant *singulare quale quantum*, tamen hoc respicitur a *sensu communi* quatenus sub ratione immutativi intentionaliter omnium sensuum externorum *praesentialiter* eos movet et his mediantibus movet ipsum sensum communem; respicitur a *phantasia* quatenus in obiecti *absentia* immutatio ab eo causata remanet in aliqua similitudine sensili in sentiente; respicitur ab *aestimativa* quatenus *noxium* vel *utile* sentienti; tandem respicitur a *memorativa* ut *prius sensatum.* Atqui hae rationes sunt formaliter diversae. Ergo sensus interiores specifice distinguuntur ab invicem.

II. Accedit alia ratio quam S. Thomas ex Avicenna refert in suo Commentario in Librum De Memoria et Reminiscentia Lect. 2., nempe diversam dispositionem materialem requiri in organo pro diversitate operationum sensus communis, imaginativae, memorativae, etc., nempe humiditatem vel siccitatem prouti impressionem corporis sensibilis

(1) Cfr. S. Th. Opusc. de Pot. An. cap. IV.

faciliter recipere, vel tenaciter retinere debent. Iamvero diversitati organi respondere debet diversa potentia organica. Ergo sensus interiores specifice distinguuntur ab invicem.

SCHOLION

166. **De somno, somnio etc.** Opportunum esset quosdam speciales passiones sensuum internorum considerare praesertim *a) somnum*, qui est passio sensus communis et consistit in privatione sensationis in omnibus sensibus propriis causata a condensata evaporatione nutrimenti quae gravando et descendendo per venas sensuum externorum intercipit horum communicationem cum sensu communi, qui est eorum radix; *b) somnium*, quod est passio phantasiae et consistit in apparitione phantasmatum in phantasia dormientis; *c) somnambulismum*, qui est specialis quidam status somniantis, in quo phantasmata ita ordinate sibi succedunt et cum tanta claritate, ut somnians possit quosdam motus exteriores gubernare ex. gr. deambulare, verrere domum, scribere etc.; *d) divinationem per somnium*, utrum nempe sit semper contemnenda necne, etc. De his consulant Commentaria S. Thomae in Libro Aristotelis *De somno* et *vigilia, De somniis, de Divinatione per Somnium.* Insuper nobis loquendum esset de potentia locomotiva, sed de hac dicemus in Quaest. de Potentiis Appetitivis.

QUAESTIO XXI.

DE INTELLECTU GENERATIM CONSIDERATO.

THESIS LV.

Inter entia intellectiva dari possunt infiniti gradus perfectionis secundum elongationem eorumdem a materia et a potentialitate, ita ut infimum gradum in ordine intellectivorum teneat anima humana, supremum teneat Deus.

PROBATUR.

167. Quoniam datur duplex ordo potentiae subiectivae, nempe potentia subiectiva tum in ordine essentiae tum in ordine existentiae et potentia subiectiva tantum in ordine existentiae, quarum prima i. e. materia prima nullum in se importat actum, secunda autem importat quidem actum purum in ordine suae essentiae, non autem importat actum in ordine existentiae; necesse est ut ad habendam vel in infimo gradu rationem substantiae spiritualis seu intellectivae, habeatur immunitas et independentia quoad operari et quoad esse a materia prima. Secus impossibilis esset extensio virtutis requisita ad repraesentationem intentionalem secundum rationes universales entis.

Attamen non omnes substantiae creatae independentes a materia quoad esse, sunt eiusdem perfectionis essentialis inter se, sed, quum sint perfectiones mixtae per se subsistentes, eo magis elongantur a potentialitate in ordine essendi, quo magis participant de esse, et per hoc sunt perfectius intellectivae. *Quo enim entitas immaterialis est actualior, eo melius et plenius entis rationem intentionaliter repraesentat.* Quoniam igitur inter ipsum esse subsistens et entia composita ex materia et forma dari possunt infiniti gradus actuum seu formarum per se subsistentium secundum quod magis vel minus participant de actualitate essendi, manifestum est dari posse infinitos gradus entium intellectivorum alios aliis perfectiores, supremum autem gradum tenere Deum, qui est actus purissimus subsistens.

Ad animam humanam quod attinet, ea est in confinio rerum materialium et immaterialium estque inter omnes substantias spirituales magis propinqua materiae, cuius est forma substantialis ad humanum

compositum efformandum. Quapropter ita est infima in ordine intellectualium substantiarum, ut se habeat ad sua intelligibilia ut pura potentia seu *tamquam tabula rasa in qua nihil est scriptum*, quum indigeat determinari ad actum ab obiecto proprio, quod est quidditas rei materialis. Hoc autem obiectum individuatum in rebus materialibus non est actu intelligibile humano intellectui, qui accipit cognitionem a rebus ipsis materialibus; sed fit actu intelligibile per abstractionem a phantasmatibus virtute intellectus agentis, ut suo loco demonstratur. Et per hoc redditur vera ratio, cur infima inter substantias intellectuales sit essentialiter forma corporis. Etenim hac unione substantiali cum materia iuvatur anima humana ad suam potissimam operationem quae est intellectio. Nam mediantibus potentiis sensitivis et vegetativis iuvatur ad sibi comparanda phantasmata, a quibus abstrahendo intellectus agens reddit actu intelligibile intellectui possibili obiectum suum (1). De his S. Thomas praesertim in Summa 1. p. qq. 84. 85.

THESIS LVI.

Unitas intentionalis, per operationem intellectivam obtinenda, est de essentia intellectionis naturalis creatae.

PROBATUR.

168. I. Illud est de essentia alicuius operationis, sine quo haec operatio neque esse, neque concipi potest. Atqui nostra operatio intellectiva est talis operatio immanens, vi cuius intellectus fiat intentionaliter id, quod res cognita est realiter. Iamvero intellectum per suam operationem fieri intentionaliter id, quod res cognita est realiter, importat unitatem intentionalem intellectus cum obiecto suae cognitionis per operationem intellectivam obtineri. Ergo *unitas* intentionalis est de essentia intellectionis naturalis creatae.

II. Id in quo consistit naturaliter in intellectu creato actualis intellectio obiecti, est essentiale naturali intellectioni creaturae. Atqui nostra actualis intellectio alicuius obiecti consistit in hoc, ut intellectus vitaliter operando assimiletur intentionaliter obiecto cognoscendo ita ut, quum agitur de obiecto extrinseco, intellectus quin egrediatur a seipso cognoscat id, quod realiter est extra se. Iamvero haec assimilatio per operationem immanentem obtenta, est unitas intentionalis intellectus cum re. Ergo unitas intentionalis, per operationem intellectivam obtinenda, est de essentia intellectionis naturalis creatae.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 75. a. 1.

THESIS LVII.

Intellectio naturalis creaturae *a)* prouti est operatio immanens habet terminum intrinsecum, qui vocatur verbum mentale, *b)* prouti est cognitio rei ab intellectu distinctae habere debet terminum obiectivum seu extrinsecum, idest rem exteriorem, quam *c)* mediante verbo mentali cognoscit.

PRAENOTIONES.

169. I. **Species impressa** vocatur forma determinans creatum intellectum ad actum intellectionis. Vocatur *species,* quia similitudinem habet cum obiecto reali ad cuius cognitionem determinandam ordinatur. Vocatur *impressa* quia causatur in intellectum vel partialiter vel totaliter ab extrinseco. Quando autem forma determinans intellectum est *ipsa essentia* intelligentis, non vocatur species impressa, quamvis speciei impressae *munus exerceat.*

II. **Species expressa seu verbum mentale** definiri potest *intentionalis similitudo vel imago rei intellectae per mentem genita.* Etenim: « Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid « intra ipsum, quod est conceptio rei intellectae, ex vi intellectiva « proveniens et ex eius notitia procedens. Quam quidem conceptionem « vox significat et dicitur *verbum cordis, significatum verbo oris* » (1). Videlicet, quemadmodum ipse S. Thomas (2) profunde declarat, quatuor consideranda sunt in operatione, qua intellectus noster rem aliquam intelligit: 1° res quae intelligitur, 2° species intelligibilis qua intellectus determinatur ad intelligendum, 3° ipsum intelligere seu intellectio, 4° conceptio intellectus, seu verbum mentale, quod est id quod intellectus intelligendo operatur, tamquam terminus intrinsecus operationis intellectivae.

III. **Variae appellationes verbi mentalis.** Haec intentionalis repraesentatio obiecti producta ab intellectu in seipso, non solum vocatur *verbum mentis*, sed etiam *species expressa-intentio intellecta-intellectus in actu-intelligibile in actu-intellectum in actu.* Quae variae expressiones respondent variis modis concipiendi unum et eumdem terminum operationis intellectivae. Etenim 1° quatenus hic *terminus* seu *operatum intellectuale* consideratur ut id, quo mediante, intelle-

---

(1) 1. p. q. 27. a. 1.
(2) QQ. dd. de Pot. q. 8. a. 1.

ctus sibi dicit rem, quasi secum ipse loquendo, vocatur *verbum mentis;* 2° quatenus consideratur ut intentionalis imago rei cognitae producta ab intellectu determinato a specie impressa, vocatur *species expressa;* 3° quatenus consideratur ut terminus immediatus intellectionis, in quem immediate fertur et intendit intellectus, vocatur *intentio intellecta;* 4° quatenus consideratur ut ultima actualitas potentiae operativae, vocatur *intellectus in actu;* 5° quatenus tandem consideratur ut obiectum elevatum ad ultimam actualitatem τοῦ *esse intentionalis* vocatur *intelligibile in actu,* vel *intellectum in actu.*

PROBATUR PRIMA PARS.

(Verbum mentale est terminus intrinsecus nostrae intellectionis).

170. Intellectio nostra est talis operatio immanens, qua intellectus per unitatem intentionalem suipsius cum forma rei, *etiam absentis,* exprimit seu concipit in seipso intentionalem similitudinem huius rei. Porro haec intentionalis similitudo, quae est terminus intrinsecus nostrae operationis intellectivae vocatur *verbum mentis.* Ergo intellectio naturalis creata, prouti est operatio immanens, habet terminum intrinsecum, qui vocatur *verbum mentale.*

PROBATUR SECUNDA PARS.

(Res cognita est terminus obiectivus nostrae intellectionis).

171. Intellectio est talis operatio immanens, vi cuius noster intellectus devenit in cognitionem rei, *etiam ipsi extrinsecae et absentis.* Iamvero in operatione, quae ordinatur ad cognitionem alicuius rei, haec est terminus obiectivus eius, et, si agatur de re intellectui extrinseca, haec est terminus obiectivus simul et extrinsecus operationis cognoscitivae. Ergo intellectio prouti est cognitio rei ab intellectu distinctae habere debet terminum obiectivum et extrinsecum, idest rem exteriorem, ad cuius cognitionem actus intellectivus ordinatur.

PROBATUR TERTIA PARS.

(Verbum non est id quod, sed id in quo res intelligitur).

172. Distincto cum S. Thoma (Quodlib. VII. a. 1.), triplici medio cognitionis: *sub quo, in quo,* et *quo,* ita ut *medium sub quo* sit quasi lumen sub cuius irradiatione obiectum innotescit potentiae cognoscitivae; *medium in quo* sit similitudo obiecti, in qua immediate cognita obiectum cognoscitur; *medium quo* sit similitudo obiecti, non

cognita, sed determinans potentiam ad producendum verbum; iam ex supradictis apparet speciem impressam esse *medium quo* intellectionis, speciem autem expressam, seu verbum mentis, esse *medium in quo.* Attamen hoc ita confirmamus.

a) Imago et *similitudo in quantum huiusmodi* primo et directe trahit in notitiam eius rei, cuius est imago, non autem in notitiam sui, sic imago Carthaginis trahit in notitiam Carthaginis. Atqui *verbum mentale* est imago rei, quam intentionaliter repraesentat et ad eius cognitionem causandam per se ordinatur. Ergo verbum *non est id quod, sed id in quo* res intelligitur. Idcirco *verbum* vocatur a s. Thoma (in Opusc. de natura verbi intellectus, circa finem) *speculum in quo res cernitur, sed non excedens id quod in eo cernitur.*

b) Insuper verbum formatum in intellectu ut imago rei cognitae dicit directe id cuius est expressio. Atqui non est expressio suipsius, sed rei cognitae. Ergo verbum *non est id quod* intelligitur, sed in *in quo* res intelligitur.

c) Confirmatur verbis S. Thomae (1) aientis: « Obiectum intel- « lectus est ipsa rei essentia, quamvis essentiam rei cognoscat per « ipsam rei similitudinem, sicut per *medium* cognoscendi, non sicut « per obiectum in quod primo fertur eius visio ».

THESIS LVIII.

Intellectus humanus est facultas inorganica seu stricto sensu immaterialis (2).

PROBATUR.

173. I. Facultas cognoscitiva cuius obiectum est abstractum a materia et a conditionibus materialibus, est stricto sensu immaterialis. Atqui intellectus humanus est facultas cognoscitiva cuius obiectum est abstractum a materia et a conditionibus materialibus. Ergo est stricto sensu immaterialis. *Maior evincitur* ex eo quod repugnat ut facultas quae habet esse reale alligatum conditionibus materialibus fiat intentionaliter id quod est a materia et a conditionibus materialibus abstractum, quum esse intentionale fundetur in esse reale facultatis cognoscitivae, tanquam accidens in immediato suo subieto. Accidens autem immateriale nequit immediate subiectari in subiecto materiali.

---

(1) QQ. dd. de Verit. q. 10. a. ad 1.

(2) Haec Thesis iam demonstrata est per ea quae diximus sive in Thesi 47. sive in Thesi 55.

Minor probatur. Intellectus humanus cognoscit *a)* rationes universales, videlicet quidditates rerum materialium abstractas a conditionibus individualibus et ipsas rationes transcendentales tum *concretas* (i. e. ad modum totius potentialis universalis) *entis, boni, veri* etc. tum *abstractas* (i. e. ad modum formae per se subsistentis) *entitatis, bonitatis, veritatis* etc. *b)* Cognoscit habitudines et proportiones universalissimas mediorum ad finem, causae ad effectum, totius ad partes etc. *c)* cognoscit principia universalia, tum ea quae sunt prorsus transcendentia, in quibus nobilissima scientiarum speculativarum, nempe Metaphysica fundatur, et ex quibus ratiocinando eruit conclusiones transcendentaliter universales, tum ea, quae sunt principia peculiarium scientiarum et artium, ex quibus etiam universales elicit conclusiones (cfr. Logic. Mai. Quaest. XI. De Scientia). *d)* Non solum omnes humanae scientiae et artes, sed ipsae quotidianae ratiocinationes, quas infimae etiam plebis homines rationis compotes interserunt, luculenter ostendunt immaterialitatem stricte dictam obiecti formalis intellectus humani. Etenim, ut in Logica Min. Cap. 25. ostendimus, medius terminus saltem in una praemissarum accipi debet *universaliter*, excepto casu syllogismi expositorii, in quo tamen sunt adhuc necessarii conceptus universales, ut appareat nexus inter praedicatum et subiectum atque inter praemissas et conclusionem, videlicet sunt necessarii conceptus identitatis et discrepantiae, qui supponunt conceptum transcendentalem entis. *e)* Tandem quicumque aliquid affirmat vel negat, habere debet in mente conceptus identitatis et discrepantiae, qui et universalissimi sunt, et supponunt conceptum transcendentalem entis, in quo fundatur ipsa apprehensa negatio entis, seu conceptus *non entis*. Iamvero homines cuiuscumque conditionis, et sexus, dummodo rationis compotes sint, quamplurima serio affirmant vel negant. Ergo.

II. Quum facultas organica moveri debeat et pati per accidens ratione organi a sensibili exteriori ad hoc ut actuetur intentionaliter secundum formam similem formae rei cognoscendae, necesse est ut careat in suo organo vel totaliter vel in eo gradu, secundum quem res sensibilis percipi debet, iis qualitatibus secundum quas moveri debet a sensibili exteriori (cf. n. 152). Etenim res materialis quae actu habet aliquam qualitatem nequit proprie moveri ad illam. Ergo impossibile est ut ea facultas quae cognoscere debet ipsas quidditates rerum materialium, sive substantiae sint sive accidentia, sit facultas organica, quia deberet esse expoliata omni natura materiali tum substantiali tum accidentali, quod repugnat, quia organum est necessario materiale tum quoad substantiam tum quoad accidentia. Iamvero

intellectus humanus est facultas, quae cognoscit quidditates rerum materialium, sive substantiae sint sive accidentia. Ergo intellectus humanus est necessario facultas inorganica.

Idem argumentum sic etiam proponi potest. Quum materia sit principium coarctationis formarum, ad hoc ut facultas organica possit intentionaliter actuari secundum aliquam formam, necesse est ut simul cum organo, quod est comprincipium huius actuationis intentionalis sit immunis a natura talis formae. Secus haec forma iam haberet in facultate organica eam determinationem, quae repugnat actuationi secundum esse intentionale, nempe determinationem secundum esse naturale materiale. Ergo impossibile est ut facultas intellectiva hominis, quae est cognoscitiva omnium naturarum materialium, sit organica, sed esse debet prorsus inorganica seu stricto sensu immaterialis (1).

III. Potentia quae extenditur ad omne ens sive cognitione propria sive cognitione analogica cognoscendum, nequit pendere a materia vel a materialibus conditionibus, quae sunt principia coarctationis et limitationis. Atqui intellectus humanus extenditur ad cognoscendum quidquid quocumque modo habet rationem entis, sive cognitione propria sive cognitione analogica. Ergo intellectus humanus est stricto sensu immaterialis.

IV. Facultas cognoscitiva, quae passione proprie dicta pati nequit neque *per se* neque *per accidens*, est facultas stricto sensu immaterialis. Atqui intellectus noster non potest pati passione proprie dicta neque *per se*, neque *per accidens*, quia non corrumpitur, sicut sensus, ab excellentia sui obiecti, sed perficitur ab ea, quo enim intellectus percipit altiora intelligibilia, eo melius percipit minora. Ergo intellectus est potentia stricte immaterialis (2).

174. **Corollarium.** *Anima humana est forma stricto sensu spiritualis*, nempe ita simplex, ut sit subsistens in sua simplicitate. Etenim operari sequitur esse. Sed anima humana habet operationem intellectivam, quae est stricto sensu spiritualis. Ergo habet esse stricto sensu

---

(1) Hoc argumentum est Aristotelis et proponitur a S. Th. tum in III. De Anima lect. 7. tum in Summa 1. p. q. 75. a 2. Ex modo, quo argumentum hoc proposuimus et ex demonstratis sub n. 152. patet quam inepte quidam, inter quos recens pantheista Paschalis D. Ercole, dicant: si argumentum hoc Aristotelis et S. Th. aliquid valeret, probaret entia spiritualia non posse cognoscere naturas spirituales. Non advertunt hi rationem Aristotelis et S. Th. non procedere ex mera similitudine naturali inter cognoscens et cognitum, sed ex materialitate organi, quae impedit ut facultas organica moveatur ad recipiendam similitudinem intentionalem illius formae, quae esset organo naturalis. Cfr. Silv. Maurum Quaest. Philos. De Ente immat. q. 1.

(2) Cfr. S. Th. C. G. Lib. cap. 66. et in III. De Anima lect. 7.

spirituale, nempe independens a materia. Attamen quum sit infima inter substantias intellectivas exigit abstrahere suum obiectum a phantasmatibus, ut cum distinctione percipiat id quod per species connaturaliter inditas in separatione a corpore confuse tantum cognosceret, et ideo est essentialiter forma substantialis corporis humani, quod quum actuat, trahit ad unitatem sui esse existentiae, estque incompleta in linea essentiae, et corpori unitur in bonum propriae operationis intellectivae (1). Caeterum de his plura dicemus in quaestione de unione animae intellectivae cum corpore.

Obiectiones reservantur post demonstratam in sequenti quaestione immortalitatem animae humanae.

---

(1) Cfr. 1. p. q. 76. a. 1. et qq. dd. de Anima art. 1. et 2.

QUAESTIO XXII.

DE IMMORTALITATE ANIMAE HUMANAE

PRAENOTIONES.

175. I. **Immortalitas definitur** *indestructibilitas entis viventis*, et dividitur in *essentialem* seu *absolutam*, *naturalem*, et *gratuitam*.

II. **Immortalitas essentialis** est ea indestructibilitas quae competit tali viventi, quod est immune *ab omni potentia tum intrinseca tum extrinseca ad non esse;* videlicet quod neque constat in linea essentiae ex forma et materia contrarietati subiecta, neque in linea existentiae est compositum ex potentia et actu, sed est ipsum esse subsistens, quod a nulla causa extrinseca pendet in esse, quum existat vi essentiae suae ac proinde sit *ens necessarium*. Talis indestructibilitas, quae est *immortalitas essentialis*, seu *absoluta*, competit *soli Deo*, in quo existere est *praedicatum quidditativum*, quum Divina Essentia sit ipsum esse subsistens.

III. **Immortalitas naturalis** est ea indestructibilitas, quae competit tali viventi, quod est immune tantum *a potentia intrinseca* ad non esse, quia est forma simplex subsistens creata, sive sit completa in ratione speciei ut angelus, sive in ratione speciei sit incompleta ut anima humana. Talis enim forma per se subsistens, quae vocatur substantia spiritualis creata, non est corruptibilis neque *per se* neque *per accidens,* quum neque habeat materiam partem sui, neque in suo esse pendeat a materia. Attamen *non est immunis a potentia extrinseca ad non esse*, quum enim non sit suum esse, quemadmodum indiguit creari, ita indiget conservari in suo esse a prima Causa, nempe a Deo, cuius influxu conservativo cessante, recideret in nihilum. Qui divinus influxus numquam deficiet, quia Deus conservat res in esse eo modo, qui convenit naturae earum, et ideo naturas incorruptibiles iugiter in esse conservat. Haec est ratio cur harum immortalitas dicatur *naturalis,* videlicet quia earum natura exigit, ut a Deo conserventur *in esse,* quum non habeant partem sui materiam contrarietati subiectam.

Idcirco, si quis, vim faciens verbis, dicat hanc immortalitatem vocari posse *essentialem*, quum sit naturalis, respondebis: si pro *essentiali* stricto sensu sumatur id quod vel est constitutivum essentiae, vel ex

intrinseca virtute essentiae unice procedit, *nego* immortalitatem spiritualium creaturarum dici posse essentialem. Si autem quis *pro essentiali* lato sensu accepto intelligat quidquid quocumque modo est conveniens essentiae, licet non sit pars essentiae neque procedat ex intrinseca virtute essentiae, *concedo* immortalitatem spirituum creatorum vocari posse essentialem, quamvis melius et usitatius dicatur *naturalis*.

IV. **Immortalitas gratuita** est ea indestructibilitas, quae confertur ex gratuito Dei dono alicui viventi naturaliter corruptibili ita ut quamvis habeat intrinsecam potentiam ad non esse ob essentialem compositionem ex forma et ex materia contrarietati subiecta, tamen, virtute divina iugiter impediente corruptionem, semper conservetur in esse. Talis immortalitas promissa fuerat Adae et posteris eius sub conditione observati praecepti divini de non comedendo fructu vetito et nobis post resurrectionem modo etiam perfectiori dabitur.

THESIS LIX.

Anima humana est naturaliter immortalis.

176. **Probatur** I. Forma per se subsistens non potest corrumpi neque *per se* neque *per accidens*. Atqui anima humana, utpote stricto sensu immaterialis, est forma per se subsistens. Ergo anima humana est omnino incurruptibilis, videlicet non habet potentiam intrinsecam ad non esse (1), ac proinde est naturâ suâ immortalis. Nec valet obiicere posse Deum adnihilare creaturam spiritualem in poenam peccati. Nam Deus conservat res secundum naturalem earum exigentiam (2), atque iustitiâ et sapientiâ sua poenam infligit, quae ordinem violatum redintegret, non quae naturam, quae est Dei opus, destruat. Id autem obtinetur per hoc, quod creatura peccatrix perseveret esse sustinendo poenam perpetuae amissionis ultimi finis. Sic enim Deus dum non destruit naturam, quae est suum opus, inordinationem voluntatis peccantis punit, privando creaturam beatitudine, quae erat eius ultimus finis. Quod « *si creatura omnino in nihilum redigeretur, esset tantum nocumentum naturae et non afflictio voluntatis* ». Quae ultima verba sunt S. Thomae (qq. dd. de Pot. q. 5. a. 4. ad 6.). Confer integrum locum.

---

(1) Cfr. 1. p. q. 75. a. 6.
(2) Cfr. S. Th. qq. dd. de Pot. q. 5. a. 4.

II. *Confirmatur* ex naturali desiderio beatitudinis, qui non potest esse frustra. Etenim beatitudo proportionata enti intellectivo, quod apprehendit bonum et esse absolute secundum omne tempus, nequit limitibus durationis finitae circumscribi. Iamvero appetitus naturalis beatitudinis nequit esse frustra. Ergo anima humana est naturâ suâ immortalis (1).

Obiectiones ex duplici potissimum capite desumi possunt, sive ex eo quod anima humana sit forma corporis, sive ex eo quod facultas intellectiva humana confundatur cum sensu et ponatur organica. Obiectiones ex primo capite desumptas afferemus et solvemus in quaestione de Unione Animae intellectivae cum corpore. Obiectiones ex secundo capite immediate subnectimus.

OBIECTIONES.

177. **Obiect. 1ª.** *contra intellectus humani immaterialitatem.* Principium unde emanat intellectus est anima humana, quae est actus corporis. Atqui si intellectus non esset actus alicuius organi, principiatum esset immaterialius suo principio. Ergo intellectus est facultas organica.

Resp. *Dist. mai.* Principium unde emanat intellectus est actus superexcedens proportionem subiecti quod informat, *Conc.,* est mera determinatio materiae, *Nego. Dist. min.* Si totalis immunitas intellectus ab informatione alicuius organi dependeret tantum a perfectione suae immaterialitatis, *Conc.*, si dependet simul a perfectione spiritualitatis coniuncta cum imperfectione formae accidentalis, *Nego*, et *nego conseq.* Solutio patet ex dictis sub. n. 128. III. in responsione ad similem obiectionem.

Obiect. 2ª. Intellectus noster cognoscit res materiales. Sed facultas proportionata obiecto materiali est facultas organica. Ergo intellectus noster est facultas organica.

Resp. *Dist. mai.* Intellectus noster cognoscit res materiales abstractas a materia et a conditionibus materialibus, *Conc.*, in concretione materiae et materialium conditionum, *Nego. Contrad. min.* Facultas proportionata obiecto materiali materialiter cognito est organica, *Conc.*, cognito immaterialiter per abstractionem a phantasmatibus, *Subdist.* Dependet ab organo extrinsece, tanquam a ministrante materiam obiecti, *Conc.*, intrinsece, tamquam a comprincipio operationis, *Nego.*

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 76. a. 6. et qq. dd. de Anima Art. 14. ubi etiam difficultates quamplures propositas et solutas invenies.

Obiect. 3ª. Si anima non tribueret corpori humano virtutem intellectivam, hoc esset eiusdem speciei cum corpore bruti. Atqui corpus humanum non est eiusdem speciei cum corpore bruti. Ergo etc.

Resp. *Dist. sequel. maioris.* Si anima quae tribuit corpori humano esse, vivere et sentire esset alia ab anima intellectiva, *Conc.,* secus, *Nego. Conc. min. Nego cons.*

Obiect. 4ª. Nos intelligendo defatigamur. Atqui si intellectus esset facultas inorganica, hoc non contingeret. Ergo intellectus est facultas organica.

Resp. *Dist. mai.* Non defatigamur propter actum intellectionis, *Nego*, propter operationem phantasiae, quae praecedit et comitatur nostram intellectionem, *Conc. Contrad. min. Nego cons.*

Obiect. 5.ª Nos movemur ad intelligendum a rebus materialibus. Atqui facultas cognoscitiva, quae movetur ad actum a re materiali, est organica. Ergo intellectus est facultas organica.

Resp. *Dist. mai.* Movemur ad intelligendum a rebus materialibus tamquam ab obiecto formali, *Nego*, tamquam ab obiecto materiali praebente materiam obiecti, circa quam intellectus agens se habet *active*, *Conc. Contrad. min. Nego cons.* Solutio melius patebit quum agemus de influxu intellectus agentis in phantasma et intellectum possibilem.

Nota. Reliquae difficultates quae moveri solent ex eo quod impedito cerebro cessat intellectio, aut quia intelligere nequimus absque concursu phantasmatum, facile solvuntur animadvertendo humanum intellectum, quum sit infimus inter naturas intellectivas, uti corpore *tamquam instrumento, non tamquam comprincipio* suae operationis, eo quod *abstrahere debeat efficienter* a phantasmatibus obiectum suae intellectionis. Quopropter necesse est, ut impedito instrumento praebente materiam obiecti, impediatur indirecte etiam operatio intellectiva.

QUAESTIO XXIII.

DE OBIECTO HUMANI INTELLECTUS.

THESIS LXI.

1. Obiectum adaequatum extensivum i. e. non proprium sed commune intellectus humani est ens in tota sua latitudine. 2. Obiectum adaequatum intensivum i. e. proprium intellectus humani est *a)* pro statu coniunctionis animae cum corpore essentia seu quidditas rerum materialium abstracta a conditionibus individuantibus; *b)* pro statu animae separatae est quidditas rerum spiritualium convenientium cum anima in gradu spiritualitatis (1).

PRAENOTIONES.

178. Non loquimur de obiecto intellectus agentis, sed de obiecto intellectus possibilis, qui elicit actum intellectionis.

I. **Obiectum adaequatum extensivum alicuius potentiae** est illud quod *cadit sub ratione formali* obiecti proprii huius potentiae, sed *non in eo determinato gradu,* in quo eius obiectum proprium, et ideo id, quod pertinet *tantum* ad obiectum commune alicuius potentiae, quamvis aliquo modo attingi possit ab ea, tamen nequit perfecte et plene attingi. Solet etiam vocari *obiectum adaequatum terminative* potentiae, quia non est omnino extra terminos aliqua ratione ab ea attingibiles.

II. **Obiectum adaequatum intensivum seu proprium alicuius potentiae** est illud, quod sub ratione formali, quae respicitur ab ea, cadit *in eo gradu determinato*, qui est perfecte et proportionate attingibilis a potentia, ita ut sit *primo et per se cognitum ab ea.* Haec valent, sive *ratio formalis,* in qua conveniunt obiectum proprium et obiectum non proprium, sit *ratio univoca*, ut contingit relate ad aliquam potentiam sensitivam, sive sit *ratio analoga*, ut contingit relate

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 84.

ad potentiam intellectivam, cuius obiectum formale est universale transcendentale. Et ideo quidquid cadit sub formali ratione entis (quae est ratio analoga) est attingibile aliquo modo ab intellectu humano, sive Deus sit, sive angelus, sive animal, quamvis perfecte et proportionate sit ab eo attingibilis tantum *quidditas rei materialis*, quia in praesenti statu est eius *obiectum proprium*. Sed hoc plenius demonstrare iuvabit.

PROBATUR PRIMA PARS.

179. Ad obiectum adaequatum extensivum alicuius potentiae pertinet omne id, quod cadit sub ratione formali, quam potentia respicit, sed non semper in eo determinato gradu in quo eius obiectum proprium. Atqui tale est relate ad intellectum humanum quidquid habet rationem entis. Ergo obiectum adaequatum extensivum humani intellectus est ens in tota sua latitudine. Et re quidem vera: *a)* Intellectus noster cognoscit, vel conceptibus propriis, vel conceptibus analogicis, quidquid habet quocumque modo rationem entis, nempe *ens a se et ens ab alio, ens spirituale* et *ens corporale*, *substantiam* et *accidens* etc. Ergo quidquid habet rationem entis est aliquo modo attingibile ab humano intellectu. *b)* Potentia quae aliquam rationem in universali attingit, attingit sub hac ratione formali quidquid de ea aliquo modo participat. Atqui intellectus noster attingit rationem transcendentalem entis, quae ad omnia entia analogatur. Ergo quidquid habet rationem entis pertinet ad *obiectum adaequatum* intellectus humani, nempe *vel ad obiectum adaequatum extensivum*, si non sit eius obiectum proprium *vel ad eius obiectum adaequatum intensivum,* si sit eius obiectum proprium. *c)* Quidquid habet rationem entis cadit sub ratione formali illius potentiae, cuius obiectum proprium est quidditas abstracta a conditionibus individuantibus. Atqui, ut inferius probabimus, quidditas rerum materialium abstracta a conditionibus individuantibus est obiectum proprium humani intellectus in praesenti statu unionis cum corpore. Ergo quidquid habet rationem entis est aliquo modo attingibile ab humano intellectu. Et sane potentia, quae apprehendere valet *ipsum quodquid est* alicuius rei abstractum a notis individuantibus, potest adhuc universalius considerare illud quatenus est *aliquid secundum quod alicui competit esse*, praescindendo ab ipsa ratione specifica vel generica quidditatis eius. Nam iste conceptus se habet ad primum ut conceptus confusus ad conceptum distinctum eiusdem obiecti, et ideō remanet sub eadem ratione formali. Atqui considerare aliquid sub hac universalissima ratione est considerare illud sub transcendentali ra-

tione entis. Ergo quidquid habet rationem entis cadit aliquo modo sub ratione formali potentiae, cuius obiectum proprium est quidditas abstracta a notis individuantibus. *d)* Insuper intellectus noster procedendo a conceptu confuso quidditatis rei materialis ad conceptum distinctum, prius apprehendit universalissime eam esse *aliquid.* Atqui in haec apprehensione apprehendit rationem transcendentalem et analogicam entis. Ergo. *e)* S. Thomas (1) ait: « Intellectus respicit suum « obiectum secundum communem rationem entis; eo quod intellectus « possibilis est *quo est omnia fieri.* Unde *secundum nullam differentiam* « entium diversificatur potentia intellectus possibilis ». Et (2). « Di« cendum quod obiectum (formale) intellectus est commune quoddam « scilicet ens et verum, sub quo comprehenditur etiam ipse actus in« telligendi. Unde intellectus potest suum actum cognoscere, sed *non* « *primo,* quia *nec primum obiectum* intellectus nostri secundum prae« sentem statum est quodlibet ens et verum, sed ens et verum con« sideratum in rebus materialibus (ut dictum est, quaest. 84. art. 7.), « ex quibus in cognitionem omnium aliorum devenit ».

PROBATUR SECUNDA PARS.

180. I. Obiectum proprium seu proportionatum et connaturale potentiae cognoscitivae nequit excedere gradum immaterialitatis eiusdem potentiae: cognitum enim est in cognoscente ad modum cognoscentis. Atqui intellectus humanus est facultas immaterialis subiectata in anima, quae informat materiam. Ergo obiectum proprium intellectus humani in praesenti statu ita debet esse a materia abstractum *secundum esse intentionale,* ut existat in singulari materia *secundum esse reale.* Huiusmodi autem est quidditas rerum materialium abstracta a conditionibus individuantibus. Ergo *quidditas rerum materialium* abstracta a conditionibus materialibus *est obiectum adaequatum intensivum seu proprium* intellectus humani in praesenti statu.

II. Intellectus noster in praesenti statu nihil intelligit nisi per species a phantasmatibus vi intellectus agentis abstractas. Sed hae species nequeunt repraesentare nisi naturas rerum corporearum, a quibus sensus suam cognitionem accipiunt. Ergo in praesenti statu obiectum proprium intellectus nostri sunt quidditates rerum materialium.

III. Confirmatur experientia. Nos enim conceptus proprios rerum pure spiritualium habere non possumus, sed tantum analogicos et se-

(1) 1. p. q. 79. a. 7.
(2) 1. p. q. 87. a. 3. ad 1.

cundum similitudines naturarum materialium, quarum unice conceptus proprios assequimur. Ergo hae quidditates, non illae, sunt obiectum proprium nostri intellectus in praesenti statu. Similia argumenta confer apud S. Thomam (1. p. q. 84. a. 7. q. 85. art. 1. et 3. - q. 89. a. 1. et alibi passim).

PROBATUR TERTIA PARS.

181. Obiectum proprium et connaturale potentiae cognoscitivae nequit excedere gradum immaterialitatis eiusdem potentiae et consequenter substantiae, in qua potentia immediate subiectatur: quia cognitum est in cognoscente ad modum cognoscentis. Ergo quamvis anima separata, utpote intelligens absque abstractione a phantasmatibus, intelligere debeat quidditatem rerum spiritualium; tamen pro obiecto proprio habere debet quidditates illarum quae in gradu spiritualitatis conveniunt cum ipsa (1).

182. **Corollarium.** *De cognitione quam habere possumus substantiarum pure spiritualium atque ipsius Dei.* Cognitio quam intellectus noster in statu unionis cum corpore habere naturaliter potest quidditatum pure spiritualium est imperfecta et valde deficiens, utpote acquisita non per speciem propriam sed per similitudines desumptas a rebus materialibus, quarum quidditates sunt proprium obiectum nostri intellectus in praesenti statu. Cum hoc tamen discrimine, quod haec deficiens cognitio esse potest secundum aliquam rationem communem affirmativam et logice univocam, quando versatur circa quidditates spirituales creatas; non autem quando versatur circa ipsam Essentiam Divinam. Ratio est quia quidditates spirituales creatae quamvis non conveniant cum quidditatibus materialibus *in genere physico*, conveniunt tamen *in genere logico*, quum et *ipsae sint sub praedicamento substantiae.* Etenim non sunt ipsum esse, sed sunt *habentia esse per se*, iamvero huiusmodi est substantia praedicamentalis, quae importat *essentiam cui competit per se esse,* et ideo se habet ad esse ut potentia ad actum (2).

Deus autem quum sit ipsum esse subsistens *sub nullo prorsus genere sive physico sive logico continetur*, et ideo cognitio, quam de eius essentia manuducti, per similitudines rerum naturalium acquirere possumus, nequit esse secundum aliquam rationem affirmativam et univocam. Quapropter ab effectibus a Deo creatis perduci tantum possumus ut cognoscamus eius existentiam, nempe *an sit*, et ea quae necesse est

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 79. a. 1.
(2) Cfr. 1. p. q. 3. a. 5. c. et ad 1.

ei convenire, secundum quod est prima omnium causa, excedens omnia sua causata. Unde cognoscere possumus, quod habet eminenter et absque admixtione potentialitatis omnes perfectiones, quas in creaturis deprehendimus; quod est cognoscere Dei quidditatem per negationes imperfectionum et per excessum perfectionum, quae sunt in creaturis (1). Et ideo quando devenimus ad affirmandum de Deo, quod est ipsum esse subsistens, ipsa bonitas, ipsa vita etc., habemus de eo conceptus *verissimos* quamvis non proprios sed *analogos* et *per ratiocinium emendatos*. Nos enim proprie et immediate perfectiones non apprehendimus nisi prouti eae inveniuntur in rebus corporeis. Quare egregie falluntur Ontologi, qui autumant Divinam Essentiam esse primum et proprium obiectum cognitionis intellectivae hominum in praesenti statu (2).

THESIS LXII.

Intellectus noster in praesenti statu singularia *a)* non cognoscit directe, sed *b)* indirecte secundum quamdam reflexionem.

PROBATUR.

183. *Quoad 1um*. Ratio primi est, quia intellectus noster abstrahendo suum obiectum a conditionibus materialibus individualibus, secundum quas proponitur a phantasmate, necessario percipit illud *in universali*, siquidem *materia signata* est principium individuationis entium corporeorum.

Quoad 2um. Ratio secundi est, quia homo per intellectum reflectendo supra obiectum abstractum, intelligit illud continuari cum phantasmate, a quo abstractum evasit actum intelligibile; phantasma autem continuari cum sensibus exterioribus apprehendentibus obiectum exterius. Et ideo intellectus noster per virtualem quamdam ratiocinationem efformat hoc iudicium: *Socrates est homo;* nempe illud obiectum materiale quod, mediantibus externis accidentibus, determinavit sensus externos ad sui cognitionem et his mediantibus phantasma, unde eius quidditatis species abstracta fuit, existit secundum naturam humanam. Ad quod ratiocinium sufficiunt conceptus universales unitatis, singularitatis, et similium. Sic enim fiet, ut componendo et dividendo intellectus noster perveniat ad cognoscendum *indirecte* singulare materiale. S. Thomas (3) ait: « Dicendum est, quod anima coniuncta corpori

---

(1) S. Th. 1. p. q. 12. art. 12.
(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 88. art. 2. ad 4; art. 3. c., et 84. art. 7. ad 3.
(3) QQ. dd. de Anima a. 20 ad 1. eorum quae in contrarium obiic.

« per intellectum cognoscit singulare non quidem directe, sed per « quamdam reflexionem, inquantum scilicet ex hoc, quod apprehendit « suum intelligibile, revertitur ad considerandum suum actum et spe- « ciem intelligibilem quae est principium suae operationis; et eius « speciei originem, et sic venit in considerationem phantasmatum, et « singularium quorum sunt phantasmata. Sed reflexio haec compleri « non potest, nisi per adiunctionem virtutis cogitativae et imaginativae, « quae non sunt in anima separata etc. » Insuper (1) manifeste asserit intellectum practicum hominis intelligere singulare tantummodo vi ratiocinii, eo quod non suppetat ei modus *directe* cognoscendi singularia materialia: « Dicendum quod electio particularis operabilis est « quasi conclusio syllogismi intellectus practici... Ex universali autem « propositione directe non potest concludi singularis, nisi mediante « aliqua singulari propositione assumpta. Unde universalis ratio intel- « lectus practici non movet, nisi mediante particulari apprehensione « sensitivae partis, ut dicitur (De anima lib. 3. text. 58.) ».

Confer etiam pulcherrimum locum (2) ubi totam hanc doctrinam dilucide Angelicus tradit et ostendit mentem nostram per accidens singularibus se immiscere in quantum *continuatur* viribus sensitivis, quae circa particularia versantur. Quam continuationem dupliciter contingere declarat.

184. **Corollarium.** *Adsignatur ratio cur singularia materialia directe intelligantur ab intellectu Divino et angelico, non autem ab humano.* Tota ratio (ut nuper ostendimus), cur intellectus noster in praesenti statu singularia corpora *directe* cognoscere nequeat est, quia accipiendo obiectum suum mediantibus sensibus debet *virtute sua activa* efficere illud *proxime intelligibile*, removendo ab eo, prouti a phantasmate exhibetur, omnem rationem materialitatis, videlicet eius conditiones materiales, quae sunt simul conditiones singularitatis eiusdem, quum *materia signata* sit principium individuationis rerum materialium. Donec enim hae conditiones materiales remanent in obiecto, hoc non erit capax determinandi intellectum possibilem ad actum intellectionis eliciendum; quum *forma determinans* i. e. *species impressa et intellectus determinatus* debeant esse *in eodem gradu immaterialitatis.* Forma autem stricte immaterialis nequit causari *ab agente materiali.*

Ex his unusquisque deprehendere potest, *rationem, cur singulare corporeum nequeat directe ab intellectu nostro percipi, non esse eius*

---

(1) 1. p. q. 86. a. 1. ad 2.
(2) In qq. dd. de Veritate q. 10. a. 5.

singularitatem sed esse modum quo intellectus noster in praesenti statu acquirit cognitionem sui obiecti. Et ideo Deus, angeli et animae separatae, quum non deveniant ad cognitionem rerum materialium, mediantibus sensibus, *directe* intelligunt singularia non solum spiritualia sed etiam materialia, quae quamvis immaterialiter tamen adaequate cognoscunt. Rationes afferuntur a S. Thoma (1. p. q. 14. art. 11. q. 57. art. 2. q. 89. art. 4. et locis parallelis, quae conferenda et meditanda sunt). Potior autem ratio huc redit.

In intellectu practico praeexistit intelligibiliter, secundum typum seu similitudinem praeconceptam, quidquid ab intellectuali agente causatur vel causari potest. Iamvero quidquid, quocumque modo habet rationem entis, causari potest a supremo intellectuali agente, qui est Deus. Ergo quidquid, quocumque modo habet rationem entis (sive sint formae per se subsistentes, sive sint corpora, sive sint eorum constitutiva et accidentia), praeexistit intelligibiliter i. e. secundum esse intentionale in Divino Intellectu. Ergo Deus *directe* intelligit singularia etiam materialia, quae in eo sunt *actu intelligibilia* secundum totam rationem suae entitatis usque ad ultima accidentia. Neque obest Essentiam Divinam esse infinite perfectiorem re materiali, quae intentionaliter est in eius intellectu. Nam ad cognitionem non requiritur similitudo conformitatis in natura i. e. secundum esse reale, sed similitudo repraesentationis i. e. secundum esse intentionale. *Cognitum enim est in cognoscente ad modum cognoscentis.* Et ideo entia cognoscitiva superiora possunt perfecte et comprehensive cognoscere inferiora. Haec autem, etsi cognoscitiva sint, nequeunt perfecte et comprehensive superiora cognoscere.

Circa cognitionem, quam angeli et animae separatae directe habent de singularibus materialibus, valet proportionaliter eadem ratio. Nam species intelligibiles rerum materialium non accipiunt per abstractionem a phantasmatibus, sed immediate a Deo.

QUAESTIO XXIV.

DE ORIGINE IDEARUM.

PRAENOTIONES.

185. Quum in Quaestione 24. demonstratum a nobis fuerit, quodnam sit obiectum proprium nostri intellectus, et quomodo hic se habeat tum ad cognitionem singularium materialium, tum ad cognitionem eorum, quae ipsum transcendunt, inquirendum superest quaenam sit causa efficiens specierum impressarum in nostro intellectu possibili. Quam quaestionem Moderni vocant *de origine idearum.* Doctrinam S. Thomae, qui hac de re agit in Summa Theologiae, Parte 1., Quaest. 79 a. 3. QQ. 84. et 85. atque in locis parallelis, fideliter sequemur. Eius enim doctrina, quemadmodum in caeteris quaestionibus, ita etiam in praesenti oppositos devitat scopulos, nempe tum errorem eorum, qui asserunt *causam adaequatam* speciei impressae esse res sensibiles, tum errorem eorum, qui autumant huiusmodi species esse nobis innatas, seu naturaliter inditas. Ad hanc duplicem errorum classem tamquam ad summa capita facile reducuntur falsa systemata de origine idearum. Ad primam enim reducuntur Materialistae omnes, duce Democrito; Sensistae puri, ducibus Lokio et Condillachio; Sensistae mitigati, duce Laromiguerio; et Positivistae, duce Augusto Compte. Ad secundum vero, praeeunte Platone, facile reducuntur Cartesiani, Leibnitiani, Wolfiani et Rosminiani.

THESIS LXIII.

Res sensibiles nequeunt esse causa efficiens adaequata, neque principalis, speciei intellectivae impressae.

PROBATUR.

186. Ad hoc, ut res sensibiles causarent in intellectum nostrum speciem impressam tamquam causa adaequata vel principalis, hic deberet esse facultas organica, quae pati posset passione proprie dicta, saltem per accidens, nempe ratione organi quod informaret ad constituendum cum eo unicum principium operationis cognoscitivae. Atqui intellectus noster est facultas inorganica, seu stricto sensu immaterialis. Ergo

res sensibiles nequeunt esse causa adaequata neque principium speciei impressae. *Maior* constat ex eo quod res sensibiles agunt per motum stricte dictum atque per virtutes corporeas alligatas conditionibus materialibus. Quapropter non sunt agentia proportionata ad patiens immateriale. *Minor* constat ex demonstratis in Thes. 58. Ergo stat consequentia (1).

Obiectiones reducuntur ad eas quae allatae sunt atque solutae sub nn. 153. et 177.

THESIS LXIV.

Species intellectivae, seu ideae, non sunt innatae in nostro intellectu.

PROBATUR.

187. I. Si formae intelligibiles rerum essent nobis naturaliter inditae, deberet intellectus noster independenter a praevia cognitione sensili eas vel actu intelligere vel saltem habitu, ita ut posset ad libitum se applicare ad eas actu intelligendas. Forma enim est principium actionis, quam quae potentia possidet, vel actu agit, vel cum libuerit. Atqui neutrum contingit in nobis, et ideo qui carent aliquo sensu, puta visu, nunquam perveniunt ad intelligenda sensibilia propria talis sensus, puta colores. Ergo formae intelligibiles rerum nequaquam sunt nobis naturaliter inditae.

II. Si dicatur esse *in potentia essentiali* ad aliquam formam operativam facultas, quae omnino eâ forma caret, dicatur autem esse *in potentia accidentali* ad aliquam formam operativam facultas, quae eam formam possidet, ita ut ea uti possit, quamvis actu non utatur, sive quia nolit ea uti, sive quia ab extrinseco impediatur, plene assequemur vim argumenti S. Thomae, qui (2) haec habet: « Respondeo dicendum « quod cum forma sit principium actionis, oportet ut eo modo se ha- « beat aliud ad formam, quae est actionis principium, quo se habet « ad actionem illam... Videmus autem quod homo est quandoque co- « gnoscens in potentia tantum, tam secundum sensum, quam secundum « intellectum. Et de tali potentia in actum reducitur, ut sentiat qui- « dem, per actiones sensibilium in sensum, ut intelligat autem, per « disciplinam, aut inventionem. Unde oportet dicere, quod anima co- « gnoscitiva sit in potentia tam ad similitudines (seu species sensiles),

---

(1) Cfr. 1. p. q. 84. a. 6.
(2) 1. p. q. 84. a. 3.

« quae sunt principia sentiendi, quam ad similitudines (seu species, « intelligibiles), quae sunt principia intelligendi. Et propter hoc Ari« stoteles (loc. cit.) posuit quod intellectus, quo anima intelligit, non « habet aliquas species naturaliter inditas, sed est in principio in po« tentia (essentiali) ad huiusmodi species omnes. »

III. *Effugium Platonis propositum a S. Thoma:* « Sed quia id quod « habet actu formam, interdum non potest agere secundum formam « propter aliquod impedimentum (sicut leve, si impediatur sursum « ferri), propter hoc Plato posuit quod intellectus hominis naturaliter « est plenus omnibus speciebus intelligibilibus, sed per unionem cor« poris impeditur, ne possit in actum exire. »

Solutio obiectionis. « Sed hoc non videtur convenienter dictum: primo « quidem, quia si habet anima naturalem notitiam omnium, non vi« detur esse possibile, quod huius notitiae tantam oblivionem capiat, « quod nesciat se huiusmodi scientiam habere. Nullus enim homo « obliviscitur ea, quae naturaliter cognoscit, sicut quod omne totum « sit maius sua parte, et alia huiusmodi. Praecipue autem hoc videtur « esse inconveniens, si ponatur esse animae naturale corpori uniri, ut « supra habitum est (q. LXXVI. art. 1.). Inconveniens enim est quod « naturalis operatio alicuius rei totaliter impediatur per id, quod est « sibi secundum naturam.

« Secundo manifeste apparet huius positionis falsitas ex hoc quod « deficiente aliquo sensu deficit scientia eorum, quae apprehenduntur « secundum illum sensum: sicut caecus natus nullam potest habere « notitiam de coloribus; quod non esset, si intellectui animae essent « naturaliter inditae omnium intelligibilium rationes. Et ideo dicen« dum quod anima non cognoscit corporalia per species naturaliter « inditas ».

IV. *Iisdem rationibus quibus opinio Platonis refutatur, reiicitur etiam opinio Avicennae* ponentis formas intelligibiles causari in nostro intellectu ab intellectibus separatis, idest a substantiis quibusdam pure spiritualibus subsistentibus, hoc quidem ordine, ut a supremo intellectu deriventur huiusmodi species in sequentem, et sic gradatim usque ad ultimum intellectum separatum, quem Avicenna vocat *intellectum agentem*, a quo immediate effluunt species quidem intelligibiles in animas nostras, et formae sensibiles in materiam corpoream. Haec opinio refutatur a S. Thoma in 1. p. q. 84. a 4. Eius argumentatio huc redit. Quum unio animae rationalis cum corpore sit naturalis, esse debet ei necessaria ad ipsam operationem intellectivam, quae est ei maxime propria. Iamvero si anima reciperet species ab intellectu separato, et non mediantibus sensibus per abstractionem a phantasma

tibus, esset inutilis eius unio cum corpore. Ergo falsa est opinio Avicennae. Quod si dicas animam per sensus excitari, ut se convertat ad intellectum separatum ad recipiendas species intelligibiles, respondemus hoc non solum gratis asseri; sed etiam *a)* contra rerum naturam, quia anima ex inclinatione naturali converti deberet ad intellectum separatum independenter ab excitatione sensuum, et *b)* contra experientiam, quia anima coeci nati ex. gr. excitata per sensum auditus ad convertendum se ad intellectum separatum, deberet ab eo recipere etiam species intelligibiles colorum: atqui eas non recipit. Ergo opinio Avicennae est omnino reiicienda.

V. *S. Thomas in art. 2. eiusd. quaest. refutat opinionem eorum, qui asserebant animam intelligere omnia per essentiam suam.* Quae opinio cui affinis est opinio Cartesii asserentis animae essentiam consistere in cognitione, non solum repugnat experientiae, quia anima deberet semper esse in actu cogitandi, quum semper habeat suam essentiam sed etiam repugnat rectae rationi. Nam quum actio importet puram perfectionem, tantum illa essentia potest esse sua actio, quae est suum esse, nempe Essentia Divina. Insuper quum ad cognitionem requiratur immaterialitas, et quo natura cognoscitiva sit immaterialior eo sit perfectius cognoscitiva et plura distincte cognoscat, (ut demonstravimus in Thes. 48.): sequitur illud tantum ens posse per essentiam suam omnia cognoscere, cuius essentia est in summo gradu immaterialitatis, quale est solus Deus, qui est actus purissimus subsistens. Quae conclusio stat etiam si agatur tantum de cognitione omnium corporum quae sunt potentialiter infinita quoad species et individua.

OBIECTIONES.

188. **Obiect. 1ª**. *(Cartesii).* Intellectus antequam speciem efformet, aut cognoscit rem specie repraesentatam, aut ignorat. Non primum, quippe cognosceret, antequam haberet speciem: non secundum, nam efformaret speciem rei incognitae. Ergo origo idearum explicanda est per ideas innatas.

Resp. Eligo secundum membrum disiunctivae *et Nego suppositum*, nempe *nego* omnem operationem intellectus esse *formaliter cognoscitivam*. Etenim operatio intellectus agentis, quae abstrahit species a phantasmatibus, est tantum *efficienter cognoscitiva*. Insuper Cartesius confundit intellectum speculativum cum intellectu practico.

Obiect. 2ª. *(Rosminii)* In omni iudicio requiritur idea universalis. Sed ad ideam universalem acquirendam requiritur iudicium. Ergo ne

procedamus in infinitum, admittere debemus aliquam ideam universalem innatam.

Resp. *Concedo maiorem et Nego minorem.* Nam ad ideas universales habendas sufficit *abstractio per modum simplicitatis* et nullo modo requiritur *abstractio per modum compositionis* et *divisionis*. De qua duplici abstractione loquuti sumus in Logica Mai. (nn. 167. et seqq.). Systema Rosminii falso innititur fundamento, nempe nostras cognitiones inchoari a synthesi. Nam anima humana procedit ab imperfecto ad perfectum, nempe a simplici apprehensione procedit ad iudicia immediata, a quibus per ratiocinium procedit ad iudicia mediata, seu ad conclusiones. Quapropter nostra cognitio non a *synthesi*, sed ab *analysi* inchoatur.

Obiect. 3ª. Homo antequam discat scientiam, amat eam. Atqui quod ignoratur, non amatur. Ergo homo habet ideas ingenitas scientiarum.

Resp. *Dist. mai.* Homo antequam *distincte* cognoscat conclusiones alicuius scientiae, amat eam, *Conc.*, antequam *confuse* cognoscat rationem scientiae eiusque utilitatem, amat eam, *Nego. Contrad. min.* Quod prorsus ignoratur, non amatur, *Conc.*, quod aliqualiter ignoratur, *confuse* tamen cognoscitur, non amatur, *Nego.*

Obiect. 4ª. *(Platonis).* Idiota aliquis non habens scientiam acquisitam, respondet verum de singulis, si ordinate interrogetur. Ergo antequam aliquis acquirat scientiam, habet rerum cognitionem, ac proinde ideas innatas.

Resp. *Dist. antec.* Idiota respondet verum, quia ordinata interrogatio generat in eo scientiam, *Conc.*, quia scientiam in eo praesupponit, *Nego* (1).

Obiect. 5ª. Intelligere est commune angelis et hominibus. Sed angeli intelligunt per ideas innatas. Ergo et homines.

Resp. *Dist. mai.* In diverso gradu perfectionis, *Conc.*, in eodem gradu perfectionis, *Nego. Conc. min. Nego cons.*

Obiect. 6ª. Intellectus humanus absque ideis innatis esset potentia sine actu. Atqui repugnat dari potentiam sine actu. Ergo intellectus humanus habet ideas innatas.

Resp. *Dist. mai.* Esset pura potentia subiectiva sine actu, *Nego*, esset potentia operativa passiva sine actu, *Subdist.* Sine actu operativo, *Conc.*, sine actu essentiae et existentiae, *Nego.* Adversarii perperam confundunt puram potentiam subiectivam cum potentiis operativis.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 84. a. 3. ad 3.

Prima indiget actu primo formali, ut compositum resultans recipere possit esse existentiae; hae autem iam habent suam essentiam et existentiam (eo modo quo accidentia habere eas possunt); attamen ad hoc ut eliciant suam operationem indigent habere vel *formam determinantem*, si sint potentiae passivae, vel *materiam circa quam operentur, si sint potentiae activae.*

THESIS LXV.

Ad speciem impressam in intellectum possibilem causandam duplex causa concurrit, una principalis nempe intellectus agens, alia instrumentalis nempe phantasma, ex quibus resultat unicum principium adaequatum effectivum speciei impressae.

PRAENOTIONES.

189. I. **Intellectus possibilis et intellectus agens.** Intelligere humanum quod formaliter unicum est, praesupponit duplicem actionem in virtute intellectiva, quae actiones, quum sint formaliter diversae, procedunt a virtutibus, seu facultatibus formaliter diversis, quarum *a)* una, quae *determinatur a specie impressa* et elicit formalem actum intellectionis, vocatur *intellectus possibilis* seu *potentialis*, eo quod sit potentia operativa *passiva*, atque definiri potest ex S. Thoma (1): *facultas animae humanae, quae recipit formas a sensibilibus per lumen intellectus agentis abstractas, atque elicit formalem actum intellectionis; b)* altera, quae efficienter abstrahendo a phantasmate quidditatem rei materialis, causat in intellectum possibilem speciem impressam, vocatur *intellectus agens*, eo quod sit *potentia operativa activa*, atque ex eodem S. Thoma l. c. defininiri potest: *facultas animae efficiens formas sensibilium intelligibiles actu per abstractionem a phantasmatibus.* « Duorum intellectuum, scilicet possibilis et agentis, « sunt duae actiones. Nam actus *intellectus possibilis* est recipere in« telligibilia; actio autem *intellectus agentis* est abstrahere intelli« gibilia. Nec tamen sequitur quod sit duplex intelligere in homine: « quia ad *unum intelligere* oportet quod utraque istarum actionum « concurrat » (2).

II. **Necessitas admittendi intellectum agentem** ratiocinio demonstratur a posteriori, atque difficultates, quae ab adversariis ob-

(1) QQ. dd. de Verit. q. 10. n. 7.
(2) S. Th. qq. dd. de Anima a. 4. ad 8.

iiciuntur, solutionem habent. Attamen sedulo cavendum est, ne imaginatione decepti, demonstrationem parvipendamus, eo quod specie quadam sensibili intueri non valeamus id, quod tantum ratiocinio colligi potest.

III. **Illuminatio phantasmatum** per intellectum agentem importat virtutem collatam phantasmati ab intellectu agente ipsum adsumente ut instrumentum ad causandam speciem impressam in intellectu possibili. Dividitur in *illuminationem in actu primo* et *illuminationem in actu secundo.*

IV. **Illuminatio in actu primo** est ipsa coniunctio phantasmatis cum intellectu agente in eodem subiecto. De qua illuminatione ita loquitur S. Thomas (1): « Illuminantur quidem (phantasmata), quia « sicut pars sensitiva ex coniunctione ad intellectum efficitur virtuosior, « ita phantasmata ex virtute intellectus agentis redduntur *habilia,* ut « ab eis intentiones intelligibiles abstrahantur (non formaliter sed *ef-* « *ficienter* ».

V. **Illuminatio in actu secundo** est ipse actualis influxus inteltectus agentis in phantasmata, ipsa movens et elevans tamquam instrumenta ad causationem speciei impressae in intellectu possibili.

VI. **Distingue abstractionem secundum efficientiam ab abstractione secundum considerationem.** Haec est ipsa rei similitudo abstracta a notis individualibus, quae ab intellectu possibili consideratur in *specie expressa* seu *verbo.* Prima est ipsa operatio intellectus agentis causantis in intellectu possibili cum instrumentali concursu phantasmatis *speciem impressam,* quae in eodem intellectu possibili subiectatur, a cuius passiva potentia educitur. Perperam igitur quis existimaret abstractionem intellectus agentis esse operationem translativam formae quae est in phantasia in intellectum possibilem, sicuti transferretur candela ex uno in aliud cubiculum. Id enim non solum repugnat materialitati formae, quae est in phantasia, ac proinde nequit subiectari in potentia stricte immateriali, sed etiam repugnat ex eo quod numquam eadem numerice forma, quae est in agente sive principali sive instrumentali, transit de agente in patiens: sic stultum esset aestimare eamdem numerice figuram quae est in sigillo transferri per virtutem sigillantis in ceram sigillatam.

---

(1) 1. p. q. 85. a. 1. ad 4.

PROBATUR PRIMA PARS.

Causa efficiens principalis speciei impressae, seu causa formae intelligibilis est intellectus agens, nempe virtus immaterialis activa animae illuminativa phantasmatum.

190. Refutatis systematibus idearum innatarum, necesse est asserere aut sensibilia exteriora, aut sensationes, aut virtutem immaterialem activam extrinsecam animae, aut virtutem immaterialem activam animae intrinsecam causare in intellectu possibili similitudines immateriales quidditatum sensibilium. Atqui primum et secundum reiiciuntur ob rationes in superioribus allatas, videlicet quia materialia nequeunt propria virtute agere in potentiam immaterialem, quum potentiae passivae respondere debeat potentia activa eiusdem ordinis. Tertium repugnat *ipsi experientiae* « qua percipimus nos abstrahere formas « universales a conditionibus particularibus, quod est facere actu in« telligibilia. Nulla autem actio convenit alicui rei, nisi per aliquod « principium formaliter ei inhaerens », ut ait S. Thomas (1). Insuper non congruit naturali rerum ordini. « Nam (ut ait ibidem ipse An« gelicus Doctor) in rebus naturalibus perfectis praeter universales « causas agentes sunt propriae virtutes inditae singulis rebus perfectis « ab universalibus agentibus derivatae ». Ergo remanet quartum, nempe virtutem immaterialem activam animae intrinsecam causare in intellectu possibili similitudines immateriales quidditatum sensibilium, quam virtutem seu facultatem vocamus cum Aristotele et s. Thoma *intellectum agentem.*

PROBATUR SECUNDA PARS.

Causa efficiens instrumentalis, quae praebet materiam seu obiectum causae principali est phantasma.

191. I. Quum intellectus agens sit virtus immaterialis ad speciem intelligibilem quidditatis rei materialis in intellectu possibili causandam ordinata, per hoc quod sub influxu virtutis suae *intelligibilia in potentia* evadant *intelligibilia in actu;* necesse est ut in ea facultate sensitiva inveniat intelligibilia in potentia, quae repraesentare possit omnia sensibilia, etiam in eorum absentia, quaeque proinde, utpote nobilissima inter facultates sensitivas, sit proximior intellectui. Supremum enim ordinis inferioris infimum superioris ordinis attingit. Iam-

(1) 1. p. q. 79. a. 4.

vero haec facultas est phantasia, eiusque repraesentationes sensibiles sunt phantasmata, in quae dum virtute sua illuminativa influit intellectus agens, efficit ut in eis *active* refulgeat absque conditionibus materialibus quidditas rei materialis, quam conditionibus materialibus alligatam repraesentant. Atque ita phantasmata praebendo intellectui agenti materiam sui obiecti, inserviunt ei quasi instrumenta ad causandam speciem intelligibilem in intellectu possibili et concurrunt ad constituendam causam efficientem adaequatam speciei impressae.

II. Ad hoc ut intellectus possibilis recipiat ab intellectu agente determinationem repraesentativam alicuius quidditatis rei materialis abstractae a notis individualibus, puta *arboris, leonis, hominis;* necesse est ut intellectus agens sit determinatus ad unam potius quam ad aliam causandam. Atqui intellectus agens ex se non est determinatus ad ullam. Ergo necesse est ut eam inveniat efficienter abstrahibilem in tali facultate interiori cognoscitiva, quae quidditatem rei materialis alligatam conditionibus materialibus et a sensibus exterioribus receptam ita repraesentet, ut sit proxime abstrahibilis. Atqui talis facultas est phantasia, quae est facultas sensilis interior *percipiens sensationes et sensata sensuum externorum in eorum absentia* (cfr. n. 164.) quaeque est in maximo spiritualitatis improprie dictae gradu, ac proinde tamquam supremum ordinis inferioris immediate attingit infimum omnium intellectuum, nempe intellectum humanum cum quo coniungitur et continuatur in eadem anima. Ergo intellectus agens ad quidditatem aliquam efficienter abstrahendam determinatur a phantasmate non quidem tamquam *a motore potentiae*, sed tamquam a *materia sui actus*. Sic enim competit potentiae activae determinari ad agendum a materiis circa quas agit.

Exemplum. Ad aliqualem intellectionem efficientiae instrumentalis, quae competit phantasmati in productione speciei impressae in intellectu possibili, consideremus modum quo corpus aliquod opacum, ex. gr. luna, concurrit sub influxu lucis solaris ad determinandam in nostra potentia visiva visionem sui. Causa principalis efficiens, vi cuius nostra potentia visiva ad visionis actum eliciendum determinatur, est lux solis. Causa autem cur nostra visio determinetur a luce solari potius ad lunam, quam ad aliud corpus opacum videndum, est ipsa luna; ita ut quamvis luna, cum sit corpus opacum, nequeat virtute propria causare in facultate visiva speciem impressam repraesentativam sui; tamen virtute lucis solaris elevatur ad hanc speciem secundario et instrumentaliter concausandam, praebendo *materiam obiecti* causae principali.

192. **Corollarium 1.** Ex hac duplici causalitate, principali quidem intellectus agentis, secundaria autem et instrumentali phantasmatis et ex dictis in Praenotandis, praesertim sub. n. VI, apparet quomodo eorum effectus communis, qui est *species impressa* 1° non subiectetur neque in intellectu agente neque in phantasia, sed solum in intellectu possibili, de cuius potentia educitur; 2° quomodo participet de conditione utriusque causae; quatenus enim causatur virtute intellectus agentis, species expressa est *aliquid actu intelligibile,* quatenus autem procedit a virtute intellectus agentis, *mediante phantasmate, tanquam instrumento,* species impressa evadit similitudo illius quidditatis, quam phantasma individuatam repraesentabat. Audiatur hac in re S. Thomas (1): « Dicendum quod in receptione qua intellectus possibilis « species rerum accipit a phantasmatibus, se habent phantasmata ut « agens instrumentale et secundarium, intellectus vero agens ut agens « principale et primum; et ideo actionis effectus relinquitur in intel- « lectu possibili secundum conditionem utriusque, et non secundum « conditionem alterius tantum; et ideo intellectus possibilis recipit « formas ut intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis, sed ut « similitudines determinatarum rerum (puta leonis, arboris, lapidis) « ex cognitione phantasmatum, et sic formae intelligibiles in actu non « sunt per se existentes neque in phantasia, neque in intellectu agente, « sed solum in intellectu possibili ».

Corollarium 2. *Scientia mentis nostrae partim est ab intrinseco partim ab extrinseco.* Haec veritas dilucide a S. Thoma (l. c. in corp. artic.) declaratur post expositas et refutatas opiniones adversariorum.

Corollarim 3. *De nobilitate phantasmatis relate ad intellectum possibilem.* Quum phantasma passive se habeat relate ad intellectum agentem, active instrumentaliter relate ad intellectum possibilem, potest dici *secundum quid nobilius* intellectu possibili, licet *simpliciter* loquendo sit eo inferius. Ideo S. Thomas ait (2): « Quamvis intelle- « ctus possibilis sit simpliciter nobilior quam phantasma, tamen se- « cundum quid nihil prohibet phantasma nobilius esse; in quantum « scilicet phantasma est actu similitudo talis rei, quod intellectui non « convenit nisi in potentia et sic quodammodo potest agere in intel- « lectum possibilem virtute luminis intellectus agentis, sicut et color « potest agere in visum virtute luminis corporalis ».

---

(1) QQ. dd. de Verit. q. 10. a. 6. ad 7.
(2) QQ. dd. de Verit. q. 10. a. 6. ad 8.

OBIECTIONES.

193. **Obiect. 1ª.** Si intellectus agens ageret in phantasma, deberet *a)* illud immutare; *b)* educere de eius potentia speciem intelligibilem; *c)* abstrahere aliquid ab eo. Atqui haec omnia repugnant, quia phantasma essentialiter alligatur conditionibus materiae individualis. Ergo vel non datur vel non agit in phantasma.

Resp. *Dist. mai. quoad 1um:* intellectus agens deberet immutare phantasma *entitative,* i. e. de materiali faciens illud immateriale, *Nego,* immutare *instrumentaliter*, coniungendo illud suae virtuti, *Conc. Quoad 2um Dist.* Educeret speciem intelligibilem de potentia *subiectiva* phantasmatis, *Nego,* de potentia *activa instrumentali, Conc. Quoad 3um* abstraheret a phantasmate per modum considerationis, *Nego,* per modum efficientiae, *Conc. Dist. min.* et *nego conseq.*

Obiect. 2ª. Causalitas instrumentalis phantasmatis erga intellectum possibilem repugnat. Nam 1° materiale nequit agere in immateriale, 2° elevatio phantasmatis vel aliquid ponit in phantasmate, vel nihil; si nihil, frustra est; si aliquid, hoc vel est accidens spirituale, vel materiale; primum repugnat phantasiae, nam accidens spirituale nequit subiectari in potentia materiali; secundum repugnat intellectui possibili; nam virtus materialis ex additione materialis accidentis nequit evadere apta ad agendum in subiectum immateriale.

Resp. ad 1.um Materiale nequit *propria virtute* agere in immateriale, *Conc.*, sub influxu virtutis immaterialis, cui deservit praebendo *materiam obiecti*, *Nego.* — *Ad 2um distinguo.* Elevatio nihil ponit in phantasmate *permanenter* et ad modum accidentis completi, *Conc.*, nihil ponit *transeunter*, scilicet per modum motus seu accidentis incompleti, *Nego. Dist. rat. addit.* Accidens seu virtus spiritualis non potest subiectari in re materiali *permanenter* et ad modum accidentis completi, *Conc.*, *transeunter* per modum motus seu accidentis incompleti, *Nego* et *nego conseq.* Nam virtus agentis principalis, quae transit per phantasma, utpote immaterialis, est proportionata ad movendum intellectum possibilem. Simili quodam modo radii luminosi candelae transeuntes per globum vitreum rubrum determinant in oculo visionem rubri coloris. Audi S. Thomam (1): « Instrumentum non operatur « nisi in quantum est motum a principali agente, quod per se ope- « ratur; et ideo virtus principalis agentis habet *permanens* et *com-* « *pletum esse* in natura; virtus autem instrumentalis habet esse *trans-*

(1) 3. p. q. 62. a. 4. in corp. et ad 1.

« *iens* ex uno in aliud et incompletum; sicut et motus est actus « imperfectus ab agente in patiens.

« Ad primum ergo dicendum, quod virtus spiritualis non potest « esse in re corporea per modum virtutis permanentis et completae. « Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instru- « mentaliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua sub- « stantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum » (1).

Quaerenti, *an virtus phantasmatis sub influxu intellectus agentis dici possit corporea vel incorporea?* **Respondebis** « quod virtus illa « neque potest dici corporea neque incorporea, proprie loquendo; cor- « poreum enim et incorporeum sunt differentiae entis completi, sed « proprie dicitur virtus *ad incorporeum*, sicut motus magis dicitur *ad* « *ens* quam ens: obiectio autem procedit ac si ista virtus esset quae- « dam forma completa (qq. dd. de Verit. l. c. ad 5.) ».

Quae in locis citatis ait S. Thomas occasione demonstrandae cau- salitatis Sacramentorum, multo magis valent de phantasmate, quod est ex se in supremo gradu illius immaterialitatis latiori seusu dictae quae requiritur ad sensiles operationes quodque in phantasia humana quae radicatur in anima intellectiva et ordinatur ad serviendum in- tellectui, attingit supremum gradum sensitivae immaterialitatis (cfr. n. 191.).

Obiect. 3ª. Phantasma se haberet ut exemplar relate ad intellectum agentem, ut hic ad eius normam causaret speciem in intellectu possibili. Atqui exemplar debet cognosci. Ergo vel causalitas phantasmatis nulla est, vel redundat intellectus agens.

Resp. *Dist. mai.* Si intellectus agens esset formaliter cognosci- tivus, *Conc.* (sed *nego suppositum*, quia causalitas phantasmatis non est exemplaris), si intellectus agens est tantum *efficienter* cognosci- tivus, *Nego. Conc. min.* et *nego conseq.* Nam phantasma se habet ut instrumentum elevandum ad hoc ut per efficientiam obiectivam con- currat ad causandam speciem intelligibilem. Id autem ab eo praestatur quum virtute transeunte intellectus agentis, quidditas, quam indivi- duatam referebat phantasma, incipit ad modum cuiusdam motus ha- bere relucentiam in phantasmate absque impedimento conditionum individualis materiae.

Dixi causalitatem phantasmatis non esse exemplarem, ne quidem relate ad intellectum formaliter cognoscitivum, cuiusmodi est intelle- ctus possibilis. Nam, nisi velimus verborum significationem funditus evertere, *exemplar est aliquid, quod praesupponitur iam actu cognitum*

(1) Cfr. qq. dd. de Verit. q. 27. a. 4. ad 4. 6. 7. 8.

antequam suum influxum exercere incipiat. Hic autem agimus de principiis activis, quae nos determinant ad cognitionem perficiendam, quaeque praecedunt actum formalis cognitionis. Quapropter repugnat ut phantasma, quod est instrumentum sub influxu intellectus agentis causativum speciei impressae, se habeat ut aliquid cognitum antequam species expressa ab intellectu possibili producatur.

Obiect. 4ª. Omnis actio intellectiva est intellectio. Sed actio intellectus agentis non est intellectio. Ergo non datur intellectus agens.

Resp. *Dist. mai.* Omnis actio intellectiva vel est intellectio *formaliter*, vel est intellectio *efficienter, Conc.*, est intellectio tantum *formaliter*, *Nego. Dist. min.* Actio intellectus agentis non est intellectio *formaliter, Conc.*, non est intellectio *efficienter*, *Nego. Nego conseq.* In eodem ordine debent principiis passivis respondere principia activa.

Obiect. 5ª. Potentia intellectiva esse debet unica. Sed admisso intellectu agente, haberemus in homine duplicem potentiam intellectivam. Ergo non datur intellectus agens.

Resp. *Dist. mai.* In eo ente intellectivo, cuius intellectus est semper in actu suorum intelligibilium, *Conc.*, in eo ente, cuius intellectus est in pura potentia ad sua intelligibilia, *Nego.* Nam sufficit ut sit unitas coordinationis nempe concurrendi suo modo ad ultimum terminum intellectionis producendum (cfr. n. 189.).

Obiect. 6ª.Intellectus agens est *sua actio.* Sed quod est *sua actio* semper agit: hoc autem non verificatur de intellectu nostro. Ergo non habemus intellectum agentem.

Resp. *Dist. mai.* Intellectus agens dicitur *sua actio per concomitantiam, Conc., per essentiam*, *Nego*, quia hoc est solius Dei. *Conc. min. Nego cons.* « Cum dicitur, quod intellectus agens est sua actio, est « praedicatio *non per essentiam sed per concomitantiam;* quia cum sit « in actu eius substantia, statim quantum est in se, concomitatur « ipsam actio: quod non est de intellectu possibili, quia non habet « actiones nisi postquam fuerit factus in actu » (1).

Obiect. 7ª. Intellectus agens indiget determinari ab extrinseco. Ergo alia vis ponenda est determinans intellectum agentem. Quapropter ne procedamus in infinitum, praestat negare existentiam intellectus agentis.

Resp. *Dist. antec.* Intellectus agens indiget determinari ab extrinseco, tamquam *a materia actus, Conc.*, tamquam *a motore potentiae*, *Nego et nego cons.* Activae potentiae a passivis non discriminantur in eo, quod activae potentiae operari valeant sine ullo obiecto, passivae

---

(1) 1. p. q. 54. a. 1. ad 1.

non valeant: sed discriminantur in eo quod obiectum expostulatur ab activis potentiis, ut moveatur ab eis, seu *ut materia actus ;* a passivis, ut moveat eas, *seu ut motor potentiae.* « Haec est differentia inter vir- « tutes activas et passivas: quod passivae non possunt exire in actum « propriae operationis, nisi moveantur a suis activis, sicut sensus non « sentit nisi moveatur a sensibili, sed virtutes activae possunt operari « sine hoc quod ab aliquo moveantur, sicut patet in viribus animae « vegetabilis » (1).

Obiect. 8ª. Fortasse intellectus possibilis determinatur non a specie impressa, quae sit similitudo abstracta rei materialis, sed a quadam alia determinatione. Ergo non necessario ponitur intellectus agens.

Resp. Etiamsi permitteretur antecedens, negandum esset consequens. Nam quaecumque sit determinatio causanda in intellectu possibili, ea connaturaliter causari deberet a virtute immateriali activa ipsius animae. Caeterum *negatur antecedens.* Nam omnis cognitio in assimilatione intentionali consistit, cuius principium *formaliter* determinans esse debet aliqua similitudo rei. Secus impossibile esset intellectui possibili producere verbum repraesentativum potius unius rei, quam alterius (cfr. n. 144.).

Instabis. Species impressa esset in nostra sententia repraesentatio intentionalis obiecti et tamen non esset cognitio. Atqui omnis repraesentatio intentionalis esse debet cognitio. Ergo perperam a nobis ponitur species impressa in nostro intellectu.

Resp. *Dist. mai.* Species impressa esset repraesentatio rei et tamen non esset *cognitio in actu secundo, Conc.*, non esset cognitio *in actu primo*, videlicet ultima dispositio potentiae ad producendum verbum, *Nego. Dist. min.* Quaelibet repraesentatio intentionalis debet esse cognitio vel *in actu primo* vel *in actu secundo*, *Conc.*, tantum *in actu secundo*, *Nego. Nego conseq.*

Obiect. 9ª. Species intelligibilis apud Scholasticos realiter distinguitur ab intellectu. Ergo est quaedam res ab intellectu distincta. Atqui si ita est, ipsa esset primum cognitum ab intellectu; quod a Scholasticis non admittitur. Ergo frustra ponitur.

Resp. *Dist. antec.* Species intelligibilis distinguitur ab intellectu ut actus a potentia determinata per ipsam, *Conc.*, distinguitur ut ens completum ab ente completo, *Nego. Reliqua negantur.* Species impressa in intellectu possibili constituit cum eo unicum principium adaequatum operationis, et ideo ab intellectu informato distinguitur *inadaequate* ut quaelibet pars sive formalis, sive materialis, sive integralis distinguitur *inadaequate* a suo toto.

---

(1) S. Th. in Boet. de Trinit. q. 1. a. 1.

Animadverte speciem intelligibilem non esse id quod intelligitur, sed speciem impressam esse id *quo* intellectus determinatur ad aliquid intelligendum, speciem autem expressam esse id *in quo* intellectus rem intelligit. Attamen, quum intellectus possit reflectere supra proprium actum, species expressa potest esse etiam *id quod secundario* intellectus intelligit. Sed id quod intelligitur primo est res exterior cuius quidditatis species intelligibilis est similitudo (1).

THESIS LXVI.

Intellectus noster in praesenti statu nequit actu intelligere ea quorum scientiam habet, absque concursu phantasmatum (2).

PROBATUR.

194. Summa argumentorum haec est: 1° *Experientia.* Nam *a)* phrenetici et lethargici nequeunt uti scientiis acquisitis; *b)* nos cum volumus aliquid intelligere vel alios docere, utimur aliqua imagine sensibili, saltem phantasmate vocabuli rem significantis. 2° *Modus operandi consequens unionem substantialem animae cum corpore.* Nam *a)* modus operandi sequitur modum essendi. Quum igitur anima intellectiva constituat cum materia unicum ens corporeum, necesse est ut ipsa operatio intellectiva habeat aliquam dependentiam a corpore. Sed non potest hanc habere quoad ipsam essentiam operationis, quae esse debet prorsus immaterialis. Ergo quoad *modum operandi*, nempe dependenter a concursu instrumentali phantasmatis. *b)* Quidditas rei materialis est obiectum proprium humani intellectus, qui eo mediante ordinatur ad veritatem assequendam. Atqui de ratione quidditatis materialis est, ut individuata existat a parte rei. Ergo ad hoc ut intellectus *verum conceptum* de re acquirat, atque ut recte iudicet de rebus sensibilibus et per harum analogias etiam de suprasensibilibus speculare debet naturam universalem in particulari existentem, quod efficere nequit absque conversione ad phantasmata.

Corollarium. Ideo iudicium intellectuale fallitur ligato sensu, ut contingit in dormientibus, quia resolvere nequit id, quod iudicat, in particulare sensibile. Quapropter ii, qui suas doctrinas inconsultis sensibus concinnant, de omnibus a priori iudicando, in plurimos labuntur errores. Huiusmodi sunt Transcendentalistae et Ontologi. Quare mirum non est si Fichtius suas conclusiones somniis aequiparaverit.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 85. a. 2.
(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 84. aa. 7. 8.

THESIS LXVII.

Memoria intellectiva, ratio et intellectus possibilis non sunt diversae potentiae.

PRAENOTIONES.

195. I. **Intellectus quatenus intellectus** importat facultatem immediate perceptivam quidditatis rerum et convenientiae praedicati cum subiecto; quare dici solet *facultas* vel *habitus principiorum.*

II. **Ratio quatenus ratio** importat facultatem per ratiocinium procedentem ex una veritate cognita in aliam; quare solet dici *facultas* vel *habitus conclusionum.*

III. **Memoria intellectiva** importat facultatem retentivam et reproductivam specierum intellectualium; unde dici solet *thesaurus conservativus specierum* et definitur, approbante S. Thoma (1): *Vis qua mens nostra retinere potest species intelligibiles post actualem considerationem.*

DEMONSTRATUR.

196. Quum potentiae diversificentur secundum diversas rationes obiectorum, non potest alia realis diversitas inveniri in potentiis, quae habent pro obiecto universalissimam rationem entis quatenus cognoscibile est, nisi quatenus una se habeat ut *activa*, alia ut *passiva* relate ad idem obiectum, quia actus et potentia sunt primo opposita. Atqui *intellectus possibilis*, *ratio* et *memoria intellectiva* non se habent ad invicem ut *activa* et *passiva* relate ad idem obiectum, sed intellectus possibilis se habet ut receptivus, memoria autem ut conservativa earumdem specierum; porro ad rationem potentiae passivae pertinet conservare sicut et recipere: ratiocinari autem comparatur ad intelligere, sicut moveri ad quiescere, vel acquirere ad habere, quae in ipsis rebus materialibus reducuntur ad eamdem potentiam. Ergo, exceptis intellectu agente et possibili, qui se habent ad invicem ut activum ad passivum, non datur alia realis distinctio inter facultates cognoscitivas intellectuales animae humanae.

Nota. Argumentum allatum valet etiam pro excludenda reali distinctione inter rationem superiorem et inferiorem, intelligentiam et intellectum, intellectum speculativum et practicum etc... Qui peculiarem demonstrationem de singulis cuperet, conferat S. Thomam l. c. art. 9. et seqq.

---

(1) QQ. dd. de Verit. q. 10. a. 2.

QUAESTIO XXV.

DE POTENTIIS APPETITIVIS IN COMMUNI.

THESIS LXVIII.

Pro duplici genere cognitionis, quod habetur in anima humana, *a)* duplex genus potentiae appetitivae in ea admittendum est, nempe sensitivum et rationale; ita tamen ut *b)* sensitivum in duas potentias distinctas, concupiscibilem et irascibilem, dividatur; *c)* rationale vero sit unica potentia quae vocatur voluntas (1).

PRAENOTIONES.

197. I. **Appetitus** *est tendentia in bonum conveniens.* Quum enim omnia tendant in bonum sibi conveniens: *bonum enim est id*, *quod omnia appetunt*, huiusmodi tendentia dicitur *appetitus.*

II. **Appetitus naturalis et appetitus elicitus.** *Tendentia* seu *inclinatio* in bonum conveniens consequitur formam uniuscuiusque sive naturalem sive cognitione apprehensam. Quapropter inclinatio in bonum conveniens, quae consequitur formam naturalem, sive substantialem sive accidentalem, vocatur *appetitus naturalis;* ea vero, quae consequitur bonum cognitione apprehensum, vocatur *appetitus elicitus*, qui dividitur in *sensitivum* et *intellectivum*, prouti respondet cognitioni sensitivae vel intellectivae. Appetitus sensitivus dicitur etiam *appetitus animalis*, intellectivus autem dicitur *voluntas*, quae definiri potest *facultas tendendi et quiescendi in bonum intellectu apprehensum tamquam conveniens.*

PROBATUR PRIMA PARS

(nempe appetitum sensitivum distingui ab intellectivo).

198. Potentiae diversificantur per obiecta formalia, quae relate ad potentias passivas sunt propria earum motiva. Iamvero obiectum formale appetitus sensitivi est diversum ob obiecto formali intellectivi. Etenim sensitivus movetur a particulari sensibili, intellectivus vero,

(1) Cfr. S. Th. 1. p. qq. 80. 81.

seu rationalis movetur ab universali intelligibili, quae rationes sunt formaliter diversae. Ergo potentia appetitiva sensitiva distinguitur a rationali (1).

Dices 1. Potentiae non diversificantur per accidentales differentias. Sed accidit appetibili, quod sit apprehensum per sensum vel intellectum. Ergo appetitus intellectivus et sensitivus non sunt diversae potentiae.

Resp. *Dist. mai.* Si differentia se teneat ex parte obiecti materialis qua talis, *Conc.*, si differentia se teneat ex parte obiecti formalis, *Nego.* Nam haec differentia est *per se* constitutiva obiecti formalis, in quantum huiusmodi (2).

Dices 2. Appetitus sive sensitivus sive intellectivus fertur in res secundum earum esse reale. Sed earum esse reale est singulare. Ergo nulla datur distinctio inter utrumque appetitum.

Resp. *Dist. mai.* Appetitus sensitivus et intellectivus feruntur omnino in easdem res, *Nego*, (nam voluntas fertur etiam in immaterialia bona); aliquando conveniunt in eo, ut ferantur in easdem res, *Subdist.* Secundum *eamdem rationem*, *Nego,* secundum *diversam rationem*, videlicet intellectus propter aliquam universalem rationem bonitatis in eis apprehensam, sensus autem propter particularem, *Conc. Conc. min. Nego conseq.* Quamvis enim esse rei sit singulare, tamen ratio propter quam res appetatur vel repudietur a voluntate esse potest aliqua ratio universalis, vi cuius quascumque res, quae in ea qualitate conveniunt, appetat vel repudiet eodem actu. Huic obiectioni respondet Angelicus (l. c.).

PROBATUR SECUNDA PARS

(nempe appetitum sensitivum dividi in concupiscibilem et irascibilem).

199. Particulare sensibile, quod movet appetitum sensitivum, potest apprehendi a sensu et sensibilitatem movere vel ut particulare delectabile prosequendum vel ut particulare tristabile avertendum. Iamvero hae rationes formaliter diversae nequeunt ad eamdem potentiam organicam referri, quia haec non potest universalem rationem boni vel mali apprehendere. Ergo necesse est, ut duplex admittatur potentia appetitiva sensitiva, una prosequutiva boni delectabilis, alia impugnativa mali nocentis.

Aliis verbis. Appetitus sensitivus, quum respondeat cognitioni sen-

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 80. a. 2.
(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 80. a. 2. ad 1.

sitivae, nequit respicere universalem rationem boni, sed necessario limitatur ad aliquam particularem rationem boni, quae ipsi respondeat, sicut proprium activum proprio passivo. Iamvero particularis ratio boni apprehensi in quantum est delectabile secundum sensum et conveniens naturae, est formaliter diversa a particulari ratione boni apprehensi in quantum est repulsivum et impugnativum eius quod infert nocumentum. Ergo duplex appetitiva potentia sensilis admittenda est, una quidem quae respicit bonum quatenus delectabile sensui, quaeque vocatur *concupiscibilis*, alia vero quae respicit bonum, quatenus est repulsivum nocumenti, licet haec repulsio non sit delectabilis sensui, quae potentia vocatur *irascibilis* (1).

Nota. *Passiones appetitus concupiscibilis* sunt amor, odium, desiderium, fuga, tristitia, delectatio seu gaudium. Quae passiones adhuc in specie infimas subdividi possunt. (Cfr. S. Th. 1ª 2ªᵉ q. 23. et seqq.).

Passiones appetitus irascibilis sunt spes, desperatio, audacia, timor, ira. Quae similiter in species infimas subdividi possunt (cf. S. Th. 1ª 2ªᵉ qq. 40.).

PROBATUR TERTIA PARS

(nempe appetitum rationalem esse unicam potentiam quae vocatur voluntas).

200. Haec pars est corollarium praecedentis. Nam si potentiae appetitus sensitivi ideo multiplicandae sunt, quia consequuntur apprehensionem boni particularis; appetitus rationalis, qui consequitur apprehensionem boni universalis, unica potentia sit oportet. Ergo voluntas, quae est talis potentia, est unica potentia appetitiva rationalis (2).

SCHOLIA.

201. 1. **De facultatate locomotiva.** Quum in vivente sensitivo apprehensionem sensitivae cognitionis consequatur appetitus elicitus boni sibi comparandi et mali devitandi, necesse fuit ut daretur viventi sensitivo facultas seu potentia locomotiva, per quam posset bonum cognitum et distans sibi comparare et fugere ab inferente malum. Sic ovis pergit ad fontem et fugit a lupo. Haec virtus vocatur a S. Thoma *virtus motiva sensitiva animalis*, quia consequitur apprehensionem et appetitum cognoscitivum et distinguitur a *virtute sensitiva*

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 81. a. 2.
(2) Cfr. 1. p. q. 85. a. 5.

naturali, quae licet sit propria animalis non consequitur apprehensionem et appetitum cognoscitivum, cuiusmodi est ea qua moventur arteriae et cor secundum dilatationem et constrictionem. De hac virtute habemus ex S. Thoma in opusculo 43, De Potentiis Animae Cap. 5.

« Viso de virtute sensitiva apprehensiva, videndum est de virtute « motiva. Motiva autem sensitiva dividitur: quia quaedam est natu- « ralis, quaedam animalis.

« Naturalis est quae non movet (1) per apprehensionem, nec est sub- « iecta imperio rationi; et talis est virtus vitalis et pulsativa quae « movet arterias et cor secundum dilatationem et constrictionem: et « huiusmodi est in corde sicut in proprio organo. Unde solum habet « esse in animalibus perfectis pulmonem et cor habentibus: et haec « vis per spirationem et respirationem est principium contemperandi « calorem cordis et corporis.

« Motiva animalis est, quae movet per apprehensionem: et haec « dividitur: quia quaedam movet per modum dirigentis, quaedam per « modum imperantis, quaedam per modum exsequentis. Motivae per « modum dirigentis sunt phantasia et aestimativa, in quantum appe- « titui ostendunt formam vel intentionem convenientem vel discon- « venientem: phantasia enim movet ostendendo formas sensibiles, « aestimativa ostendendo intentiones. Motivae autem imperantes et « facientes motum sunt concupiscibilis et irascibilis, quae sunt partes « appetitus sensitivi: concupiscibilis enim est vis imperans motum, ut « appropinquetur ad ea quae putantur necessaria vel utilia, et hoc « appetitu delectandi: irascibilis est vis imperans motum ad repellen- « dum id quod putatur nocivum vel corrumpens, et hoc appetitu vin- « dicandi aut vincendi. Vis exsequens motum istum est vis exterior, « diffusa est in musculis et lacertis et nervis membrorum.

« Advertendum tamen est, quod sensibilitas et sensualitas differunt. « Quia sensibilitas comprehendit omnes vires sensitivas, tam appre- « hensivas quam appetitivas. Sensualitas autem dicit proprie partem « animae sensibilis, per quam est motus ad prosequendum vel fugien- « dum quod apparet consentaneum vel dissentaneum voluptati animalis « et hoc est secundum ordinem ad imperium rationis. Unde sensualitas « licet praeexigat vires sensitivas apprehensivas quasi praeambulas, « tamen ad essentiam eius non pertinent, sed appetitus sensitivus. « Aestimativa etiam valde propinqua est sensualitati, quia sibi confinis « est, quia sensualitas dicit ordinem quemdam ad rationem. Ex quo « patet, quod in brutis non est sensualitas vocans ad peccatum, sed

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. De Verit. q. 22.

« in solis hominibus: in quibus propter ordinem eius ad rationem, est « porta corruptionis, et ianua culpae ».

II. **De facultate vocali** (1). Quum animal manifestare debeat suas passiones et cognitiones vel in bonum sui vel in bonum alterius, ut cum ovis balatu vocat agnum, quem genuit, ut eum lactet, provisa est animalibus perfectioribus virtus vocalis seu virtus edendi sonos ex gutture per os cum quadam imaginatione. *Vox enim est sonus ex animalis ore prolata cum quadam imaginatione.* Quum autem haec virtus sit quaedam virtus motiva animalis, movetur et ipsa ad suum actum in brutis quidem ab aestimativa, in homine vero ab imperio rationis. Perfectissima autem species virtutis vocalis nempe virtus *loquutiva* seu virtus edendi vocem perfecte articulatam competit animali rationali, nempe homini, ad suos conceptus et affectus aliis hominibus manifestandos.

---

(1) Vocis definitionem ex Aristotelis doctrina confecit et explicavit P. SYLVESTER MAURUS. Quaestiones Philos. Vol. 3. q. 44. « Hinc potest cum Aristotele (De Anima lib. 2. « c. 12) inferri definitio vocis; est enim *vox sonus editus ab animali ex percussione, et « allisione aeris respirati ad asperam arteriam, et epiglottidem, sive uvam, dependenter « ab imaginatione et appetitu, significativus molesti, ac iucundi.* Haec definitio explicat « quatuor causas vocis. Causa formalis est sonus editus ex percussione aeris ad asperam arteriam; causa materialis est aer et organa, in quibus sonus recipitur et formatur, ut est explicatum; causa efficiens instrumentalis sunt instrumenta ad aerem « allidendum et percutiendum; causa efficiens principalis est animal per imaginationem et appetitum movens organa ad vocem formandam; causa finalis est significatio « molesti, ac iucundi. Ideo enim vox data est animali, ut significet molestum, aut « iucundum ex cuius prosecutione vel fuga, qui sunt actus appetitus, emittunt vocem. « Locutio, quae est nobilissima species vocis articulatae ab homine, data est homini « ut significet etiam verum et falsum, honestum ac turpe. Ex hac definitione explicatur etiam differentia, per quam vox differt a sono, quem edimus tussiendo, allidendo aërem respiratum ad epiglottidem, qui sonus proprie non est vox quia non « editur per se dependenter ab imaginatione et appetitu, sed potest etiam edi sine « actu imaginationis, et appetitus ».

QUAESTIO XXVI.

DE VOLUNTATE

Voluntas seu *appetitus intellectivus* definiri potest *facultas tendendi et quiescendi in bonum intellectu apprehensum tamquam conveniens* (cfr. S. Th. 68.).

THESIS LXIX.

Quamvis voluntas *a)* nihil possit velle necessitate coactionis, temen *b)* naturali necessitate beatitudinem appetit; *c)* necessitate autem finis seu suppositionis appetit media necessaria ad assecutionem finis.

PRAENOTIONES.

202. I. **Necessitas naturalis — coactionis — finis.** Quum necessarium sit id quod non potest non esse, necessitas importat determinationem ad unum. Itaque *a)* dicitur *naturalis necessitas* ea, quae resultat ex causis intrinsecis, quae constituunt naturam rei, sic est naturaliter necessarium homini ut constet ex corpore et anima rationali. *b)* Dicitur *necessitas coactionis* ea, quae procedit mere ex causa extrinseca contra inclinationem agentis, sic necessarium est homini, qui trahitur ad supplicium, ut pergat ad supplicii locum. *c)* Dicitur *necessitas finis* seu *suppositionis* ea, quae oritur ex intentione finis, sic necessaria est navis ei, qui transfretare intendit.

II. **In Thesi loquimur de actibus elicitis a voluntate,** qui sunt amor, odium, electio etc. non autem de actibus a voluntate *imperatis,* qui eliciuntur ab aliis potentiis, puta scribere, legere, ambulare etc. Hi enim actus possunt fieri coacte, non autem primi.

III. **Adversarii.** Haec et plures ex sequentibus Thesibus, quae respiciunt libertatem humanae voluntatis et electionis, sunt contra DETERMINISTAS tum veteres tum recentiores, qui asserunt voluntatem *necessario* appetere quidquid appetit, eo quod *determinatur ab extrinseco* ad eligendum illud bonum particulare, quod ex adiunctis hic et nunc praestantius rationi apparet.

PROBATUR THESIS.

203. *Quoad 1um*. Repugnat ut aliqua actio sit simul secundum inclinationem potentiae operantis et contra inclinationem eiusdem. Atqui actus eliciti a voluntate, utpote voluntarii, sunt essentialiter secundum inclinationem eiusdem. Ergo voluntas nihil potest velle *necessitate coactionis.*

Quoad 2um. Quidquid aliquo modo est, est aliqua natura, quae habet necessariam ordinationem seu inclinationem ad proprium perfectivum ad quod ordinatur seu inclinatur per principium intrinsecum a Deo auctore naturae. Atqui proprium perfectivum voluntatis est beatitudo, quia voluntas nequit operari nisi vel tendendo in bonum assequendum, vel gaudendo de bono assequuto. Ergo voluntas tendit ad beatitudinem ut natura ad propriam formam, videlicet *naturali necessitate* (1).

Confirmatur. Finis se habet in operativis, sicut principium in speculativis. Ergo quemadmodum impossibile est ad conclusiones certas pervenire sine principiis, quibus immobiliter intellectus assentiatur, ita impossibile est ut voluntas particularia bona eligat, nisi immobiliter adhaereat naturali necessitate ultimo fini, seu beatitudini (2).

Quoad 3um. Ea quae habent meram rationem mediorum ad aliquem finem, non sunt propter se amabilia a voluntate, sed ratione finis, et ideo non appetuntur a voluntate alio appetitu seu tendentia, quam eo quo appetit finem. Ergo, supposito quod voluntas velit aliquem finem, ea necessitate vult media ad finem necessaria, qua vult ipsum finem. Ergo admittendum est voluntatem necessitate finis seu suppositionis appetere media necessaria ad assecutionem finis.

Integra Thesis pulcherrime demonstratur a S. Thoma 1. p. q. 82. a. 1. ubi etiam difficultates propositae et solutae inveniuntur.

---

(1) Cf. S. Th. qq. dd. de Verit. q. 22.
(2) 1. p. q. 82. a. 1.

THESIS LXX.

Quum voluntas sit appetitus boni universalis seu beatitudinis in genere, quae obiective in ipsius finis seu Summi Boni fruitione consistit, non necessitatur ad ea particularia bona volenda quae non sunt vel non apprehenduntur connexa necessario cum sua beatitudine. *Quapropter quoad huiusmodi bona voluntas libertate indifferentiae praedita est.*

PRAENOTANDUM.

204. I. **Libertas indifferentiae** dicitur immunitas a necessitate in aliquo bono appetendo. Quae indifferentia, seu *indeterminatio ad unum*, non est *passiva*, quae indiget ab extrinseco determinari et importat imperfectionem, sed est *activa* et importat perfectionem, nempe vim intrinsecam seipsum determinandi ad unum potius quam ad aliud. Hanc virtutem esse propriam viventium vita intellectiva, et eo plenius possideri, quo vita intellectiva est perfectior, apparebit ex inferius dicendis.

II. **Indeterminatio activa voluntatis** potest haberi tripliciter:

a) Quoad ipsum actum volitionis. Potest enim voluntas libere ponere actum volitionis et cessare ab eo. Cum enim voluntas moveat seipsam, potest velle et non velle. S. Thomas (1) haec habet: « Est « voluntas indeterminata respectu actus, quia circa obiectum determinatum potest uti actu suo cum voluerit, vel non uti: potest enim « exire in actum volendi respectu cuiuslibet, et non exire, quod in « rebus naturalibus non contingit, grave enim semper descendit deor- « sum in actu, nisi aliquid prohibeat. Quod exinde contingit, quod res « inanimatae non sunt motae a se ipsis, sed ab aliis, unde non est in « eis moveri vel non moveri, res autem animatae moventur a se ipsis, « et inde est quod voluntas potest velle et non volle ». Si autem ulterius quaeras, cur voluntas, quae necessario fertur in beatitudinem, possit abstinere a quacumque actu, respondemus posse in statu viae, in quo nullus actus voluntatis apprehenditur a volente ut necessario connexus cum sua beatitudine. Dum contra Beati, qui vident Divinam Essentiam, non possunt ab actu eam amandi desistere.

b) Quoad obiectum. Voluntas enim est indeterminata quoad unumquodque obiectum, quod apprehendit tamquam non necessario connexum cum sua beatitudine, ad quam per alia media pervenire potest.

(1) QQ. dd. de Verit. q. 22. a. 6.

c) Quoad ordinem in finem ultimum. Potest enim creata voluntas eligere bona conducentia in finem ultimum vel bona abducentia ab eo, idest bene vel male agere. Etenim propter defectum in apprehendendo et conferendo potest indebite appetere tamquam verum bonum, conducens ad veram beatitudinem, id, quod utpote a vera beatitudine abducens non est verum bonum. Quae indeterminatio, quum importet imperfectionem nempe potentiam ad deficiendum a rectitudine ordinis in finem ultimum, nequit habere locum in voluntate perfecta, quae deficere nequit: unde nec in Deo nec in Beatis dari potest (1).

III. **Ex hac triplici indeterminatione exoritur triplex divisio libertatis,** i. e, *exercitii*, *specificationis*, *defectibilitatis*. Etenim *a)* ex indeterminatione voluntatis *quoad actum* exoritur *libertas exercitii* seu *contradictionis*, qua possumus libere velle et nolle, idest ponere vel non ponere actum volitionis, quaeque dicitur *libertas contradictionis,* quia velle et nolle sunt termini contradictorii;

b) ex indeterminatione voluntatis *quoad obiectum* exoritur *libertas specificationis* seu *contrarietatis*, qua possumus libere velle unum obiectum prae alio, puta equitare vel navigare vel deambulare. Quae libertas dicitur *specificationis*, quia est quoad ipsa obiecta per quae actus specificantur; dicitur etiam *contrarietatis*, quia non est inter terminos contradictorios, sed contrarios;

c) ex indeterminatione voluntatis quoad *ordinem in finem ultimum* exoritur ea libertas, quae vocari potius deberet *indefectibilitatis libertatis*, quia supponit voluntatem omnino imperfectam, quae deficere potest a recto ordine in finem ultimum. Neque dicas voluntatem necessario appetere beatitudinem implicite in omni bono quod appetit, et ideo semper bene agere. Nam, ut cum S. Thoma respondeamus: « Si « aliquis per rationem erroneam deducatur, ut appetat aliquid speciale « ut suam beatitudinem, puta corporales delectationes, in quibus ta- « men secundum rei veritatem sua beatitudo non consistit, sic appe- « tendo beatitudinem, demeretur, *non quia appetit beatitudinem*, sed « quia *indebite appetit hoc, ut beatitudinem, in quo beatitudo non* « *est* » (2).

PROBATUR THESIS.

205. I. Quaemadmodum intellectus se habet ad prima principia, sic voluntas, quae est appetitus intellectivus, se habet ad ultimum finem. Etenim finis se habet in operabilibus, sicut prima principia in speculativis. Et ideo quemadmodum intellectus non necessario assentitur

---

(1) Cfr. S. Th. l. c.
(2) QQ. dd. de Verit. q. 22. a. 7.

propositionibus contingentibus, quae non necessario connectuntur cum primis principiis, similiter voluntas, quae est appetitus beatitudinis non appetit necessario ea bona, quae non habent necessariam connexionem ad suam beatitudinem. Porro bona particularia creata sunt huiusmodi, vel enim non sunt necessario connexa com obiecto reali nostrae beatitudinis, vel saltem in praesenti statu non apparent necessario connexa cum eo. Ergo voluntas huiusmodi bona non necessario appetit, videlicet quoad ea praedita est libertate indifferentiae (1).

II. Bona particularia creata, quum sint finita, non habent omnimodam rationem boni, haec enim competit unice Deo, qui est ipsa plenitudo bonitatis seu ipsa Bonitas per se subsistens. Atqui quae sunt huiusmodi non necessario movent voluntatem, quia haec potest vel inclinari in ea ratione boni quod habent, vel ab eis averti ratione defectus bonitatis, qui in eorum finitudine necessario adest. Ergo voluntas ad bona particularia creata appetenda non necessitatur, seu quoad haec libertate indifferentiae praedita est.

III. Ille appetitus est determinatus ad aliquod bonum particulare necessario appetendum, qui quum sit facultas organica, consequitur apprehensionem boni particularis et iudicium naturale sibi determinatum ab Auctore naturae ad bonum aliquod prosequendum. Dum contra appetitus inorganicus, qui consequitur apprehensionem boni universalis et cognitionem habitudinis finis atque mediorum et cui ratio proponit plura obiecta tamquam deficientia bona, non potest esse naturaliter determinatus ad aliquod ex huiusmodi bonis praeeligendum, sed seipsum libere determinat. Iamvero voluntas est talis facultas appetitiva immaterialis. Ergo impossibile est ut quoad bona particularia creata voluntas sit ad unum determinata.

Hoc argumentum ita pulcherrime proponit S. Thomas (2): « Sicut « in aliis rebus est aliquod principium propriorum actuum, ita etiam « in hominibus. Hoc autem activum sive motivum principium in ho- « minibus proprie est intellectus et voluntas. Quod quidem principium « partim convenit cum principio activo in rebus naturalibus, partim « ab eo differt. Convenit quidem, quia sicut in rebus naturalibus in- « venitur forma, quae est principium actionis et inclinatio consequens « formam, quae dicitur appetitus naturalis, ex quibus sequitur actio; « ita in homine invenitur forma intellectiva, et inclinatio voluntatis « consequens formam apprehensam ex quibus sequitur exterior actio; « sed in hoc est differentia, quia forma rei naturalis est forma indi-

(1) Cfr. 1. p. q. 82. a 2.
(2) QQ. dd. de Malo. Quaest. 5. art. unic.

« viduata per materiam, unde et inclinatio ipsam consequens est de- « terminata ad unum, *sed forma intellecta est universalis*, sub qua multa « possunt comprehendi, unde cum actus sint in singularibus, in quibus « nullum est quod adaequet potentiam universalis, remanet inclinatio « voluntatis indeterminate se habens ad multa, sicut si artifex con- « cipiat formam domus in universali sub qua comprehenduntur diversae « figurae domus, potest voluntas eius inclinari ad hoc quod faciat do- « mum quadratam vel rotundam, vel alterius figurae. Principium autem « activum in brutis animalibus medio modo se habet inter utrumque. « Nam forma apprehensa per sensum est individualis, sicut et forma « rei naturalis, et ideo ex ea sequitur inclinatio ad unum actum sicut « in rebus naturalibus, sed tamen non semper eadem forma recipitur « in sensu, sicut in rebus naturalibus, quia ignis est semper calidus; « sed nunc una, nunc alia, puta nunc forma delectabilis, nunc tristis, « unde nunc fugit, nunc prosequitur, in quo convenit cum principio « activo humano ».

Insuper (1): « In rebus, quae moventur, vel aliquid agunt, haec « invenitur differentia, quod quaedam principium sui motus vel ope- « rationis in seipsis habent, quaedam vero extra se, sicut ea quae per « violentiam moventur, in quibus principium est extra, nil conferente « vim passo: in quibus *liberum arbitrium* ponere non possumus, eo quod « non sunt causa sui motus: LIBERUM AUTEM EST QUOD SUI CAUSA « EST etc. » Conferatur integer locus.

Nota. Difficultates quamplurimas propositas atque solutas invenies apud S. Thomam in locis citatis. Aliquas tamen in forma solutas subnectimus. Sed in antecessum advertendum est motionem voluntatis distinguendam esse in *subiectivam* et *obiectivam*. Prima requiritur *ad exercitium* actus voluntatis, altera ad eius *determinationem* et *specificationem*. Quoad primam voluntas nunquam necessitatur, quoad secundam non necessitatur a bonis particularibus, quamvis necessitetur ab ipso reali obiecto suae beatitudinis, quod est ipsum Summum Bonum.

OBIECTIONES.

206. **Obiect. 1.**[a] Obiectum voluntatis comparatur ad ipsam, sicut movens ad mobile. Sed motus mobilis necessario consequitur ex movente. Ergo obiectum voluntatis ex necessitate eam movet.

Resp. *Dist. mai.* Obiectum voluntatis comparatur ad ipsam ut movens ad mobile mere passivum, quod non movet seipsum quoad exer-

(1) In DD. QQ. de Verit. q. 24. a. 1.

citium actus, *Nego*, ut movens ad mobile quod movet seipsum quoad exercitium actus, *Subdist.* Ita ut omne obiectum excedat et vincat potentiam voluntatis, *Nego*, ita ut eam excedat tantum illud obiectum, quod est Summum Bonum undequaque perfectum, *Conc. Contrad. min.* Si movens excedat potentiam mobilis, *Conc.*, secus, *Nego. Dist. conseq.* Necessario movet voluntatem ipsum Summum Bonum, in cuius fruitione voluntatis beatitudo consistit, *Conc.*, bona particularia finita, *Nego.* Solutio patet ex supra dictis. S. Thomas ita respondet: « Ad *secundum* « dicendum, quod movens tunc ex necessitate causat motum in mobili, « quando potestas moventis excedit mobile, ita quod tota eius possi- « bilitas moventi subdatur. Cum autem possibilitas voluntatis sit re- « spectu boni universalis et perfecti, non subiicitur eius possibilitas « tota alicui particulari bono, et ideo non ex necessitate movetur ab « illo » (1. p. q. 2. a. 2. ad 2.).

Obiect. 2ª. Sicut apprehensum secundum sensum est obiectum appetitus sensitivi, ita apprehensum secundum intellectum est obiectum intellectivi appetitus, qui dicitur voluntas. Sed apprehensum secundum sensum ex necessitate movet appetitum sensitivum. Ergo apprehensum secundum intellectum ex necessitate movet voluntatem.

Resp. *Dist. mai.* Quatenus unumquodque moveat potentiam sibi respondentem, modo convenienti eius naturae, *Conc.*, quatenus utrumque eodem prorsus modo moveat potentias sibi respondentes, *Nego. Conc. min. Nego conseq.* Solutio patet ex superius demonstratis. S. Thomas ita respondet: « *Ad tertium* dicendum, quod vis sensitiva non est « vis collativa diversorum, sicut ratio, sed simpliciter aliquid unum « apprehendit, et ideo secundum illud unum determinate movet ap- « petitum sensitivum. Sed ratio est collativa plurium, et ideo ex plu- « ribus moveri potest appetitus intellectivus, scilicet voluntas, et non « ex uno ex necessitate » (l. c. ad 3.).

Obiect. 3ª. Quemadmodum se habent praemissae ad conclusiones in demonstrabilibus, ita se habent fines ad media in appetibilibus. Sed mens assentiendo praemissis necessario assentitur conclusionibus. Ergo etiam voluntas quae necessario appetit beatitudinem necessario appetit bona particularia, quae sunt media ad beatitudinem.

Resp. *Dist. mai.* Hoc sensu quod, sicut praemissae sunt ratio cur mens assentiatur conclusionibus, ita finis est ratio cur voluntas appetat media, *Conc.*, hoc sensu, quod singula media habeant eamdem necessitatem connexionis cum fine, quam habent conclusiones cum praemissis, *Nego.* Non enim singula bona particularia sunt necessario connexa cum beatitudine, quae potest haberi sine illis. Dum contra in recta ratiocinatione, remota veritate conclusionis, removetur veritas

praemissarum, *Conc. min. Dist. cons.* Voluntas appeteret necessario ea bona particularia, quae apprehenderet necessario connexa cum sua beatitudine, *Conc.*, necessario appeteret omnia bona particularia, *Nego.* Haec etiam solutio patet ex demonstratis in Thesibus praecedentibus.

Obiect. 4ª. Voluntas non potest velle malum. Atqui quod est huiusmodi, appetit necessario bonum. Ergo voluntas ex necessitate vult bonum.

Resp. *Dist. mai.* Voluntas non potest velle purum malum, *Conc.*, non potest velle malum, quod sit privatio boni in bono, *Subd.* Sub ratione mali, *Conc.*, sub ratione apparentis boni, *Nego. Dist. min.* Appetit necessario unumquodque bonum, *Nego*, quidquid appetit, etiamsi libere appetat, tamen semper sub ratione formali boni, *Conc. Dist. cons.* Voluntas si aliquid vult, necessario illud appetit sub formali ratione boni, *Conc.*, necessario appetit unumquodque bonum, *Nego.* In obiectione adest aequivocatio manifesta. Necessitas enim, quae afficit obiectum formale, transfertur ad obiecta materialia. Quum enim obiectum formale voluntatis sit ratio bonitatis, necesse est ut, si voluntas aliquid appetit, appetat sub ratione boni. Ex hoc autem minime sequitur voluntatem necessario appetere deficientia bona, vel ea quae dicuntur mala quia habent rationem mali vel propter privationem alicuius perfectionis sibi debitae, vel propter defectum rectae ordinationis ad ultimum finem, vel quia sunt ipsae privationes. Quamvis quum ea appetit, feratur in ea sub ratione alicuius bonitatis, quam in eis deprehendit. Sic qui vitam sibi adimit, appetit mortem, quia bonum sibi videtur per mortem effugere aerumnas huius vitae (1).

Obiect. 5ª. Non potest eadem causa producere effectus diversos. Sed velle aliquod bonum et illud nolle sunt diversi effectus. Ergo voluntas bonum sibi propositum non potest non velle, et ideo necessitatur ad illud volendum.

Resp. *Dist. mai.* Si effectus adaequant virtutem causae, *Conc.*, secus, *Nego. Contrad. min.* Qui tamen non adaequant virtutem voluntatis, *Conc.*, qui eam adaequant, *Nego.* et *Nego conseq.*

Obiect. 6ª. Liberum arbitrium definitur liberum de ratione iudicium. Iudicium vero rationis cogi potest virtute demonstrationis. Ergo arbitrium hominis revera non est liberum.

Resp. *Dist. mai.* Ita ut materia huius iudicii sint bona deficientia eligibilia, *Conc.*, ita ut sint conclusiones speculativae, *Nego. Contrad. min.* Cogi potest demonstratione iudicium rationis circa conclusiones speculativas, *Conc.*, iudicium rationis circa bona deficientia eligibilia,

---

(1) Cfr. S. Th. 1. 2. q. 8. a. 1.

Nego. Nego conseq. « Dicendum, quod iudicium cui attribuitur libertas « est iudicium electionis, non autem iudicium, quo sententiat homo de « conclusionibus in scientiis speculativis, nam ipsa electio est quasi « quaedam scientia de praeconsiliatis ». (S. Th. qq. dd. de Verit. q. 24. a. 1. ad 17.). Quae responsio adhuc melius patebit ex dicendis de electione et consilio.

Obiect. 7ª. Omne quod movet motum est sicut instrumentum. Instrumentum autem non est liberum ad agendum, cum non agat nisi secundum quod aliquis eo utitur. Cum ergo mens humana non operetur nisi mota a Deo, videtur quod non sit liberi arbitrii.

Resp. *Dist. mai.* Est sicut instrumentum vel *proprie* dictum, vel *communiter* seu *late* dictum, prouti movetur vel ab artifice vel a prima Causa, *Conc.*, est semper sicut instrumentum *proprie* dictum, *Nego. Contrad. min.* Instrumentum proprie dictum, *Conc.*, instrumentum late dictum, *Subdist.* Si eius natura importat ut determinetur ad unum, *Conc.*, si eius natura importat ut non determinetur ad unum, *Nego. Nego conseq.* Deus, quum sit prima causa, movet res secundum exigentiam naturae earumdem, ut patebit, quum agemus de Divino Concursu. Interim audiatur S. Thomas (qq. dd. De Verit. q. 24. a. 1. ad 5.). « Dicendum quod instrumentum dupliciter dicitur, uno modo *proprie*, « quando scilicet aliquid ita ab altero movetur quod non confertur ei « a movente aliquid principium talis motus, sicut serra movetur a « carpentario, et tale instrumentum est expers libertatis. Alio modo « dicitur instrumentum magis *communiter* quidquid est movens ab alio « motum, sive sit in ipso principium sui motus, sive non: et sic ab « instrumento non oportet quod omnino excludatur ratio libertatis, « quia aliquid potest esse ab alio motum, quod tamen seipsum movet « et ita est de mente humana ».

Obiect. 8ª. Quidquid est in potentia, non potest ex seipso reduci in actum. Atqui voluntas nostra est in potentia ad bona particularia. Ergo non potest ex seipsa reduci in actum, sed ab alio, nempe a Deo, et ideo determinatur ad unum.

Resp. *Dist. mai.* Quod est in pura potentia non potest ex seipso reduci in actum, *Conc.*, quod est partim in potentia et partim in actu, non potest ex seipso reduci in actum, *Nego.* Nam secundum id secundum quod est in actu potest movere seipsum quoad id ad quod est in potentia. *Contrad. min.* Voluntas est in pura potentia quoad bona particularia, *Nego,* est partim in potentia et partim in actu, videlicet est iam in actu quoad beatitudinem in genere, vi cuius movet seipsam ad particulare bonum eligendum, *Conc. Nego cons.* Simili obiectioni ita respondet S. Thomas (qq. dd. De Malo q. 6. art. unic.) « *Ad vicesimum*

« dicendum, quod idem secundum idem non movet seipsum, sed se- « cundum aliud potest seipsum movere. Sic enim intellectus, inquan- « tum intelligit actu principia, reducit seipsum de potentia in actum « quantum ad conclusiones, et voluntas inquantum vult finem, reducit « se in actum quantum ad ea quae sunt ad finem » (1).

Obiect. 9ª. Quidquid Deus praescit, necesse est evenire, cum praescientia Dei falli non possit. Sed omnes actus humanos Deus praescit. Ergo de necessitate eveniunt, et ita homo non est liberi arbitrii ad agendum.

Resp. *Dist. mai.* Quod Deus praescit, necesse est evenire *necessitate hypothetica*, *Conc.*, *necessitate absoluta*, *Nego. Conc. min. Dist. cons.* Eveniunt necessitate absoluta, *Nego*, necessitate hypothetica, *Conc.* Solutio melius patebit ex dicendis in Theologia de Divina Praescientia, quae non infert necessitatem praescitis. Interim verba S. Thomae hanc difficultatem solventis afferimus (qq. dd. De Verit. q. 24. a. 1.). « Ad 13 « dicendum, quod ex praescientia Dei non potest concludi quod actus « nostri sint necessarii necessitate absoluta, quae dicitur necessitas « consequentis, sed necessitate conditionata, quae dicitur necessitas « consequentiae, ut patet per Boetium etc. ».

Reliquas difficultates et solutiones conf. apud S. Thomam in locis citatis, atque praesertim in qq. dd. De Malo quaest. 6. art. unic.; De Veritate q. 22. a. 6. et q. 24. a. 1.

THESIS LXXI.

Voluntas et intellectus sunt diversae potentiae.

PROBATUR.

207. Diversitas potentiarum desumitur ex diversitate obiectorum formalium. Atqui obiectum formale intellectus est diversum ab obiecto formali voluntatis. Etenim intellectus respicit rem, in quantum esse potest in anima per modum animae et non per modum sui, idest intentionaliter, non realiter; voluntas autem respicit rem inquantum anima inclinatur ad eam, inquantum res est in seipsa, idest ad eam realiter, et non intentionaliter tantum, possidendam, quae duae rationes sunt formaliter diversae. Ergo intellectus est alia potentia a voluntate (2).

208. **Dices 1.** Voluntas in ratione est. Ergo vel est idem quod ratio, vel pars rationis. Sed ratio est eadem potentia cum intellectu. Ergo et voluntas.

Resp. *Dist. antec.* Voluntas est in ratione hoc sensu, quod est ap-

(1) Cfr. 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3.
(2) Cfr. S. Th. qq. dd. de Verit. a. 22. a. 10.

petitus rationalis, qui utpote immaterialis, pertinet cum ratione ad eamdem animae partem, *Conc.*, hoc sensu, quod est idem cum ea facultate, quae vocatur ratio, *Nego. Similiter distinguo primum consequens*, *Concedo minorem* et *Nego conseq.* « Dicendum quod potentia dupliciter « potest considerari, vel in ordine ad obiectum, vel in ordine ad es- « sentiam animae, in qua radicatur. Si ergo voluntas consideratur in « ordine ad obiectum, sic ad aliud genus animae pertinet, quam intel- « lectus, et sic voluntas contra rationem et intellectum distinguitur. « Si vero voluntas consideretur secundum id, in quo radicatur, sic, « cum voluntas non habeat organum corporale, sicut nec intellectus, « voluntas et intellectus ad eamdem partem animae reducentur. Et sic « quandoque intellectus vel ratio sumitur, prout includit in se utrum- « que, et sic dicitur quod voluntas est in ratione, et secundum hoc « rationale includens intellectum et voluntatem dividitur contra ira- « scibile et concupiscibile. » S. Thomas (qq. dd. de Verit. q. 22. a. 10. ad 2.).

Dices 2. Ubicumque invenitur idem obiectum re et ratione, est una potentia. Sed voluntatis et intellectus practici est idem obiectum re et ratione, videlicet bonum. Ergo intellectus practicus non est alia potentia quam voluntas. Sed intellectus speculativus non est alia potentia, quam practicus, quia intellectus speculativus per extensionem fit practicus. Ergo voluntas et intellectus sunt una potentia.

Resp. ad primum syllogismum. *Conc. mai. Nego min.* Nam obiectum intellectus practici non est bonum, sed verum relatum ad opus.

THESIS LXXII.

a) **Voluntas movet tum intellectum tum alias potentias per modum causae efficientis, idest quoad exercitium actus.** *b)* **Intellectus autem movet voluntatem per modum proponentis obiectum seu finem, idest quoad specificationem actus (1).**

PROBATUR.

209. *Quoad 1um. a)* In agente intellectivo movere per modum causae efficientis est illius potentiae, quae comparatur ad res secundum quod hae in seipsis sunt. Nam causa efficiens movet educendo mobile de potentia in actum; quod fit secundum esse reale. Atqui talis est voluntas, quae inclinatur ad res secundum esse reale, quod in seipsis habent. Ergo voluntati competit agere per modum causae efficientis.

---

(1) Cfr S. Th. 1. p. q. 32. a. 4.; 1. 2. q. 9. a. 1.; qq. dd. de Verit. q. 22. a. 12.

b) Insuper actus voluntatis est quaedam inclinatio actualis in aliquid, non autem actus intellectus. Inclinatio autem est dispositio moventis secundum quod efficiens movet. Ergo voluntas movet per modum causae efficientis, non intellectus.

Quoad 2um. Ad actionem habendam praeter causam agentem requiritur ratio agendi, quae in agente intellectivo est finis, qui quâ talis nequit habere aliud esse nisi intentionale: finis enim est prior in intentione et ultimus in exsecutione. Iamvero in agente intellectivo movere per modum proponentis finem est illius potentiae, quae comparatur ad res secundum quod sunt per modum spirituale in anima, idest secundum esse intentionale. Ergo intellectui, qui est talis potentia, competit movere per modum proponentis finem.

Nota 1. Cum intellectus moveat voluntatem quoad specificationem et voluntas moveat intellectum quoad exercitium, hoc praestant secundum diversa. Quapropter nulla est contradictio, quod idem sit movens et motum.

Nota 2. Obiectum voluntati ab intellectu propositum, non movet voluntatem in ratione causae efficientis, vel stricte formalis, sed in ratione causae finalis.

Nota 3. Cum voluntas non agat nisi propter finem, finis autem proponatur ab intellectu, necesse est ut aliquis actus intellectus praecedat primum actum voluntatis. Voluntas autem semel actuata movere potest intellectum ad ulteriores operationes, puta ad alias apprehensiones, iudicia, ratiocinationes.

OBIECTIONES.

210. **Obiect. 1^a.** Movens est naturaliter prius moto. Sed voluntas est posterior intellectu, nihil enim amatur, vel desideratur nisi cognitum. Ergo voluntas non movet intellectum.

Resp. *Dist. mai.* Si sit movens immobile, *Conc.*, si sit movens mobile, *Subdist.* Est prius moto sub eo respectu, sub quo est movens, *Conc.*, sub eo respectu, sub quo est mobile, *Nego. Contrad. min.* Voluntas est sub aliquo respectu posterior intellectu, *Conc.*, sub omni respectu, *Nego. Conc. rat. add. Dist. conseq.* Voluntas non movet intellectum quoad primam apprehensionem, *Conc.*, quoad alias apprehensiones, *Nego.* Solutio plenius patebit ex dicendis de electione et de motivo voluntatis (1).

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 82. a. 4. ad 1.

Obiect. 2ª. Nihil velle possumus, nisi fuerit intellectum. Sed si voluntas movet ad intelligendum, alius actus intelligendi deberet praecedere actum voluntatis, et ita procedendum foret in infinitum, quod repugnat. Ergo voluntas non movet intellectum.

Resp. *Conc. mai. Dist. sequel. minoris.* Si ad omnem actum intellectus moveri deberet a voluntate, *Conc.*, si tantum ad actus consequentes primam apprehensionem, *Nego. Nego conseq.* « Ad 3. dicendum « quod non oportet procedere in infinitum, sed statur in intellectu « sicut in primo. Omnem enim voluntatis motum necesse est quod « praecedat apprehensio, sed non omnem apprehensionem praecedit « motus voluntatis, sed principium considerandi et intelligendi est ali- « quod intellectivum principium altius intellectu nostro, quod est Deus, « ut etiam Aristoteles dicit (Ethic. lib. VIII. cap. 18.), et per hunc « modum ostendit quod non sit procedere in infinitum » (1. p. q. 82. a. 4.

Obiect. 3ª. Omnis potentia passiva movetur a suo obiecto. Sed voluntas est potentia passiva, cuius obiectum est bonum intellectum vel apprehensum. Ergo intellectus movet voluntatem, et non e converso.

Resp. *Dist. mai. Quoad specificationem, Conc., quoad exercitium, Subdist.* Si sit mere passiva, *Conc.*, si sit simul passiva et activa, *Nego. Contrad. min. Dist. conseq.* Intellectus movet voluntatem quoad specificationem, *Conc.*, quoad *exercitium*, *Nego.* « Dicendum quod ratio illa « ostendit quod intellectus movet per modum finis, hoc enim modo se « habet bonum apprehensum » (S. Th. qq. dd. de Verit. q. 22. a. 12. ad 3.). Movere autem per modum finis importat *motionem* et *efficientiam metaphorice* dictas. Illud enim proprie movet et efficit aliquid quod per actualitatem sui esse et suae virtutis operativae causat aliquam realitatem in subiecto moto. Porro finis (ex. gr. sanitas), quamvis sit primus in intentione, tamen nondum habet esse, quum sit ultimus in exsecutione. Et ideo quando aliquis assequutus est realiter finem suum, cessat moveri in finem (1).

Obiect. 4ª. Una potentia dicitur aliam movere propter imperium quod habet super eam. Imperare autem est actus rationis. Ergo rationis est movere alias potentias, non voluntatis.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Dependendenter a voluntate, et tamquam proponentis ordinem mediorum ad finem, *Conc.*, independenter a voluntate, et tamquam absolute determinantis actualem exsecutionem, *Nego. Nego cons.* Solutio adhuc melius patebit ex dicendis de electione.

---

(1) Cfr. S. Th. in lib. 1. De Generatione Lect. 20. et Summae 1. p. q. 5. a. 4. c. et ad 2.

THESIS LXXIII.

Intentio seu intendere est actus voluntatis quatenus praesupponit actum rationis (1).

PRAENOTIONES.

211. I. Finis respectu voluntatis potest tripliciter considerari, nempe *a)* vel quatenus absolute et immediate est volitus; *b)* vel quatenus iam est acquisitus; *c)* vel quatenus ad eum acquirendum ordinantur opportuna media.

II. Actus, qua voluntas absolute vult finem, vocatur simpliciter *volitio*, actus, quo fine possesso gaudet, vocatur *fruitio*, actus, quo vult per opportuna media tendere in finem, vocatur *intentio* (Cfr. S. Th. 1.2. q. 11. a. 1. ad 3.). Unde, qui absolute vult sanitatem, dicitur *eam simpliciter velle;* qui sanus est, dicitur *sanitate frui;* qui medicinam propter sanitatem vult, dicitur *sanitatem intendere.*

III. Quare *intentio* definiri potest *motus voluntatis in finem, quatenus per ordinata media acquisibilem*, vel etiam verbis S. Thomae (de Ver. q. 22. a. 14.) dicitur « inclinatio voluntatis in finem secundum quod ad finem terminantur ea, quae sunt in finem ».

PROBATUR THESIS.

212. *a)* Illius est potentiae intentio, cuius est tendere seu inclinari in finem. Atqui voluntatis est huiusmodi tendentia seu inclinatio, quia voluntas est appetitus intellectivus. Ergo intentio est actus voluntatis.

b) Ad hoc ut voluntas tendat in finem per opportuna media, non sufficit cognitio finis, sed praerequiritur cognitio et ordinatio mediorum ad finem. Atqui haec ordinatio cognoscitiva est in homine actus rationis. Etenim ordinare plura ad aliquid est proprius actus cognoscentis naturam et proportionem mediorum ad finem et conferentis haec ad invicem, quae omnia a nobis per iudicia et ratiocinia fiunt. Ergo intentio est actus voluntatis dependenter a ratione.

Obiectiones vide apud S. Thomam in locis citatis.

---

(1) Cfr. 1. 2. q. 12. a. 1. et qq. dd. de Verit. q. 22. a. 13.

THESIS LXXIV.

Quando voluntas per media tendit in finem, id praestat uno et eodem motu, seu actu (1).

213. Unitas actus desumitur ex unitate obiecti. Unitas autem obiecti salvatur non solum ex materiali unitate rei, sed etiam ex formali, idest ex subordinatione plurium, quae per modum unius apprehenduntur, ut plures lapides qui constituunt unum templum, vel plures personae, quatenus constituunt unam familiam. Quum igitur intentio feratur in finem per ordinata media, et in media quatenus coniunguntur cum fine, necesse est ut constituat unicum motum, seu unum eumdemque actum voluntatis.

Nec valet obiicere non posse velle tum finem tum media absolute, seu secundum se. In hac enim hypothesi haberemus multiplicem actum voluntatis, quia haec potest velle media non quatenus media, sed quatenus sunt in se aliquid appetibile, puta si quis vellet potionem non quatenus est medicina, sed quatenus est dulcis.

Dices. Voluntas eius quod est ad finem dicitur electio. Sed non est idem electio et intentio. Ergo intentio finis non est idem motus cum voluntate eius quod est ad finem.

Resp. *Dist. mai.* Electio est actus voluntatis in ordine ad rationem comparantem media ad invicem, *Conc.*, ordinantem media in ipsum finem, *Nego. Conc. min. Nego cons.* « Ad tertium dicendum, quod « motus, qui est unus *subiecto*, potest *ratione* differre secundum prin- « cipium et finem, ut ascensio et descensio, sicut dicitur (Physic. « lib. III. text. 21.). Sic igitur in quantum motus voluntatis fertur in « id, quod est ad finem, prout ordinatur ad finem (idest prout unum « medium melius conducit quam aliud), est electio, motus autem vo- « luntatis, qui fertur in finem, secundum quod acquiritur per ea quae « sunt ad finem, vocatur intentio, cuius signum est quod intentio finis « esse potest, etiam nondum determinatis his, quae sunt ad finem, quo- « rum est electio ». S. Thomas 1. 2. q. 12, a. 4. ad 3. Et adhuc clarius distinctionem inter obiectum proprium intentionis et electionis proponit in qq. dd. de Verit. q. 22. a. 13. ad 16. « Dicendum, quod in- « tentio est actus voluntatis in ordine ad rationem ordinantem ea quae « sunt ad finem, in finem ipsum, sed electio est actus voluntatis in or-

(1) Cfr. S. Th. 1. 2. q. 12. a. 4. qq. dd. de Verit. q. 22. a. 14.

« dine ad rationem comparantem ea, quae sunt in finem, ad invicem, « propter hoc intentio et electio differunt ». Reliquas obiectiones vide apud S. Thomam in locis citatis.

214. **Corollarium.** *De radice libertatis.* Radix libertatis humanae *ex parte subiecti* est *voluntas*, quia ipsa est subiectum liberae determinationis, nempe est potentia quae libere operatur; *ex parte* vero *causae* est *ratio*, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni et voluntati plura obieta proponere, ita ut voluntas ad diversa ferri valeat. Conf. S. Th. 1. 2. q. 17. a. 1. ad 2. qq. dd. De Verit. q. 24. a. 2. et 1. 2. q. 13. a. 6.

QUAESTIO XXVII.

DE ELECTIONE.

THESIS LXXV.

a) Consilium, qui est actus rationis in ordine ad opus, atque importat collationem de rebus agendis, non cogit voluntatem. Electio autem, quae *b)* versari tantum potest circa ea quae sunt ad finem, est *c)* actus liber voluntatis in ordine, seu consequenter ad consilium rationis, et ideo *d)* substantialiter est actus voluntatis, sed formaliter specificatur a praevio actu rationis (1).

PRAENOTIONES.

215. I. **Obiectum electionis.** Quemadmodum *intellectus* dicitur de principiis, quae sunt per se immediate nota, *ratio* autem dicitur de conclusionibus, quibus per discursum virtute primorum principiorum assentimur; similiter *voluntas* dicitur de fine, sive hic sit absolute sive relative ultimus, *electio* autem dicitur de mediis, quae finis ultimi gratia voluntas amplectitur.

II. **Consilium-Electio.** Quum electio sit particularium et deficientium bonorum, quae assumenda sunt ut media ad finem, de his autem dubium esse possit rationi, utrum conveniant necne, necesse est ut iudicium electivum praecedatur ab inquisitione rationis de rebus eligendis. Quae inquisitio vocatur *consilium* (1. 2. q. 14. aa. 1° et 3°). Electio autem vocatur ab Aristotele (Ethic. l. III. c. 3.) *appetitus praeconsiliati.* Etenim tunc voluntas eligit, quum alicui ex consiliatis conclusionibus practicis assensum praebet unamque prae aliis eligit, sive quia una tantum appareat utilis, sive quia inter multas utiles, una praeferatur. Ex. gr. si quis, postquam statuerit Româ pergere Massiliam, secum ipse conferat, consiliando, utrum sit eligendum iter maritimum an terrestre, una navis potius quam alia etc. et unum ex his mediis ei appareat utile, vel etiam si plura media aeque bona ipsi

---

(1) 1. 2. q. 13 et 14.

videantur, quum voluntas in unum prae alio inclinatur, puta in iter per viam ferream, quae litus Liguriae pertransit, hoc eligere dicitur, et actus voluntatis assentientis huic prae aliis dicitur *electio.*

III. **Electio adaequate.** Quare *electio adaequate* sumpta duo complectitur, nempe iudicium rationis per consilium obtentum et voluntatis assensum bono per iudicium practicum rationis consiliato. Et ideo si voluntas non assentiatur huic iudicio, sed vel suspendat assensum, vel rationem moveat ad aliud consilium aliudque iudicium practicum, nondum habetur electio. Quum autem voluntas assentitur alicui iudicio practico tunc habetur electio, et iudicium hoc cum assensu voluntatis coniunctum vocatur *iudicium ultimum practicum.*

PROBATUR THESIS.

216. *Quoad 1um. Consilium non cogit voluntatem.* Consilium rationis, quamvis proponat unum bonum prae alio ut conducens ad finem, tamen nequit illud proponere ut necessario connexum cum beatitudine, quum nullum sit huiusmodi inter particularia bona eligibilia: ex. gr. sumere medicinam erit bonum sanitati, sed malum gustui. Et ideo consilium est inquisitio quaedam non demonstrativa, sed ad opposita viam habens. Voluntas igitur remanet semper libera tum ad assensum in bonum consiliatum, tum ad volendam continuationem inquisitionis, tum ad eam suspendendam.

Quoad 2um. Electio est circa media. « Dicendum quod, sicut iam « dictum est (art. 1. huius quaest. ad 2.) electio consequitur sen- « tentiam vel iudicium, quod est sicut conclusio syllogismi operativi. « Unde illud cadit sub electione quod se habet ut conclusio in syllo- « gismo operabilium. Finis autem in operabilibus se habet ut princi- « pium, et non ut conclusio, ut Philosophus dicit (Physic. lib. II. « text. 89.). Unde finis, in quantum est huiusmodi, non cadit sub « electione » (1).

Deinde S. Doctor demonstrat caeteros fines, excepto nempe fine absolute ultimo, cadere posse sub electione non quatenus fines sed quatenus media, hisce verbis: « Sed sicut in speculativis nihil prohibet, « id quod est unius demonstrationis vel scientiae principium esse con- « clusionem alterius demonstrationis vel scientiae, primum tamen prin- « cipium indemonstrabile non potest esse conclusio alicuius demonstra- « tionis vel scientiae, ita etiam contingit id quod est in una operatione « ut finis, ordinari ad aliquid ut ad finem, et hoc modo sub electione

(1) 1. 2. q. 13. a. 3.

« cadit, sicut in operatione medici sanitas se habet ut finis; unde hoc « non cadit sub electione medici, sed hoc supponit tamquam principium. Sed sanitas corporis ordinatur ad bonum animae, unde apud « eum, qui habet curam de animae salute potest sub electione cadere « esse sanum vel esse infirmum... Sed ultimus finis nullo modo sub « electione cadit ».

Quoad 3um. Electio est actus liber. Haec pars est corollarium praecedentium. Nam si nullum ex bonis consiliatis est necessario connexum cum beatitudine, utpote deficiens, et ideo non determinat necessario assensum voluntatis, necesse est, ut sit libera ipsa electio, quae resultat ex consilio et assensu, quemadmodum enim ait S. Gregorius Nyssenus (apud S. Thomam 1. 2. q. 13, a. 1.), « electio neque est appetitus secundum seipsam, neque consilium solum, sed ex his aliquod « compositum ».

Neque dicas voluntatem determinatam ad aliqnem finem, puta ad transfretandum, necessitari ad aliquod medium eligendum, puta ad navim suscipiendam. Nam nullus ex finibus particularibus necessitat voluntatem, cui potest ut bonum placere ipsum nolle (1).

Corollarium. *De voluntario absque ullo actu.* Ex modo demonstratis apparet, quo sensu voluntarium dari queat absque ullo actu, quatenus nempe voluntas inclinatur tamquam ad aliquod bonum ad non volendum ulterius et ad non agendum, idest ad non eliciendos neque ad imperandos ulteriores actus. Quo in casu ipsum non velle et non agere sunt homini voluntaria et imputabilia, quamvis enim *directe* non procedant a voluntate, tamen *indirecte* procedunt ab ea, quae libere a sua operatione abstinet. Hoc sensu loquitur S. Thomas in 1. 2. q. 6. a, 2., qui consulendus est.

Quoad 4um. Electio est substantialiter actus voluntatis formaliter specificatus a praevio actu rationis. Operatio aliqua, ad quam plures potentiae suo modo concurrunt, ad eam potentiam substantialiter pertinet, quae eam elicit seu perficit; specificatur autem seu formaliter pertinet ad eam potentiam a qua ordinationem recipit et ad cuius normam elicitur. Iamvero electio perficitur a voluntate, quum consistat in actu voluntatis adhaerentis bono, quod a ratione proponitur; ordinationem autem recipit a ratione, ad cuius normam voluntas bonum consiliatum eligit, quum ratio illud proponat voluntati tamquam eligibile, utpote ordinabile ad finem. Ergo electio est substantialiter seu materialiter actus voluntatis, formaliter autem est actus rationis. Cfr. S. Th. 1. 2. q. 13. a. 1.

(1) Cfr. l. c. a. 6.

217. **Corollarium 1.** *Ex dictis apparet quo ordine procedamus ad eligendum.* Primo locum habet apprehensio finis, secundo appetitus finis, tertio consilium de his quae sunt ad finem, quarto electio boni a ratione propositi, ut conducibilis ad finem. Cfr. 1. q. 15. a. 3.

Corollarium 2. *Consilium quamvis sit actus rationis, tamen includit aliquid voluntatis,* quum praesupponat motum voluntatis in finem. Homo enim non inciperet consiliari de mediis eligendis ad finem, nisi eius voluntas iam intenderet finem. Id S. Thomas pulchre declarat in 1. 2. q. 14. a. 2. ad 1.: « Dicendum quod, quando actus duarum « potentiarum ad invicem ordinantur, in utroque est aliquid, quod est « alterius potentiae, et ideo uterque actus ab utraque potentia deno- « minari potest. Manifestum est autem quod actus rationis dirigentis « in his, quae sunt ad finem et actus voluntatis secundum regimen « rationis in ea tendentis, ad se invicem ordinantur. Unde et in actu « voluntatis, qui est electio, apparet aliquid rationis, scilicet ordo, et « in consilio, quod est actus rationis, apparet aliquid voluntatis, sicut « materia, quia consilium est de his quae homo vult facere, et etiam « sicut motivum: quia ex hoc quod homo vult finem, movetur ad con- « silium de his, quae sunt ad finem. Et ideo Philosophus dicit (Ethic. « lib. VI. cap. 2.), quod electio est intellectus appetitivus, ut ad ele- « ctionem utrumque concurrere ostendat; ita Damascenus dicit (loco « sup. cit.) quod *consilium est appetitus inquisitivus*, ut consilium « aliquo modo pertinere ostendat et ad voluntatem, circa quam et ex « qua fit inquisitio, et ad rationem inquirentem ».

OBIECTIONES CONTRA TERTIAM PARTEM.

218. **Obiect. 1ª.** Electio est necessaria. Nam eligibilia se habent ad finem, ut conclusiones ad principia. Sed ex principiis conclusiones necessario inferuntur. Ergo etiam media necessario eliguntur.

Resp. *Nego assert.* Ad rat. *Conc. mai. Dist. min.* Conclusiones necessario connexae cum veritate principiorum, *Conc.*, conclusiones non necessario connexae, *Nego. Dist. conseq.* si media eligibilia essent necessario connexa cum fine, *Conc.*, secus, *Nego.* « *Ad primum* dicendum, « quod non semper ex principiis ex necessitate procedit conclusio, sed « tunc solum quando principia non possunt esse vera, si conclusio non « sit vera. Et similiter non oportet quod semper ex fine insit homini « necessitas ad eligendum ea quae sunt ad finem, quia non omne quod « est ad finem, tale est quod sine eo finis haberi non possit, aut si tale « sit, non semper sub tali ratione consideratur » (1. 2. q. 13. a. 6.).

Obiect. 2ª. Electio consequitur iudicium rationis practicum. Sed ratio ex necessitate iudicat de aliquibus propter necessitatem praemissarum. Ergo etiam electio sequitur necessario.

Resp. *Dist. mai.* Electio consequitur iudicium practicum de *contingentibus*, *Conc.*, *de necessariis*, *Nego. Conc. min. Nego conseq.* « *Ad* « *secundum* dicendum, quod sententia, sive iudicium rationis de rebus « agendis est circa contingentia, quae a nobis fieri possunt, in quibus « conclusiones non ex necessitate sequuntur ex principiis necessariis « absoluta ex necessitate, sed necessariis solum ex conditione, ut: si « currit, movetur ». (S. Th. l. c.).

Obiect. 3ª. Si aliqua duo sunt penitus aequalia, non magis movetur homo ad unum quam ad aliud. Sed multo minus potest eligi quod accipitur ut minus, quam quod accipitur ut aequale. Ergo si proponantur duo vel plura, inter quae unum maius appareat, impossibile est aliquod eorum eligere. Ergo electio, cum sit de eo quod videtur aliquo modo melius, est necessaria.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Si secundum nullam considerationem unum possit apparere eminentius alio, *Conc.*, si secundum diversas considerationes potest vel unum vel aliud praeeminere, *Nego. Contr. min.* Si quod apparet minus bonum secundum unam considerationem non posset apparere maius secundum aliam, *Conc.*, secus, *Nego.* Bona contingentia sunt huiusmodi, ut non necessario moveant voluntatem, quia, quum non habeant perfectam rationem omnimodae bonitatis, possunt sub variis respectibus sive bonitatis sive deficientiae proponi voluntati a ratione. Item ratio a voluntate moveri semper potest ad ulteriores considerationes, quamvis, quum voluntas unum prae alio eligit, id faciat propter aliquam rationem bonitatis hic et nunc consideratam tamquam eminentem in uno potius quam in alio bono. Sic, quum homo eligit uliquod minus bonum prae alio maiori unice ad ostendendum exercitium suae libertatis, hoc ipsum exercitium libertatis circa minus bonum apprehenditur ut bonum eminentius prae maiori bono.

OBIECTIONES CONTRA QUARTAM PARTEM.

219. **Obiect. 1ª.** Electio non est actus voluntatis sed rationis. Nam electio collationem quamdam importat, qua unum alteri praefertur. Sed conferre est rationis. Ergo electio est actus rationis.

Resp. *Nego assert.* Ad rat. *Dist. mai.* Electio praesupponit collationem *Conc.*, est ipsa collatio, *Nego. Conc. min. Nego conseq.* « Ad « primum dicendum, quod electio importat collationem quamdam prae« cedentem, non quod essentialiter sit ipsa collatio » (1. 2. q. 13. a. 1.).

Obiect. 2ª. Eiusdem est syllogizare et concludere. Syllogizare autem in operabilibus est rationis. Ergo electio, quae est quasi conclusio in operabilibus, est actus rationis.

Resp. *Dist. mai.* Eiusdem est syllogizare et concludere conclusione proprie dicta, *Conc.*, conclusione improprie dicta, *Nego. Conc. min. Dist. conseq.* Ipse actus electionis est conclusio proprie dicta, *Nego*, est conclusio improprie dicta, utpote quae ex conclusione iudicii practici sequitur, et in qua terminatur motus ad electionem, *Conc.* « Dicendum « quod practicae inquisitionis est duplex conclusio; una quae est in « ratione, scilicet sententia, quae est iudicium de consiliatis; alia vero « quae est in voluntate et huiusmodi est electio; et dicitur conclusio « *per quamdam similitudinem;* quia sicut in speculativis ultimo statur « in conclusione, ita in operativis ultimo statur in operatione » (qq. dd. de Veritate q. 22. a. 15. ad 2.).

Obiect. 3ª. Ignorantia non pertinet ad voluntatem, sed ad vim cognitivam. Est autem quaedam ignorantia electionis. Ergo electio pertinet ad rationem.

Resp. *Dist. mai.* Ignorantia formaliter accepta non pertinet ad voluntatem, *Conc.,* ignorantia accepta quoad aliquos suos effectus, *Nego. Contrad. min.* Tamquam occasio malae electionis, *Conc.*, tamquam aliquod constitutivum ipsius actus electionis, *Nego.* Unde si electio sumatur *adaequate,* prouti includit ipsum processum rationis, poterit ignorantia attribui ipsi electioni. In hac et similibus obiectionibus confunditur ipse actus electionis, qui est voluntatis, cum toto processu electionis adaequate sumpto in quo includitur ipsa operatio rationis.

Obiect. 4ª. Electio pertinet ad prudentiam. Sed prudentia est in ratione. Ergo electio est actus rationis.

Resp. *Dist. mai.* Electio participat aliquid prudentiae, *Conc.,* est totaliter actus prudentiae, *Nego. Conc. min. Dist. conseq.* Ipse actus eligendi est actus rationis, *Nego,* iudicium practicum cui voluntas assentitur quum eligit, *Conc.* « Dicendum quod electio (adaequate « sumpta) dicitur esse principale in virtute morali et ex parte eius « quod habet de ratione, et ex parte eius quod habet de voluntate: « utrumque enim requiritur ad rationem virtutis moralis; et dicitur « electio principale respectu exteriorum actuum. Unde non oportet quod « electio sit actus prudentiae totaliter; sed participat aliquid pruden- « tiae sicut et rationis » (qq. dd. l. c. ad 3.). Solutio cuiusdam difficultatis de apparente quadam electione brutorum datur a S. Thoma (1. 2. q. 13. a. 2. ad 3.), quem locum attulimus sub n. 153. ad Obiect. 11.

APPENDIX.

DE RELIQUIS ACTIBUS VOLUNTATIS.

217. I. **Consensus** importat applicationem appetitivi motus ad aliquid praeexistens in potestate applicantis (1. 2. q. 15. a. 3.).

Et ideo consensus est de his quae sunt ad finem. Simplex autem voluntas est de fine (ibid.).

II. **Usus** importat applicationem alicuius rei ad aliquam operationem. Unde et operatio, ad quam applicamus rem aliquam, dicitur usus eius, sicut equitare est usus equi, et percutere est usus baculi (1. 2. q. 16. a. 1.).

Quum igitur voluntatis sit movere caeteras animae vires ad earum operationes; usus est voluntatis ut primi moventis, est rationis ut dirigentis, caeterarum vero potentiarum, ut exequentium (ibid.).

III. **Imperare** est movere aliquem cum quadam intimatione denuntiativa; quae motio habetur quum per verbum imperativi modi dicimus alicui « fac hoc. » Primum autem movens in viribus animae ad exercitium actus est voluntas. Ergo voluntatis actus praesupponitur ad imperium. Attamen quum imperium formaliter includat intimationem seu denuntiationem quae est actus rationis; nempe « hoc est faciendum »; sequitur *imperare* esse actum rationis praesupposito actu voluntatis, in cuius virtute movet (1. 2. q. 17. a. 1.).

IV. **Frui** stricto sensu est re aliqua delectari propter seipsam.

Lato sensu est fructum vel delectationem ex re aliqua capere.

Unde proprie est de fine ultimo.

Est formaliter actus voluntatis. Quia eius est delectari de fine, cuius est appetere finem. Atqui voluntatis est appetere finem. Ergo etc.

Non tamen excluditur delectatio propria potentiae operantis in formali possessione finis: quae, quum agitur de fine ultimo, est intellectus (1. 2. q. 11. ad. 1um et 3um).

QUAESTIO XXVIII.

DE MOTIVO VOLUNTATIS.

PRAENOTIONES.

218. Quaestio haec agitur a S. Thoma in 1. 2. q. 9. Nos compendiatim Angelici doctrinam proponemus, sed in antecessum quasdam notiones praemittimus ad rectam eius intelligentiam necessarias. Itaque ad bene intelligendum modum quo aliqua potentia operativa movetur, vel movet, distinguendae sunt diversae rationes movendi seipsum vel alia a se. Etenim:

a) **Aliud est potentiam moveri quoad exercitium, aliud quoad specificationem.** Hoc efficitur ab obiecto ad quod ordinatur potentia, illud autem a virtute activa ipsius potentiae; *utrumque requiritur ad hoc ut potentia operetur.* Attamen obiectum quâ tale nihil confert virtuti activae potentiae, sed eam supponit perfectam in ratione principii operativi. Virtus autem activa potentiae obiectum requirit tamquam terminum proportionatum suae operationis, quam obiectum specificat. Sunt enim in diverso genere causarum, quum virtus activa sit in genere causae efficientis, obiectum vero in genere causae finalis.

b) **Quapropter non est confundenda necessitas motionis ex parte obiecti, seu secundum specificationem, cum necessitate motionis ex parte principii actuosi, seu quoad exercitium.** Et ideo ex eo quod voluntas moveri debeat ex parte obiecti a fine, non excluditur quod movere debeat seipsam quoad exercitium. Similiter si voluntas non haberet virtutem movendi se quoad exercitium, non sufficeret obiecti seu finis propositio ad hoc ut voluntas ageret. Obiectum enim quâ tale non confert vires potentiae activae, sed supponit. Et sane cum agatur de diverso genere causarum concurrentium ad eumdem effectum, positio unius non supplet defectum alterius.

His praenotatis accedamus ad innuenda summa capita Quaestionis de motivo voluntatis prouti a S. Thoma resolvitur in 1. 2. q. 9.

BREVIS DECLARATIO.

219. **In articulo 1. docet S. Doctor voluntatem moveri ab intellectu quoad specificationem ut a proponente obiectum.** Quum enim voluntas sit appetitus boni universalis et sibi convenientis, a quo specificatur et in quod tendit tamquam in finem, necesse est ut tale obiectum ei proponatur ab intellectu cuius voluntas est appetitus et qui solus cognoscere potest rationes universalissimas entis, veri, boni.

In articulo 2. docet voluntatem moveri etiam ex parte obiecti ab appetitu sensitivo, qui si immutetur a re sensibili efficit ut homini appareat bonum et conveniens id, quod, si homo non agitaretur a passione, non appareret ei bonum vel conveniens.

In articulo 3. docet voluntatem quoad exercitium movere seipsam quia si est actuata secundum appetitionem finis ultimi movere potest seipsam ad volenda ea quae sunt ad finem eo modo et ordine, quem superius indicavimus.

In articulo 4. docet voluntatem moveri ab exteriori aliqua causa non solum ex parte obiecti seu quoad specificationem actus, sed etiam ex parte principii seu quoad exercitium. Nam voluntas libere movere potest seipsam tantum quoad ea quae sunt ad finem absolute ultimum nempe quoad particularia bona quae sunt ordinabilia ad beatitudinem. Ad hoc autem ut moveat seipsam quoad ea quae sunt ad finem praecedere debet non solum actualis motio voluntatis ad finem, sed etiam *ad primum consilium* quoad bona particularia eligenda. Voluntas enim quae quandoque est in potentia, quandoque in actu, reduci debet de potentia in actum ab aliquo ente quod sit actu in ipso ordine causae efficientis. Item, cum absque praevio consilio eligere nequeat, debet ad primum consilium ab extrinseco moveri, secus procederetur in infinitum. Ergo voluntas *quoad ipsum exercitium* a movente extrinseco seu a Deo moveri debet non solum ad actum appetendi bonum universale seu ipsam beatitudinem in genere, sed etiam ad primum consilium, ad hoc ut sic mota possit movere seipsam. Cfr. l. c. S. Th.

Neque id obest libertati arbitrii. Nam ipsa prima electio procedit a voluntate *seipsam determinante* ad unum vel ad aliud ex particularibus bonis. Unde S. Thomas in art. 6. huius Quaestionis ait: « *Ad* « *tertium* dicendum, quod Deus movet voluntatem hominis, sicut uni« versalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum, « et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle, sed

« homo per rationem *determinat* se ad volendum hoc vel illud, quod « est vere bonum vel apparens bonum etc. »

220. **Ex quibus S. Thomae verbis et ex similibus, quae saepe repetit, manifeste apparet quam longe ab humani arbitrii libertate tuenda et ab Angelici Doctoris mente sit sententia eorum qui asserunt Deum sua motione determinare voluntatem ad unum prae alio volendum.** Et sane potentia quae ab agente extrinseco determinatur ad unum volendum non potest hoc non velle. Qui autem non potest aliquod non velle, hoc necessario vult. Ergo si voluntas Divina motione determinatur ad unum, nequit libere bona particularia eligere, et sic actum est de libero hominis arbitrio.

Insuper quid clarius dici poterat a S. Thoma in 1. 2. q. X. a. 4. ubi expresse agit de hac Divina motione? En eius verba: « Respondeo « dicendum quod, sicut Dionysius dicit (De div. nom. cap. 4. lect. 23.), « ad Providentiam Divinam non pertinet naturam rerum corrumpere « sed servare. Unde omnia movet secundum earum conditionem, ita « quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus « ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus « contingentes. Quia igitur voluntas *est activum principium non determinatum ad unum* indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam « movet, quod *non ex necessitate ad unum determinat,* sed remanet « motus eius contingens, et non necessarius, nisi in his ad quae naturaliter movetur. » Consule etiam verba S. Thomae allata sub n. 205. III. quibus discrimen inter modum se movendi brutorum et hominum in rebus agendis ponit in eo, quod brutorum iudicium est determinatum ad unum ab Auctore Naturae, hominum vero iudicium minime, sed relinquitur indifferens ad eligendum unum prae alio.

QUAESTIO XXIX.

DE UNIONE ANIMAE HUMANAE CUM CORPORE (1).

221. Quaestio haec soluta nobis implicite fuit in Quaestione XIV. Thesi 40. ubi demonstravimus *a) principium primum quo* operationum vitalium in vivente corporeo esse formam substantialem atque vocari animam *b)* eam pro variis gradibus operationum in eodem ente esse unicam, et, licet sit *formaliter* nobilior, continere *virtualiter* perfectiones formarum inferiorum. Quapropter quum homo sit ens corporeum vivens vitâ non solum vegetativa et sensitiva, sed etiam intellectiva cum discursu seu rationali, necesse est ut asseramus primum principium operationum vitalium in homine, nempe animam humanam *a)* esse formam substantialem, *b)* esse unicam in eodem homine, et quamvis sit *formaliter* intellectiva, tamen esse *virtualiter* sensitivam, vegetativam et corpoream, ita ut per unam eamdemque animam, tamquam per propriam formam substantialem homo habeat ut sit rationalis, sensitivus, vegetativus, corpus et ens. Quod explicite a S. Thoma affirmatur (in qq. dd. De Spirit. Creaturis art. 3.) hisce verbis: « In « hoc homine non est alia forma substantialis, quam anima rationalis, « et per eam homo non solum est homo, sed et animal, et vivum, et « corpus, et substantia, et ens ». Ne igitur eadem bis agamus, remit« timus Discipulos ad Thesim 40. nonnulla addentes ad pleniorem rei « intelligentiam.

THESIS LXXVI.

Anima intellectiva unitur corpori ut forma substantialis.

PRAENOTIONES.

222. I. **Unio generatim.** *Unio* importat coniunctionem duorum vel plurium ad aliquod unum efformandum. Quum autem *unum* et *ens* convertantur, ens autem denominetur ab esse, necesse est, ut ea, quae uniuntur, ad aliquod esse commune habendum coniungantur, ita

(1) Cfr. S. Th. 3. p. q. 76. et ll. pp.

ut si unio sit *realis*, coniungi debent ad aliquod esse reale commune, si unio sit tantum logica coniungi debent ad aliquod esse tantum intentionale seu rationis.

II. **Unio realis substantialis**. Ut sistamus *in unione reali*, quum *esse reale*, seu *actus essendi*, possit esse vel *primum* seu *substantiale*, vel *secundum* seu *accidentale*, ad hoc ut duo uniantur in ordine ad aliquod esse primum seu substantiale, necesse est ut vel alterutrum vel utrumque careant proprio esse, ita ut, unione peracta, vel utrumque existere incipiat per esse compositi, vel unum existat per esse ei communicatum in composito ab alio, cui per se subsistere competat.

III. **Unio realis substantialis essentialis seu naturalis**. Hoc cui per se competit subsistere, quodque trahit aliud in unitatem sui esse, vel est completum in linea essentiae, vel non. Si non est completum in linea suae essentiae, quae ad alium terminum unionis extenditur tamquam ad intrinsecum sui constitutivum, unitur alteri ut pars essentiae formalis parti essentiae pure potentiali, nempe ut actus primus in linea essentiae purae potentiae subiectivae in eadem linea essentiae, videlicet ut forma substantialis materiae primae sibi proportionatae quare haec unio ita est substantialis, ut sit etiam essentialis et naturalis. Videlicet ita uniuntur ad unitatem primi esse, ut ex hac unione resultet unica natura, unica essentia, unica *substantia*, completa per se subsistens.

IV. **Unio realis substantialis hypostatica**. Quod si aliquod subsistens sit completum in linea essentiae non poterit aliud sibi unire in communione primi esse, si sit subsistens creatum, quia esse substantiale uniuscuiusque finitae essentiae completae limitatur ad eam cui respondet ut proprius actus propriae potentiae. Tantum illud subsistens quod est suum esse, nempe infinitum in suo esse, poterit in unitatem sui esse assumere aliquam essentiam singularem finitam, ita ut haec non subsistat per proprium esse, sed existat per esse Suppositi Divini quod eam sibi ita copulavit. Quae unio vocatur hypostatica, atque est substantialis ratione τοῦ esse primi et personalis, in quo natura assumpta communicat, non autem ratione novae cuiusdam naturae vel essentiae, quae ex hac unione resultet, quum tum essentia personae assumentis tum natura assumpta remaneant omnino inconfusae et impermixtae. Hanc ineffabilem unionem ex misericordi Dei consilio locum habuisse inter Personam Divini Verbi et humanam naturam Christi fide tenemus (1).

---

(1) Cfr. S. Th. 3. p. q. 17. a. 2.

V. **Unio realis accidentalis, eiusque species.** Quum duo vel plura coniunguntur in communitate alicuius esse realis accidentalis considerandum est utrum ea quae uniuntur sint et perseverent esse totidem subsistentia distincta, ut cum plures lapides uniuntur ad efformandam unam domum, vel utrum unum tantum sit subiectum aliquod in suo esse subsistens, reliqua autem sint formae quaedam accidentales seu actus non puri ulterius perficientes substantiam in suo primo esse iam constitutam, ut quum homo remanens homo fit albus, musicus, architectus. Quamvis in utroque casu componentia non conveniant in aliqua unitate essendi simpliciter, sed tantum secundum quid seu per accidens, ita ut compositum resultans dici possit unum tantum secundum quid, tamen in primo casu unitas accidentalis est adhuc imperfectior quam in secundo. Nam in primo casu componentia conveniunt in ea unitate accidentali, quae vocatur unitas aggregationis, in qua remanent omnino totidem subsistentia distincta, quum forma accidentalis in cuius esse communicant sit forma sive confusae cuiusdam aggregationis ut acervus lapidum, sive etiam ordinis aut figurae ut pyramis vel templum, quae est primario perfectio totius aggregati non partium. In secundo autem casu ea quae uniuntur non sunt totidem subsistentia distincta, sed unum idemque subiectum subsistens in aliqua natura, puta humana, ulterius perficitur per formas accidentales supervenientes, ita ut perseverans in suo esse substantiali ex. gr. hominis, incipiat habere plura esse accidentalia albi, musici, virtuosi etc. Quae formae accidentales dicuntur constituere cum subiecto cui inhaerent, unum secundum quid. Quum enim esse talium formarum non pertineat ad esse primum seu substantiale subiecti, nequit dici esse illius simpliciter, sed tantum secundum quid (1).

PROBATUR THESIS.

223. I. Homo quum sit intelligens, habet virtutem intellectivam, quae utpote accidens immateriale subiectari debet in substantia immateriali. Iamvero haec substantia immaterialis, quae vocatur anima rationalis, vel unitur corpori humano ad faciendum unum per se seu substantiale, vel ad faciendum unum per accidens. Porro nequit uniri ad faciendum unum per accidens unitate aliqua aggregationis vel ut motor mobili, quia in tali hypothesi non esset idem ens seu idem homo qui intelligeret, sentiret, vegetaret et esset. Ergo necesse est dicere animam rationalem uniri corpori humano ad feciendum unum

(1) Cfr. S. Th. 3. p. q. 2. a. 1.

per se seu substantiale in ipsa linea essentiae, quum homo in quantum homo seu ratione essentiae humanae intelligat, sentiat, vegetet et habeat corpus. Sed substantia immaterialis, quum sit actus, si uniatur principio materiali ad constituendum unum per se in ipsa linea essentiae habere debet rationem actus primi seu formae substantialis. Ergo anima rationalis unitur corpori ut forma substantialis (1).

II. Secundum illud principium formale substantiale homo speciem sortitur, quod est primum principium operationis propriae hominis ut homo est. Atqui primum principium operationis propriae hominis est anima, quatenus formaliter intellectiva cum discursu seu rationalis. Nam *a)* animal rationale est praedicatum essentiale hominis, *b)* intelligere, quum sit operatio vitalis, fundari debet in principio primo substantiali, nam *vivere viventibus est esse*. Ergo anima intellectiva est forma substantialis hominis.

Dices. Per accidens homo intelligit. Ergo intelligere est operatio homini accidentalis, non essentialis.

Resp. *Dist. anteced.* Si τὸ *per accidens* referatur ad actus elicitos ab intellectu, *Conc.,* si refertur ad principium elicitivum, *Subdist.* Si ad principium primum seu remotum, *Nego*, si ad principium proximum, *iterum subdistinguo*, intelligit per accidens *proprium*, *Conc.*, intelligit per aliquod accidens extrinsecus adveniens, *Nego. Nego conseq.*

III. Cum intelligere competat Socrati ratione suae essentiae, principium primum intellectivum quo Socrates intelligit vel erit tota essentia Socratis, vel pars constitutiva essentiae eius. Atqui primum est manifeste falsum: nam de essentia Socratis est etiam sentire, vegetare, esse extensum, ponderosum etc. Ergo principium intellectivum est pars intrinsece constitutiva essentiae Socratis: nequit autem esse pars materialis. Ergo est pars formalis, ac proinde anima intellectiva est forma substantialis hominis.

IV. Principium intellectivum, quod naturaliter unitur corpori ad complendam speciem humanam, unitur ei ut forma substantialis. Atqui anima intellectiva unitur corpori ad complendam speciem humanam. Ergo anima humana unitur corpori ut forma substantialis. *Maior* est evidens cuilibet cognoscenti rationem et munus formae substantialis. *Minor* constat ex eo quod de ratione speciei humanae est intelligere per conversionem ad phantasmata. Ad id autem requiritur, ut intelligere animae humanae indigeat potentiis, quae per quaedam organa corporalia operantur, scilicet imaginatione et sensu. Ergo dicendum est animam intellectivam uniri corpori ad complendam speciem humanam, ac proinde esse formam substantialem hominis.

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Spir. Creat. a. 2.

V. **Confirmatur et declaratur** pulcherrimo testimonio S. Thomae (Contra Gent. Lib. II. cap. 68), in quo etiam plures obiectiones praeoccupantur. Praestat Angelici Doctoris verba referre:

« Ad hoc quod aliquid sit forma substantialis alterius, duo requi« runtur. Quorum unum est ut forma sit principium essendi substan« tialiter ei cuius est forma, principium autem dico non effectivum, « sed formale, quo aliquid est et denominatur ens. Unde sequitur aliud « scilicet quod forma et materia conveniant in uno esse, quod non « contingit de principio effectivo (idest de causa efficiente) cum eo « cui dat esse, et hoc esse est in quo subsistit substantia composita, « quae est una secundum esse ex materia et forma constans. Non au« tem impeditur substantia intellectualis, per hoc quod est subsistens, « ut probatum est (cap. 56), esse formale principium essendi materiae, « quasi esse suum communicans materiae, non est enim inconveniens « quod idem sit esse in quo subsistit compositum, et forma ipsa, quum « compositum non sit nisi per formam, nec seorsum utrumque sub« sistat.

« **Potest autem obiici** quod substantia intellectualis esse suum « materiae corporali communicare non possit, ut sit unum esse sub« stantiae intellectualis et materiae corporalis, diversorum enim ge« nerum est diversus modus essendi, ut nobilioris substantiae nobilius « esse ».

Resp. « Hoc autem convenienter diceretur, si eodem modo illud « esse materiae esset sicut esse substantiae intellectualis. Non est « autem ita, est enim materiae corporalis ut *recipientis* et *subiecti ad* « *aliquid altius elevati*, substantiae autem intellectualis ut *principii* « et *secundum propriae naturae congruentiam*. Nihil igitur prohibet « substantiam intellectualem esse formam corporis humani, quae est « anima humana ».

Deinde explicat quomodo possit haec mirabilis unio substantiae spiritualis cum materia considerari. Ait enim:

« Hoc autem modo haec mirabilis rerum connexio considerari pot« est. Semper enim invenitur infimum supremi generis contingere « supremum inferioris generis, sicut quaedam infima in genere anima« lium parum excedunt vitam plantarum, sicut ostrea quae sunt « immobilia et solum tactum habent et terrae in modum plantarum « affiguntur, unde et beatus Dionysius dicit (De Divinis nomin. c. 7.) « quod *divina sapientia coniungit fines superiorum principiis infe*« *riorum*. Est igitur accipere aliquid in genere corporum, scilicet corpus « humanum, aequaliter complexionatum, quod attingit ad infimum su« perioris generis, scilicet ad animam humanam, quae tenet ultimum

« gradum in genere intellectualium substantiarum, ut ex modo intel-« ligendi percipi potest. Et inde est quod anima intellectualis dicitur « esse quasi quidam horizon et confinium corporeorum et incorporeo-« rum, in quantum est substantia incorporea, corporis tamen forma. « Non autem minus est aliquid unum ex substantia intellectuali et « materia corporali quam ex forma ignis et eius materia, sed forte « magis, quia *quanto forma magis vincit materiam, tanto ex ea et* « *materia magis efficitur unum* ».

Postquam autem S. Doctor declaraverit, quomodo, quamvis sit unum esse formae et materiae in composito resultante, tamen non oportet, ut materia semper adaequet esse formae, quum non omnes formae aequae immergantur in materia, sed quanto forma est nobilior tanto in suo esse magis excedat materiam (sicut nos declaravimus in Psych. n. 140. agentes de variis materialitatis gradibus), ita concludit: « Super omnes autem has formas (quae nempe magis vel minus ex-« cedunt qualitates infimas et proprias formae materialis in infimo « gradu) invenitur forma similis superioribus substantiis, etiam quan-« tum ad genus cognitionis, quod est intelligere, et sic est potens in « operationem, quae completur absque organo corporali omnino, et « haec est anima intellectiva, nam intelligere non fit per organum « corporale. Unde oportet quod id principium quo homo intelligit, quod « est anima intellectiva, et excedit materiae conditionem corporalis, « non sit totaliter comprehensum a materia aut immersum sicut « aliae formae materiales, quod eius operatio intellectualis ostendit, in « qua non communicat materia corporalis. Quia tamen ipsum intelli-« gere animae humanae indiget potentiis quae per quaedam organa « corporalia operantur, scilicet imaginatione et sensu, ex hoc ipso de-« claratur, quod *naturaliter unitur corpori ad complendam speciem* « *humanam* ».

Nota *a)* In Oecumenico Concilio Viennensi Summus Pontifex Clemens V. postquam definiverit humanae naturae integritatem in Christo D. N. ita prosequitur: « Porro doctrinam omnem seu positionem temere « asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animae ratio-« nalis seu intellectivae *vere* ac *per se* humani corporis non sit forma, « veluti erroneam, ac veritatis catholicae inimicam fidei, praedicto « sacro approbante concilio, reprobamus, definientes, *ut cunctis nota* « *sit fidei sincera veritas ac praecludatur universis erroribus aditus,* « *ne subintret,* quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere « pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non « sit *forma corporis humani per se et essentialiter,* tamquam haere-« ticus sit censendus. » (Clement. de Summa Trinit. et Fide Cathol.).

b) In Concilio Lateranensi V. Leo X. eamdem veritatem confirmat, dum immortalitatem et multiplicationem animarum humanarum pro singulis corporibus humanis definit: « Hoc sacro approbante Con« cilio damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intelle« ctivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, et haec in « dubium vertentes: cum illa non solum *vere, per se* et *essentialiter* « *humani corporis forma existat*, sicut in canone felicis recordationis « Clementis Papae V. Praedecessoris Nostri in generali Viennensi Con« cilio edito, continetur; verum et immortalis, et pro corporum quibus « infunditur multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata, « et muliplicanda sit (Sess. VIII. Can. Apostolici Regiminis) ».

c) Similiter Pius IX. in Litteris ad Archiepiscopum Coloniensem die 15. Iunii 1857., ita damnat Guntheri opera: « Noscimus iisdem « libris laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui cor« pore et anima ita absolvatur, ut anima, eaque rationalis, sit vera, « per se, atque immediata corporis forma ».

d) **Quaeres.** Cur anima in allatis documentis dicatur forma corporis non solum *per se,* sed etiam *vere* et *essentialiter ?*

Resp. Ad excludendum omnem errandi vel cavillandi praetextum, anima dicitur esse forma corporis *vere*, ne quis existimet eam esse tantum *metaphorice* talem; dicitur insuper esse *per se* forma corporis, ne quis existimet animae unionem ad corpus esse tantum *per accidens* seu *accidentalem,* quod enim *per se* unitur alteri, *substantialiter* ei unitur nempe in unitate τοῦ esse primi: tandem dicitur anima esse *essentialiter* forma corporis, ne quis putet eam uniri corpori tantum hypostatice seu personaliter; quod enim *essentialiter* alteri unitur, unitur ei ad intengrandam essentiam seu naturam, quae ex tali unione resultat.

SCHOLION.

De erroneis opinionibus circa unionem animae humanae cum corpore.

224. Opiniones eorum, qui Aristotelis et S. Thomae sententiam de unione animae rationalis cum corpore non amplexantur, omnes in eo peccant ut mirabilem hanc et perfectissimam unionem ad accidentalem aliquam communicationem animam inter et corpus reducant, in qua tum anima tum corpus remaneant subsistentia omnino distincta, ita ut homo revera non sit unum ens simpliciter et unum operans, sed plura entia et plura operantia. Etenim asserunt ea convenire in quadam accidentali unitate:

a) vel moventis et moti, quorum unumquodque retinet suam pro-

priam essentiam et existentiam, ut Plato aiebat, non secus ac eques dirigit equum cui insidet, et nauta regit navim;

b) vel operantium *realiter* operationes simultaneas, atque hoc simultaneitatis nexu harmonice sibi respondentes, ita ut dum anima ex. gr. velit corpori manducationem alicuius pomi, reapse contingat ut corpus eliciat operationem illud manducandi, quae opinio est Leibnitii, cuius systema vocatur *harmoniae praestabilitae*, quia si quaeras ab eo cur contingat haec simultaneitas operationum sibi respondentium toto tempore, quo homo vivit, respondet quia Deus in sua providentia ita disposuit. Quae omnia sunt prorsus gratuita et puerilia;

c) vel operantium non *realiter* sed tantum *apparenter* operationes simultaneas et harmonice sibi respondentes, quum realiter hos effectus operetur tum in anima tum in corpore solus Deus, quae opinio est Malebranchii, cuius systema vocatur *occasionalismus.* Hoc systema non est solum gratuitum et puerile, sed etiam absurdum et impium, quum veram efficientiam causis secundis adimat omnemque moralitatem humanarum actionum de medio tollat;

d) vel mutuo sibi influentium idest animae in corpus et corporis in animam. Quod systema a Lokio invectus vocatur *influxus physici*, eo quod asseratur corpus influere in animam quatenus per impressiones a sensibilibus receptas et vicissim in animam causatas, eam excitet et determinet ad cogitandum, atque anima dicatur influere in corpus, quatenus agendo in fluidum nerveum, determinet corpus ad motum. Quo in systemate praeter pessumdatam substatialem unionem animae cum corpore, habetur absurditas corporis per se moventis motu proprie dicto animam immaterialem.

e) Tandem Rosminius asseruit unionem animae humanae cum corpore fieri hoc pacto ut 1° anima sensitiva uniatur corpori mediante sensatione; 2° ut anima rationalis uniatur corpori mediante perceptione immanenti sensationis animalis; 3° tandem portenta portentis addens asseruit non esse animam formam substantialem corporis sed potius corpus, quatenus sentitur ab anima sensitiva, dici posse formam substantialem animae sentientis, et quatenus sentitum ab anima sensitiva percipitur ab anima rationali per ideam entis dici posse formam substantialem animae rationalis. En eius verba (Psychologia, vol. 2. lib. 1. cap. XI. § 849.): « La forma sostanziale del corpo è più tosto un effetto dell'anima e il termine interno della sua operazione: e però non « è l'anima stessa che sia forma sostanziale del corpo. » Et paulo inferius: « Il sentito adunque può dirsi forma sostanziale dell'anima ». Atque in eodem Opere (vol. I. lib. 2. c. IX. a. 2. § 11.) haec habet: « L'inteso primitivo si può chiamare forma dell'intelligente, così anche

« il sentito si può chiamare forma del senziente ». Qua in sententia praeter multas suppositiones partim gratuitas partim absurdas, habemus *a)* unionem animae cum corpore esse mere intentionalem, *b)* non esse immediatam sed mediatam; *c)* non animam esse formam corporis, sed e converso corpus quatenus perceptum esse formam animae percipientis, *d)* in homine animam sensitivam esse aliam ab anima intellectiva, *e)* habemus tandem circulum vitiosum. Nam, ut optime notavit doctissimus P. Matthaeus Liberatore (1): « Opinio istaec (nempe Rosminii) « incurrit circulum vitiosum. Nam statuit corpus non agere in animam, « nisi per virtutem receptam ab anima, nec virtutem hanc recipere, « nisi in quantum ab anima sentiatur. Cum igitur sentiri nequeat, nisi « actione animam ad sensationem determinet, corpus virtutem agendi « reciperet per unionem et haberet ante unionem ».

Atque de hisce erroneis sententiis iam satis est. Ex superius enim demonstratis sunt sufficienter refutatae. Omnes enim praeter absurditates quasdam unicuique peculiares, in eo peccant ut eam unionem, quam substantialem esse demonstravimus, accidentalem esse affirment.

OBIECTIONES (2).

225. **Obiect. 1ª.** Quod advenit alicui post esse completum, advenit ei accidentaliter, ut albedo homini. Atqui animae humanae, utpote per se subsistenti, advenit corpus post esse completum. Ergo unio animae humanae cum corpore est accidentalis.

Resp. *Dist. mai.* Si non trahatur ad unitatem eiusdem primi esse, *Conc.*, si trahatur ad unitatem eiusdem esse primi, *Nego. Contrad. min.* Corpus advenit animae humanae ita ut trahatur ad unitatem eiusdem esse primi tum essentiae, tum existentiae, *Conc.*, ita ut non trahatur ad unitatem eiusdem primi esse tum essentiae, tum existentiae, *Nego. Nego Conseq.* Solutio patet ex dictis in Praenotionibus et in ipsa demonstratione Thesis.

Obiect. 2ª. Si anima rationalis esset forma substantialis corporis, deberet per corpus individuari. Atqui quod individuatur per corpus, corrupto corpore, amittit suam individuationem et consequenter suum esse, quod de anima rationali dici nequit. Ergo anima rationalis non est forma corporis humani.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Anima deberet individuari per ordinem ad corpus tamquam ad potentiam, quam ipsa excedit ratione suae imma-

(1) Metaph. Spec. p. 2. cap. 3. n. 132.
(2) Cfr. S. Th. qq. dd. de Anima a. 1.

terialitatis, *Conc.*, quam non excedit, *Nego. Contrad. min.* Si sit forma quae non excedit capacitatem materiae, *Conc.*, si eam excedit, *Nego*, *Nego conseq.* (1).

Obiect. 3ª. Quod habet esse per se subsistens est perfectum in aliqua specie. Atqui forma substantialis non est perfecta in aliqua specie, quum sit pars speciei. Ergo vel anima humana non est per se subsistens, vel non est forma substantialis corporis.

Resp. *Dist. mai.* Si sit subsistens completum in linea essentiae, *Conc.*, secus, *Nego. Conc. min. Nego conseq.* « Ad *tertium* dicendum « quod anima humana non est hoc aliquid sicut substantia completam « speciem habens, sed sicut pars habentis speciem completam etc. » (S. Th. qq. dd. de Anima art. 1.).

Obiect. 4ª. Forma debet esse proportionata materiae. Atqui anima rationalis, quum sit incorruptibilis, non est proportionata corpori corruptibili. Ergo anima rationalis non est forma corporis.

Resp. *Dist. mai.* Si haec proportio importaret *adaequationem* materiae ad formam in virtute essendi, *Nego*, si haec proportio importat meram habitudinem materiae ad formam, *Conc. Contrad. min.* Non est proportionata proportione *aequalitatis*, *Conc.*, proportione *habitudinis*, *Nego. Nego conseq.* Falsum omnino est ad hoc ut potentia subiectiva in ordine essentiae sit proportionata actui requiri aequalitatem perfectionis inter utrumque; sed tantum requiritur ut potentia subiectiva sit apte disposita ad talem formam, cum qua debet constituere unum ens completum in aliqua specie. Quod autem forma in sua virtute essendi excedat vel non excedat capacitatem materiae, dependet a natura essentiae, quae ex earum unione resultare debet. Quapropter quum resultare debet natura humana, quae est essentialiter intellectiva, necesse omnino est ut forma in sua virtute essendi excedat capacitatem materiae.

Obiect. 5ª. Forma substantialis uniri debet materiae ad aliquod bonum sui. Atqui anima intellectiva nequit uniri materiae ad aliquod bonum sui, neque substantiale, quia est per se subsistens, neque accidentale, quia separata a corpore adhuc intelligere valet. Ergo anima intellectiva non unitur corpori ut forma.

Resp. *Dist. mai.* Ita tamen ut hoc bonum sit simul et primario bonum essentiae ad quam constituendam forma ex natura sua ordinatur, *Conc.*, ita ut sit bonum formae independenter ab essentia, cuius est forma, *Nego suppositum*, quia unio formae cum materia ita est primario in bonum essentiae, ut sit etiam in bonum tum substantiale

(1) Cfr. S. Th. in I. Sent. Dist. 8. q. 5. a. 2. ad 6.

tum accidentale ipsius formae *Nego min. Dist. rat. addit.* Anima intellectiva separata a corpore adhuc intelligere valet ea intellectione distincta, quam acquireret per species a phantasmatibus abstractas, *Nego,* intellectione confusa, quam habet per species ei *naturaliter* inditas, *Conc. Nego conseq.*

In statu separationis animam ipsas naturas rerum sensibilium intelligere per species inditas cognitione magis confusa, quam esset ea quam per abstractionem a phantasmatibus acquireret, docet S. Thomas in 1. p. q. 88. praesertim in articulo 3. in quo ita loquitur: « Respondeo « dicendum quod sicut supra dictum est (art. 1. huius quaest. ad 3.), « anima separata intelligit per species, quas recipit ex influentia divini « luminis, sicut et angeli. Sed tamen quia natura animae est infra « naturam angeli, cui iste modus cognoscendi est naturalis, anima se- « parata per huiusmodi species non accipit perfectam rerum cognitionem « sed quasi in communi et confusam, etc. » Conferatur integer articulus. Insuper ibid. ad 4. ait: « Dicendum, quod cognitio quae acqui- « ritur hic per studium est propria et perfecta, alia autem (id est cognitio « quam de rebus naturalibus anima separata acquiritur per species « naturaliter inditas) est confusa ».

Obiect 6ª. Quae sunt diversorum generum, nequeunt convenire in eodem esse ac proinde unum nequit esse forma substantialis alterius. Atqui anima et corpus sunt diversorum generum, quum anima sit substantia immaterialis, corpus autem sit materiale. Ergo anima humana nequit esse forma substantialis corporis.

Resp. *Dist. mai.* Si sint directe sub genere, *Conc.*, si sint *reductive* tantum sub genere, *Nego. Contrad. min. Nego conseq.* « *Ad decimum-* « *tertium* dicendum, quod necesse est, si anima est forma corporis, quod « animae et corporis sit unum esse commune, quod est esse compositi. « Nec hoc impeditur per hoc quod anima et corpus sint diversorum « generum, nam neque anima neque corpus sunt in specie vel genere, « nisi *per reductionem* sicut partes reducuntur ad speciem vel genus « totius » (qq. dd. de Anima a. 1.).

Obiect. 7ª. Esse corporis humani est esse corruptibile et ex partibus quantitativis resultans. Atqui esse animae est incorruptibile et simplex. Ergo corporis et animae non est unum esse, ac proinde anima non est forma substantialis corporis humani.

Resp. *Dist. mai. Esse essentiae* corporis humani, videlicet ipsa essentia humana, est aliquid corruptibile, *Conc., esse existentiae*, quo corpus humanum actuatur in linea existentiae, *Nego. Conc. min. Nego conseq.* In hac obiectione perperam confunditur *esse essentiae* cum *esse existentiae.* Quemadmodum in Philosophia prima monuimus, vocabu-

lum *esse* aliquando non sumitur pro existentia, quae est ultima rei actualitas, sed pro mera essentia rei, et in hac acceptione *esse essentiae* opponitur τὸ *esse existentiae.* Quapropter hac aequivocatione disiecta, quisque videt ex eo quod essentia corporis humani, nempe ipse homo, sit aliquid corruptibile, utpote resultans ex forma et materia contrarietati subiecta, minime sequi esse corruptibile *ipsum esse existentiae* humanae, quod est ultima actualitas animae intellectivae, et, hac mediante, totius compositi humani. Et sane, quum *esse existentiae* sit actus, et se teneat ex parte animae quae est per se subsistens, quaeque trahit materiam in homine ad unitatem sui esse; nullo modo sequitur ad dissolutionem compositi corruptibilis, corrumpi esse existentiae eiusdem. Quum enim existentia sit actus, non est corruptibilis *per se*, quum autem sit ultima actualitas animae intellectivae, nequidem *per accidens* corruptibilis est, quia anima intellectiva est naturâ suâ immortalis, ut demonstravimus in Thes. 59.

Obiect. 8ª. Anima definitur ab Aristotele (De Anima Lib. 2.), actus primus corporis physici organici. Atqui quod in hac definitione refertur ad animam, ut materia ad formam, est corpus physicum et organicum, videlicet corpus iam aliqua formâ actuatum. Ergo anima non est forma substantialis sed accidentalis tantum.

Resp. *Dist. mai.* Anima dicitur actus corporis physici, sicut lux dicitur actus lucidi, idest quatenus per eam constituitur corpus in actu corporis physici et organici, *Conc.*, dicitur actus corporis physici etc., quasi corpus sit iam per aliam formam constitutum in esse corporis physici, *Nego. Contrad. min. Nego conseq.* Doctrina Aristotelis de unione animae ad corpus notissima est. Caeterum etsi aliquis eam ignoraret, ipsa verba quibus dicit animam esse *actum primum* corporis physici organici abunde manifestant Aristotelem in ea definitione asserere animam esse formam substantialem, quae nullo alio actu praecedente informat materiam ad constituendum corpus physicum et organicum.

Obiect. 9ª. Quorum est unum esse, est una operatio. Atqui operatio intellectiva est solius animae humanae. Ergo corporis et animae humanae non est unum esse, ac proinde anima intellectiva non est forma substantialis corporis.

Resp. *Dist. mai.* Est una operatio unitate *principii formalis remoti* et unitate *principii quod* seu suppositi, *Conc.*, unitate etiam principii materialis, *Subdist.* Si principium materiale pertingat ad perfectam participationem nobilitatis principii formalis, *Conc.*, secus, *Nego*, *Contrad. min.* Operatio intellectiva est solius animae, tamquam *principii formalis*

remoti, Conc., tamquam *principii quod* seu suppositi, *Nego.* Nam sub hac ratione est operatio suppositi. Socrates enim per intellectum intelligit: « *Ad decimumoctavum* dicendum, quod quamvis esse animae « sit quodammodo corporis, non tamen corpus attingit ad esse animae « participandum secundum totam suam nobilitatem et virtutem, et « ideo est aliqua operatio animae in qua non communicat corpus » (S. Th. l. c.).

Obiect. 10ª. Intellectus noster non potest esse actus alicuius organi propter suam spiritualitatem. Atqui anima rationalis est aeque spiritualis, ac sua potentia intellectiva. Ergo anima rationalis nequit esse forma corporis.

Resp. Intellectus noster non potest esse actus alicuius organi propter suam spiritualitatem coniunctam cum imperfectione formae accidentalis et cum natura operationis, quam elicere debet, *Conc.*, tantum propter suam spiritualitatem, *Nego. Conc. min.* et *Nego conseq.* Similis difficultas iam soluta fuit sub n. 128. Itaque, intellectus noster nequit esse actus alicuius organi, non solum quia est principium proxime elicitivum operationis prorsus immaterialis, in qua nequit haberi organum ut comprincipium operativum; sed etiam quia non est forma substantialis, sed *accidentalis.* Quum enim forma accidentalis dependeat in esse a subiecto, cuius est actus, si noster intellectus esset actus alicuius organi, dependeret in suo esse a subiecto materiali, ac proinde esset forma materialis, quod repugnat. Dum contra, quum forma substantialis communicet esse subiecto, quod est pura potentia subiectiva; non dependet in esse a subiecto, sed viceversa subiectum dependet ab ea. Et ideo quum forma substantialis communicat materiae tale esse, quod materiae capacitatem excedit, huiusmodi forma erit simul substantialis et per se subsistens seu spiritualis. Et ideo, quamvis spiritualitas animae humanae non sit minor spiritualitate intellectus humani mirum non est animam rationalem posse esse formam corporis, intellectum autem non posse. Ex data solutione.

Intelliges *a)* quo sensu ab Aristotele (de Anima lib. III. text. 9.) intellectus dicatur separatus, videlicet quia non est actus alicuius organi (1).

Intelliges *b)* animam humanam esse formam corporis secundum essentiam animae intellectivae, non autem secundum operationem intellectivam, neque secundum potentiam elicitivam intellectionis.

Quocirca quaerenti utrum anima humana dici possit forma substantialis corporis *quaetenus intellectiva?*

---

(1) Cfr. S. Th. C. G. lib. 2. cap. 69. « Est in anima considerare et ipsius essentiam, et potentiam eius, etc. ».

Resp. Si τὸ *quatenus intellectiva* referatur *ad essentiam animae,* ita ut sensus sit anima humana per essentiam suam, quae est *formaliter* intellectiva, est forma substantialis corporis humani, potest et debet dici forma corporis quatenus intellectiva. Si autem τὸ *quatenus intellectiva* referatur sive ad ipsam potentiam intellectivam animae, sive ad huius intellectualem operationem, ita ut sensus esset: anima humana est per suam potentiam vel per suam operationem intellectivam forma substantialis corporis, nullatenus dici potest forma corporis quatenus intellectiva. Intellectus enim et intellectio hominis quamvis sint in corpore ratione animae, quae informat corpus, tamen non sunt ex corpore neque sunt actus ullius organi corporei. Idcirco S. Thomas (qq. dd. De Anima art. 9.) difficultati undecimae dicenti: « Anima intellectualis « est forma *inquantum* est intellectualis. Sed intelligere est median- « tibus aliis potentiis. Ergo anima unitur corpori ut forma mediantibus « aliis potentiis »; ita respondet: « *Ad undecimum* dicendum, quod « licet anima sit forma corporis *secundum essentiam* animae intelle- « ctualis, non tamen secundum operationem intellectualem ».

QUAESTIO XXX.

DE UNITATE FORMAE SUBSTANTIALIS IN HOMINE.

THESIS LXXVII (1).

In homine non est alia forma substantialis, quam anima intellectiva, « et per eam homo non solum est homo, sed et « animal, et vivum, et corpus, et substantia, et ens » (2).

PRAENOTIONES.

226. I. **Defensores et osores huius sententiae.** Huic sententiae, quam S. Thomas tuetur cum Aristotele, B. Alberto Magno aliisque magni nominis Doctoribus, quamque sequuntur ii omnes, qui eius vestigiis fideliter inhaerent, atque eius metaphysica principia non mutilata profitentur, contradicunt non solum ii, qui in homine praeter animam rationalem admittunt animam sensitivam et vegetativam ab invicem realiter distinctas, sed etiam qui profitentur quidem animam rationalem in homine non distingui realiter ab anima sensitiva et vegetativa, eamque esse formaliter intellectivam et virtualiter sensitivam atque vegetativam, negant tamen eam esse etiam virtualiter corpoream: aiunt enim corpus humanum constitui in esse corporis organici per aliam formam, quam retinet dum informatur anima humana. Hanc autem formam diversimode explicant pro diversis eorum philosophandi placitis.

Scotus ait corpus organicum resultare ex materia prima et ex *forma corporeitatis*, quam ita vocat, quia constituit corpus in esse corporis, dum contra per animam constituitur tantum in esse viventis: eam vocat etiam *formam mixti* seu *mixtionis*, quia ex mixtione elementorum resultat, tandem eam vocat etiam *formam organicam,* quia per eam in corpore resultant organa, quibus corpus disponitur ad recipiendam

(1) Haec Thesis, quae est corollarium praecedentis, fuit a nobis plene demonstrata in Thes. 40. Attamen in re tanti momenti nonnulla addidisse iuvabit. Ad eam bene intelligendam revocanda sunt in mentem ea quae demonstravimus in Cosmologia de primis principiis intrinsecis entis mobilis Thesib. 1. 2. et 3. et de unitate viventis corporei in Th. 40.

(2) S. Th. qq. dd. de Spirit. creat. a. 3.

animam. Scoti opinio ex ipsa Theseos demonstratione et obiectionum solutione refutata erit.

Recentiores quidam philosophi, qui post Cartesium negant corpora constare ex materia prima et forma substantiali, atque non valentes imaginationem transcendere, arbitrantur corpora resultare ex aggregationibus atomorum per se subsistentium, asserunt corpus organicum resultare per vim cohaesivam atomorum ex harum varie dispositis aggregationibus; cui corpori, vel potius corpusculorum aggregationi, anima rationalis unitur. Si autem quaeras ab eis, cuiusnam rationis haec unio sit, non omnes aequaliter respondent.

II. **Exponitur et refutatur Systema asserentium vires animae permisceri viribus corporis.** Quidam aiunt vires animae permisceri viribus corporis, et ex hac permixtione virium resultare naturam humanam. In qua responsione non solum non salvatur unitas substantialis hominis, sed quaedam falsa et absurda asseruntur. Etenim *a)* quum plura subsistentia ita iunguntur ut maneant subsistentia distincta, unitas quae resultat est quaedam unitas accidentalis aggregationis. Insuper *b)* haec virium permixtio vel importat animam et corpus singillatim operari ad aliquem effectum communem obtinendum extra se, ut quum plures concurrunt ad movendam navim, vel significat ea vicissim agere et pati, vel significat vires unius transferri in aliud. In prima hypothesi nulla habetur unitas ex parte principii operantis sed tantum ex parte termini. In secunda hypothesi, ad summum habetur unitas quaedam aggregationis; cum autem repugnet corpus agere in spiritualem substantiam, haberetur unio platonica animae moventis cum corpore moto, sicut si angelus moveret montem. Tertia hypothesis est absurda quia vires unius nequeunt transferri in aliud, nisi improprie, quatenus nempe unum movet aliud, vel ambo vicissim agunt et patiuntur.

III. **Exponitur et refutatur Systema asserentium animam uniri corpori producendo in eo modum, quo illud vivificat.** Asserunt quidam animam rationalem uniri corpori resultanti ex atomorum aggregatione atque in organismum disposito, non quidem illud formaliter vivificando, ita ut sensatio evadat operatio compositi, sed producendo in corpore *modum* aliquem, quo corpus formaliter vivat, quique modus a corpore non distinguitur realiter. Quod si quaeras ab eis, quomodo fieri potest ut anima et corpus, si remaneant substantiae subsistentes in suo esse, uniantur substantialiter, respondent: animam et corpus, quamvis sint substantiae per se subsistentes et realiter distinctae, tamen uniri substantialiter per hoc quod constituant unicum principium operationis seu unicam naturam. Quae omnia pugnantia

esse et nonnisi verba, iam satis demonstravimus (n. 30. VII. et nn. 88. 89. 90.).

Et sane, ut omittamus sensationem esse operationem compositi, et absurde omnino ab adversariis dici animam sentire per hoc quod recipiat impressionem immediate ab organo corporeo, mediate autem a sensibilibus exterioribus, quaerimus 1° ad quid reducitur haec unio animae subsistentis cum corpore organico subsistente? Respondent consistere in hoc quod anima producat in corpus *modum* aliquem quo corpus formaliter vivat, qui *modus* non est aliud realiter ab ipso corpore. Ex qua responsione fluit *a)* animam non uniri corpori ut causam formalem sed ut *causam efficientem*, quatenus nempe producit in corpus aliquem modum; *b)* hanc animae efficientiam *resolvi in nihilum*. Nam si iste modus non distinguitur realiter a corpore, anima nullam novam realitatem producit in corpore; porro causa efficiens quae nullam producit realitatem, est causa cuius efficientia resolvitur in nihilum. Ergo haec mirabilis et substantialis unio animae cum corpore, tandem aliquando neque erit substantialis, neque erit formalis, neque erit causae efficientis cum suo reali effectu, sed erit mera quaedam et inintelligibilis coexistentia in eodem loco substantiae spiritualis cum substantia corporali. Sed praescindendo ab huiusmodi incohaerentiis, permittamus secundum hanc opinionem animam modo hoc inintelligibili uniri posse corpori subsistenti ad aliquid cum ipso operandum in composito humano, et per ipsum tamquam per instrumentum ad operandum aliquid in alia corpora. Quaerimus quamnam unitatem habere poterit principium operationis ex tali coniunctione resultans? Profecto non aliam unitatem, quam accidentalem in infimo gradu, eam videlicet, quae resultat ex pluribus subsistentibus ad invicem ita agentibus vel patientibus, ut unum inserviat alteri tamquam instrumentum ad aliquod opus. Iamvero hanc vel similem unionem duarum substantiarum constituere unicam naturam ille dixerit, qui ignoraverit non omne principium operandi aequalem unitatem importare: aliquod enim principium operandi habet unitatem tantum ex parte termini operationis, sicut sunt multi equi simul trahentes unum currum, vel sculptor simul cum scalpello sculpens statuam; aliquod principium operandi habet unitatem etiam ex parte principii tum proximi tum remoti, sicut est Deus in quo essentia et potentia operativa prorsus identificantur; aliquod autem aliud principium operandi habet unitatem tantum ex parte principii remoti sed non ex parte principii proximi, sicut sunt creaturae in quibus essentia (quae quatenus est principium remotum operationis vocatur *natura*) distinguitur realiter a potentiis operativis, quae sunt principia proxima operationum. Asserere igitur animam rationalem et corpus

per se subsistentia coniungi posse in unitatem naturae eo quod ad id sufficiat, ut conveniant in unitate principii operativi quamvis remaneant substantiae in suo esse distinctae, est in ambiguis ludere. Nomen enim *natura* in scholis semper usurpatum fuit ad designandam ipsam substantiam, quatenus ratione suae formae substantialis est *primum principium quo remotum* operationum.

Mirum non est, si, relictis principiis verae metaphysicae, quae est Sancti Thomae, eius desertores eo logice deveniant, ut licet verbis fateri cogantur animam rationalem esse formam substantialem corporis humani, re tamen negent.

PROBATUR THESIS (1).

227. I. Sicut iam demonstravimus in Cosmologia q. I., prima principia intrinseca entis corporei sunt pura potentia subiectiva, quae vocatur materia prima, et actus primus, qui vocatur forma substantialis. Atqui anima humana est forma substantialis entis corporei, quod vocatur homo, sicut demonstravimus in Thesi praecedenti. Ergo anima humana est actus primus corporis humani. Sed si corpus humanum praeter animam humanam actuaretur immediate per formam corporeitatis, haberet duos actus primos, quod repugnat. Ergo nisi velit quis asserere animam esse simul et non esse actum primum hominis, fateri debet eam esse unicam formam substantialem eius.

II. Ens quod habet esse primo et simpliciter est substantia: forma autem substantialis est actus per quem ens, cuius essentia est composita ex potentia et actu, constituitur formaliter in ratione entis primo et simpliciter. Ergo repugnat ut in aliquo ente sint plures formae substantiales. Sed anima humana est forma substantialis in homine. Ergo impossibile est ut in homine praeter animam humanam sit alia forma, per quam homo constituatur in ratione substantiae corporeae.

III. Illud ens corporeum, quod vocatur homo, existit extenso modo, vegetat, sentit et intelligit. Atqui id per quod primo ei competit sub dimensionibus existere, vegetare, sentire et intelligere, debet esse unicum principium formale primum. Ergo in homine non est alia forma substantialis quam ea quae sit formaliter intellectiva et virtualiter sensitiva, vegetativa et corporea, quam vocamus animam rationalem. *Maior* est evidens. *Minor* ita probatur. Unusquisque nostrum sentit et intelligit se sentire. Ergo in nobis idem est principium sentiendi et intelligendi, nam operationes immanentes nequeunt reduci ad uni-

(1) Cfr. S. Th. in II. de Anima, lect. 1. — qq. dd. de Spirit. Creat. a. 3.

tatem, nisi fundentur in eodem primo principio formali. Sensatio autem est operatio compositi. Ergo idem principium formale compositi, nempe corporis prout corpus est organicum et extensum, est principium sentiendi. Sed primum principium quo sentiendi est primum principium quo intelligendi. Ergo in homine anima intellectiva est unica forma.

IV. Confirmatur argumentis allatis in Thesi 40. ubi demonstravimus unitatem formae substantialis in vivente.

SCHOLIA.

228. I. **Anima rationalis non unitur corpori nisi materia sit ultimo disposita ad hanc nobilissimam formam.** Ex eo, quod anima rationalis *immediate* uniatur materiae primae, minime sequitur materiam quocumque modo dispositam posse informari ab anima rationali. Nam propria potentia respondere debet proprio actui. Quapropter nobilissimae formarum respondere debet nobilissimum corpus mixtum, apprime attemperatum, et perfecte organizatum. Id autem in naturali generatione praestatur per successivas formas viales. Tunc enim anima rationalis infunditur corpori, quum hoc ad ultimam dispositionem pervenerit, vi cuius evadit propria potentia huius nobilissimi actus seu formae, quae est anima intellectiva. Hac autem adveniente in instanti, quo generatio perficitur, cessat forma inferior actuare materiam ad talem gradum dispositionis elevatam, ut nequeat ab alia forma actuari quam ab anima rationali, quae quum sit nobilissima formarum substantialium, praeter causalitatem formalem sibi propriam praestat totum id, quod inferiores formae successive praestiterunt. Ea enim est *formaliter* intellectiva, *virtualiter* autem *sensitiva*, *vegetativa* et *corporea*.

Quapropter obiicienti: Anima unitur materiae dispositae. Ergo unitur materiae existenti et remanenti sub quadam alia forma, **respondebis:** *Conc. antec. sed nego conseq.* Etenim consequentia staret si anima non posset praestare id quod praestant formae inferiores. Quum autem anima rationalis sit perfectissima omnium formarum substantialium, sequitur eam praestare posse et debere quidquid inferiores formae substantiales praestant. Iure igitur Cardinalis Caietanus (in 1. p. q. 76. a. 4. ad 3.) carpit adversarios, qui tali obiectione utuntur utpote duplici fallacia peccantes, nempe *non causae* et *consequentis. Non causae* quidem, quia animam humanam uniri *immediate* materiae non importat animam esse imperfectam, sed eam dare materiae ipsum primae perfectionis gradum. Quare similes essent ei, qui ita ratiocinaretur: homo intelligit, ergo non potest sentire, neque vegetare.

Insuper peccant fallaciâ *consequentis*, qui argumentantur a superiori ad inferius affirmative, sicut si aliquis diceret: *est animal*, *ergo est homo*.

Tandem animadvertere liceat tale argumentum retorqueri posse contra Scotum caeterosque, qui admittunt non esse in homine tres animas, nempe rationalem, sensitivam et vegetativam, sed profitentur animam rationalem esse virtualiter sensitivam et vegetativam. Nam quemadmodum forma corporis organici disponit ad formam vegetativam, haec disponit ad sensitivam, et sensitiva ad intellectivam.

II. **Anima humana quatenus consideratur ab intellectu in functione formae inferioris dici potest haberi ad seipsam, quatenus consideratur in functione formae superioris, ut potentia ad actum.** Etenim quum anima rationalis praestet in homine omnes effectus formales formarum inferiorum, praebet intellectui fundamentum considerandi ipsam sub diversis rationibus, ita ut intellectus noster dum considerat animam, quatenus praestat effectum formalem formae inferioris, comparare possit eam ad seipsam quatenus praestat munus formae superioris, ut *perfectibile* ad *perfectivum*, seu ut *materiale* ad *formale*. Et ideo intellectus noster cum veritate dicit animam rationalem, quatenus confert corpori humano infimum gradum essendi corporis physici, se habere ad seipsam, quatenus ei confert gradum essendi corporis vegetantis, ut potentia ad actum, atque iterum, quatenus ei confert gradum essendi corporis vegetantis, se habere ad seipsam, ut potentia ad actum, quatenus ei confert gradum essendi sensitivi etc. Ex qua animadversione apparet etiam quomodo cum veritate dicere quis possit *proprium susceptivum* animae esse tum *materiam primam* tum *corpus organicum*. Quatenus enim anima consideratur *identice* et *materialiter*, idest ut *forma substantialis corporis*, materia prima dicitur esse eius proprium susceptivum. Quatenus autem anima consideratur *formaliter* ut anima, idest in eo gradu perfectionis, qui competit ei ut est principium formale vitae, corpus organicum dicitur esse proprium susceptivum eius. Itaque:

Quaerenti 1°. *Utrum anima humana coniungatur* IMMEDIATE *vel* MEDIATE *materiae primae?*

Resp. Si anima sumatur *identice* et *materialiter*, dicenda est uniri *immediate* materiae primae; si autem sumatur *formaliter*, quatenus est *anima* et tribuit corpori gradum essendi proprium viventium, dicenda est uniri materiae primae *mediate*, videlicet *mediante seipsa* quatenus tribuit corpori inferiorem etiam gradum essendi. Quapropter pro multiplicitate graduum perfectionis, quos communicat corpori, sunt varii gradus *virtualis mediationis* inter animam et seipsam.

Quaerenti 2°. *Cur anima dicatur uniri corpori, non autem materiae primae?*

Resp. Quia nomen *anima* formaliter acceptum importat principium formale vitae, quod habet pro potentia subiectiva proportionata corpus organicum. Corpus autem viventis, in quantum corpus, actuatur ab anima, non quatenus est formaliter principium vitae, sed quatenus est virtualiter forma corporea.

III. **Anima, quatenus motor, unitur corpori per medium.** Etenim anima non solum est forma corporis, sed etiam est motor eius, ita tamen ut anima non moveat corpus immediate sed mediantibus potentiis operativis, quae sunt principia proxima operationum eius. Hinc fit ut inter animam et corpus, quatenus anima est eius forma, non cadat aliquod medium, quatenus autem anima est corporis motor cadit aliquid medium, nempe intercedunt potentiae operativae. Hac re pulcherrime declarata, S. Thomas (1) ita concludit: « Sic ergo inter « animam secundum quod est motor et principium (remotum) opera- « tionum, et totum corpus, cadit aliquid medium, quia mediante aliqua « prima parte primo mota movet alias partes ad suas operationes, « sicut mediante corde movet alia membra ad vitales operationes: « sed secundum quod dat esse corpori, immediate dat esse substan- « tiale et specificum omnibus partibus corporis. Et hoc est quod a « multis dicitur, quod anima unitur corpori ut forma sine medio, ut « motor autem per medium ».

IV. **Accidentia, quae praeexistunt in corpore ante infusionem animae, sunt numerice diversa ab accidentibus compositi animati.** Etenim quum non omnia composita corporea producta sint per creationem, sed primis creatis, nova per corruptiones et generationes producta deinde fuerint et producantur; hinc fit ut in processu generativo materia existens sub una forma substantiali, gradatim per agentia naturalia recipiat in composito talia accidentia, quae eam indisponunt ad formam quam habet et disponunt ad aliam formam, quae ab agente proportionato causabitur in materia statim ac evadat ultimo disposita ad eam suscipiendam. Quum autem in novo composito generato dispositiones accidentales dependeant in esse mediante nova forma, a nova substantia, a qua per resultantiam causantur; nequeunt esse eadem accidentia cum eis, quae in composito corrupto inveniebantur, quum unitas entis ab eius esse dependeat, sed quaedam ex eis nempe *accidentia propria* novae essentiae sunt tum *numerice* tum *specifice* diversa, accidentia autem *communia* sunt tantum *numerice* diversa.

(1) QQ. dd. de Anima a. 9.

OBIECTIONES (1).

229. **Obiect. 1ª.** Philosophus per definitionem, qua (in 2° de Anima, cap. 1.) definit animam *actum corporis physici organici potentiâ vitam habentis,* comparat corpus physicum organicum potentiâ vitam habens ad animam, ut materiam ad formam. Atqui corpus nequit esse physicum et organicum absque aliqua forma substantiali. Ergo iuxta Philosophum est in corpore humano forma substantialis corporeitatis praeter animam humanam.

Resp. *Dist. mai.* Philosophus per eam definitionem comparat corpus organicum ad animam *formaliter* acceptam, *Conc., identice* acceptam, *Nego. Dist. min.* Corpus nequit esse physicum et organicum absque aliqua forma, quae sit *vel re vel ratione* distincta ab anima, *Conc.*, quae sit *semper realiter* distincta ab anima, *Nego* et *nego consequentiam.* Solutio patet ex n. 228. II.

Obiect. 2ª. Quae sunt diversa per essentiam, non uniuntur sine medio. Sed anima et corpus differunt per essentiam. Ergo nequeunt immediate uniri.

Resp. *Dist. mai.* Si sint essentiae completae in ratione speciei, *Conc.*, *secus, Nego. Contrad. min.* Anima et corpus differunt ab invicem tamquam essentiae completae, *Nego,* ut partes essentiae, idest ut actus et potentia in linea eiusdem essentiae, *Conc. Nego conseq.*

Obiect. 3ª. In processu generativo corpus ante adventum animae rationalis habet aliquam formam. Atqui adveniente anima rationali, nequit dici illa forma deficere, quia non adnihilatur, neque migrat in aliud subiectum. Ergo simul cum anima rationali remanet in homine forma corporeitatis.

Resp. *Dist. mai.* Habet aliquam formam stabilem et determinatam speciem habentem, *Nego*, habet aliquam formam vialem et embryonalem, *Conc. Nego min. Ad. rat. addit.* Addo tertium membrum, videlicet in processu generativo illa forma *corrumpitur per accidens* ad corruptionem compositi, cui succedit per adventum animae rationalis compositum humanum.

Sedulo notandum est processum generativum hominis resultare ex successivis generationibus et corruptionibus, quae terminantur ad generationem hominis, quae locum habet per infusionem animae humanae corpori iam viventi vita non solum vegetativa, sed etiam sensitiva. In qua successione est successio formarum intermediarum, quae non

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Spirit. Creat. a. 3. — de Anima a. 9.

sunt in determinata seu perfecta specie sive vegetali, sive animali, sed sunt imperfectae et essentialiter tendentes ad disponendam materiam ad animam rationalem, quae est terminus generationis humanae. Idem proportionaliter contingit in generatione brutorum. Idcirco S. Thomas (1) loquendo de operationibus vitae, quae apparent in embryone, postquam excluserit erroneas explicationes, ita concludit: « Relinquitur ergo dicendum, quod in generatione hominis vel animalis « sunt multae generationes et corruptiones sibi invicem succedentes. « Adveniente enim perfectiori forma, deficit imperfectior. Et sic cum « in embryone primo sit anima vegetativa tantum; cum perventum « fuerit ad maiorem perfectionem, tollitur forma imperfecta, et suc- « cedit forma perfectior, quae est anima vegetativa et sensitiva simul; « et ultimo cedente, succedit ultima forma completissima, quae est « anima rationalis ».

Obiect. 4ª. Nemo dat quod non habet. Sed anima rationalis non habet corporeitatem, cum sit incorporea. Ergo non dat homini corporeitatem; et ita oportet quod homo habeat hoc ab alia forma.

Resp. *Dist. mai.* Nemo dat quod neque *formaliter*, neque *virtualiter* habet, *Conc.*, nemo dat quod saltem *virtualiter* habet, *Nego. Contrad. min. Nego conseq.* In hac et similibus obiectionibus plura confunduntur. Ex eo enim quod forma perfectior habeat *formaliter* eam perfectionem, qua specificatur, non sequitur eam non habere *virtute* perfectiones inferiorum formarum. Insuper ex eo quod anima non sit corpus non sequitur eam non posse esse formam corporis. Si enim haec consequentia bona esset, sequeretur, nullam omnino formam posse esse formam corporis, quum repugnet formam esse corpus. Itaque nemo confundat corpus cum primis principiis intrinsecis corporeis, quae sunt pura potentia subiectiva seu materia prima, et actus primus seu forma substantialis. Ita fiet ut non miretur, si praedicata quae conveniunt composito non conveniant eius componentibus et vicissim. Etenim ex. gr. corpus est corruptibile *per se*, forma substantialis materialis est corruptibilis tantum *per accidens*, materia prima non est corruptibilis neque *per se* neque *per accidens*.

Obiect. 5ª. Formae uniuntur materiae eo modo, quo materia est in potentia ad eas. Sed materia per prius est in potentia ad formas elementorum, quam ad alias formas. Ergo anima et aliae formae non uniuntur materiae, nisi mediantibus formis elementorum.

Resp. *Dist. mai.* Quatenus adesse debet aliquis ordo in successione formarum in materia, *Conc.*, quatenus materia immediate informari

(1) QQ. dd. de Sp. cr. a. 3. ad 13.

possit tantum a formis infimae perfectionis, *Nego Contrad. min.* Materia est per prius in potentia ad formas elementorum, quatenus ordine naturae materia prius informatur a formis elementorum; et dum informatur formis perfectioribus, hae continent virtute perfectionem formarum elementarium, *Conc.*, quatenus immediate informari possit tantum a formis elementaribus, *Nego. Dist. conseq.* Animae et aliae formae non uniuntur materiae, nisi habeant etiam virtutem formarum inferiorum, *Conc.*, nisi formae inferiores simul actuent eamdem materiam, *Nego.*

Obiect. 6ª. Corpus humanum et cuiuslibet animalis est corpus mixtum. Sed in mixto oportet ut remaneant formae elementorum. Ergo anima unitur corpori mediantibus formis elementaribus.

Resp. *Dist. mai.* Est *mixtum reale, Conc.*, est mixtum ad sensum, *Nego. Contrad. min.* In mixto ad sensum, *Conc.*, in mixto reali, *Subdist.* Remanent *virtute*, *Conc.*, remanent *actu*, *Nego.*

Obiect. 7ª. Illud, quo subtracto, solvitur unio aliquorum unitorum, videtur esse medium inter ea. Sed subtractis spiritibus vitalibus et calido naturali extincto, solvitur unio animae et corporis. Ergo praedicta sunt medium inter animam et corpus.

Resp. *Dist. mai.* Si quae uniuntur sint unita accidentaliter, *Conc.*, si sint unita substantialiter, *Subdist.* Est dispositio quaedam immediate afficiens compositum, ut materia evadat propria potentia alicuius formae substantialis, *Conc.*, est quaedam forma media immediate actuans materiam, *Nego. Contrad. min. Nego conseq.* Solutio patet ex dictis sub n. 228. I.

Obiect. 8ª. In homine sunt partes quaedam corporeae essentialiter diversae, ut cerebrum, cor, carnes, ossa etc. Atqui quae sunt huiusmodi sunt specifice diversa. Ergo debent constitui in sua specie per formas diversas.

Resp. *Dist. mai.* Si τὸ *essentialiter* significat eas habere *dispositiones* diversas procedentes a multiplici virtute animae, *Conc., si* τὸ *essentialiter* significat eas habere diversas essentias, *Nego.* Nam ipsae, quum sint partes, non sunt in specie aliqua, sed totum. *Contrad. min.* et *Nego Conseq.*

Obiect. 9ª. Si anima esset unica forma substantialis in vivente, admitti deberet in cadavere nova forma, quae cadaverica vocatur. Atqui haec forma cadaverica nequit admitti, quum nequeat adsignari eius causa sufficiens. Ergo in corpore vivente admittenda est alia forma corporea praeter animam.

Resp. *Dist. mai.* Deberet admitti nova forma imperfecta et vialis ad corruptionem, *Conc.*, nova forma perfecta, quae constituat corpus

in specie completa, *Nego. Nego min. et conseq.* S. Thomas in Lib. I. de Generat. lect. 8., hanc difficultatem ita praeoccupat. « Manifestum est « in generatione compositorum, puta animalis, quod inter primum « principium generationis, quod est in semine, et ultimam formam « animalis completam, sunt multae generationes mediae, quae neces- « sario terminantur ad aliquas formas, quarum nulla facit ens comple- « tum secundum speciem, sed est ens incompletum, quod est via ad « speciem aliquam. Similiter autem ex parte corruptionis sunt multae « formae mediae, quae sunt formae incompletae, non enim, separatâ « animâ, corpus animalis statim resolvitur in elementa, sed hoc fit per « multas corruptiones, succedentibus sibi in materia multis formis « imperfectis, sicut est forma corporis mortui (seu cadaveris) et postea « putrefacti ». Neque causa huius formae imperfectae est longe quaerenda. Quum enim in mixto vivente elementa remanserint *virtute*, cessante forma vitali ad mortem viventis, resultant iterum formae elementares ordine inverso quo in formatione mixti viventis fuerant attemperatae; ita ut prius ex disrupta attemperatione perfecta virium, quae erant in vivente, resultent quaedam formae mixtorum imperfectorum et vialium ad elementa, ultimatim vero ipsae formae elementorum, in quae corpus mortuum tandem resolvitur. Quare formae cadavericae et caeterarum imperfectarum, quae in corruptione sibi invicem succedunt usque ad elementa, *causa per se* est illud agens quod elementa primo produxit, *causa autem per accidens* sunt ea agentia sive naturalia sive artificialia quae destruxerunt in corpore vivente aliquam ex dispositionibus necessariis ad informationem animae.

Obiect. 10[a]. Post mortem Christi Domini iacuit per triduum in sepulchro *idem corpus*, quod fuit in Christo vivente. Atqui si corpus mortuum Christi fuisset informatum formâ cadavericâ fuisset aliud a corpore Christi viventis. Ergo documenta Fidei non sinunt nos admittere formam cadavericam.

Resp. *Dist. mai.* Fuit idem identitate hypostasis et materiae, *Conc.*, identitate totali, *Nego.* Nam secus non fuisset mortuum, *Contr. min. Nego conseq.* Propter identitatem *hypostasis* seu *suppositi* Corpus Christi mortuum remansit *simpliciter* idem (1).

Obiect. 11[a]. Si anima esset forma substantialis corporis in quantum corporis, anima Christi dici deberet remanere in Eucharistia sub speciebus panis ex virtute sacramenti, seu *ex vi verborum consecrationis*, et non tantum *per concomitantiam.* Atqui Concilium Tridentinum (in Sess. XIII. cap. 3.) docet animam Christi in Eucharistia

(1) Cfr. S. Th. 3. p. q. 10. a. 5.

sub speciebus panis adesse *per concomitantiam* dumtaxat. Ergo videtur admittenda in Corpore Christi forma corporeitatis, diversa ab anima, quae vi verborum remaneat.

Resp. *Dist. sequelam maioris.* Si anima *formaliter* ut anima esset forma substantialis corporis in quantum corporis, *Conc.*, si anima quatenus *virtualiter* praestat in corpore vivente munus formae corporeae in infimo gradu est forma substantialis corporis in quantum corporis, *Nego. Conc. min. Nego conseq.* Concilium non aliter loqui potuit. Nam ex naturali verborum significatione et ex ipsa speciali ratione Eucharistiae, nullatenus dici potuit Anima Christi adesse in Eucharistia sub speciebus panis *ex vi verborum.* Etenim ex hac sententia *sequeretur* 1° Corpus Christi *quatenus animatum* esse praesens sub speciebus panis in Eucharistia, et ideo numquam poni posse sub speciebus panis absque anima. Iamvero hoc falsissimum est. Nam si in triduo mortis aliquis Apostolus confecisset Eucharistiam, corpus mortuum Christi fuisset praesens sub speciebus panis, non autem anima. *Sequeretur* 2° non salvari significationem Sacramenti, quod est ad modum cibi et potus, quae significatio non convenit corpori informato animâ. *Sequeretur* 3° non repraesentari *sensibiliter* in Eucharistia sacrificium Crucis, idest mortem Christi et separationem Sanguinis a Corpore Christi. Etenim corpus separatum a sanguine nequit connaturaliter esse animatum. Iamvero verba consecrationis sunt pars sensibilis atque formalis Eucharistiae. Quamvis igitur anima rationalis sit unica forma substantialis in corpore Christi viventis, necesse fuit dicere eam in Eucharistia sub speciebus panis non adesse ex vi verborum consecrationis, sed tantum per naturalem concomitantiam.

Caeterum inopportune obiiciuntur contra doctrinam S. Thomae de unitate formae substantialis in homine ea verba, quae Patres Concilii Tridentini exscripserunt ex ipso S. Thoma, qui Doctrinae Catholicae de Venerabili Sacramento Eucharistiae fuit praeclarus expositor et defensor. En unum ex multis testimoniis S. Doctoris, ubi inveniuntur verba, quae Concilium sua fecit: « Respondeo dicendum quod omnino « necesse est confiteri secundum fidem catholicam quod totus Christus « sit in hoc Sacramento. Sciendum tamen quod aliquid Christi est in « hoc Sacramento dupliciter: uno modo quasi *ex vi sacramenti,* alio « modo *ex naturali concomitantia.* Ex vi quidem sacramenti est sub « speciebus huius sacramenti id, in quod directe convertitur substantia « panis et vini praeexistens, *prout significatur per verba formae,* quae « sunt effectiva in hoc sacramento, sicut et in caeteris mutationibus, « puta cum dicitur: *Hoc est corpus meum,* vel: *Hic est sanguis meus.* « Ex naturali autem concomitantia est in hoc sacramento illud quod

« realiter est coniunctum ei, in quod praedicta conversio terminatur. « Si enim aliqua duo sunt realiter coniuncta (coniunctione adaequata « et importante mutuam dependentiam), ubicumque est unum realiter, « oportet et aliud esse. Sola enim operatione animae discernuntur quae « realiter sunt coniuncta » (1).

Conferatur etiam testimonium S. Doctoris in IV. Sent. Dist. X. Quaest. 1. art. 2. Solutione 1. ubi praeter ea quae etiam in superiori testimonio habet, triplicem rationem affert, cur anima nequeat dici praesens *ex vi sacramenti* sub speciebus panis, nempe: *ex termino a quo* conversionis, qui est panis et vinum; ex *significatione formae* sacramentalis; et *ex usu sacramenti*, qui est cibus et potus. Deinde ita concludit: « Secundum hoc ergo patet quod cum anima Christi non « habeat similitudinem cum substantia panis, nec in forma sacramenti « de anima fiat mentio, nec anima conveniat ad usum sacramenti, qui « est manducare et bibere; ad animam non terminatur conversio panis « nec vini, sed ad corpus et sanguinem Christi, quae ab anima sepa- « rata non sunt *et ideo anima non continetur ibi ex vi sacramenti*, sed « tamen continetur ibi *ex naturali concomitantia* ad corpus quod vi- « vificat. Unde si fuisset facta conversio panis in corpus Christi, quando « erat mortuum, anima non fuisset sub sacramento ».

QUAESTIUNCULAE

230. **Quaeres 1°.** *Utrum sanguis, aliique humores non excrementitii informentur anima?*

Resp. Non omnium esse eamdem sententiam. Ad sanguinem praesertim quod attinet, P. Sylvester Maurus, qui (2) negantem sententiam

---

(1) 3. p. q. 76. a. 1.

(2) **Obiectio** *est sequens:* Omnes partes eiusdem compositi informantur eadem forma substantiali. Sed sanguis est pars animalis... Ergo etc. - « **Responsio** *P. Sylvestri Mauri:* « **Ad primum.** In vivente ac praesertim in animali dantur duo genera partium, essen- « tiales et integrales. Essentiales sunt sine quibus non potest esse species talis vi- « ventis ex. gr. materia et forma hominis. Nam nec corpus sine anima, nec anima « sine corpore est homo. Integrales sunt sine quibus vivens potest quidem retinere « speciem, sed non potest esse integrum, ex. gr. manus et pes. Potest enim dari homo « sine manu, sed tum non est integer, sed mutilus. Partes integrales aliae sunt pri- « mariae, aliae secundariae. Primariae sunt quae ita sunt partes viventis ut et ipsae « vivant; ita sunt partes subiecti vivificati et instrumenti coniuncti cum anima ad « exercendas operationes vitales, ut et ipsae sint partiale subiectum vivificatum et « instrumentum coniunctum ad exercendas tales operationes, ex. gr. manus, pes etc. « Partes secundariae sunt quae ita per suam substantiam sunt complementum subiecti « vivificati et instrumenti coniuncti prout talis, ut non sint partiale subiectum, nec « partiale instrumentum coniunctum animae, et tales sunt humores, capilli, ungues etc. « Praeter istas partes primarias et secundarias viventis, dantur aliae, quae proprie « non sunt partes viventis, sed vel dantur in vivente pure ex necessitate materiae, « vel spectant ad causam a qua vivens conservatur, et ad locum in quo vivit ».

« Iam ad *argumentum:* omnes partes viventis informantur anima, *distinguo,* omnes

cum Aristotele et S. Thoma tuetur, distinctione facta inter partes integrales primarias et secundarias viventis, sanguinem aliosque humores non excrementitios accenset *partibus integralibus secundariis* viventibus, quas actu informari ab anima negat, utpote quae nullam exerceant operationem vitalem, sed tantum alant, foveant et roborent caeteras partes ad operationes vitales, careantque continuitate cum vasibus in quibus includuntur. In solutione autem cuiusdam obiectionis suam sententiam breviter et dilucide exponit et ostendit quo pacto quidam textus Aristotelis et S. Thomae, qui contradictorii videntur, conciliari possint.

Quaeres 2°. *Quaenam sit sedes animae humanae?*

Resp. Animam quoad suam essentiam esse totam in toto corpore ab ipsa informato et totam in qualibet parte eius, sed quoad suas virtutes seu potentias ibi esse, ubi hae operantur. Porro potentiae organicae, quae operantur per organa tamquam comprincipia suarum operationum, in his subiectantur, videlicet unaquaeque in organo sibi proportionato. Potentiae autem stricte immateriales, nempe intellectuales, subiectantur in ipsa essentia animae intellectivae. Attamen quum hae potentiae operentur cum instrumentali et extrinseco concursu potentiarum organicarum, ibi dici possunt esse modo virtuti stricte spirituali conveniente, ubi sunt potentiae organicae, quae ipsis immediate deserviunt.

Quaeres 3°. *Quo tempore anima humana creatur et infunditur corpori?*

Resp. Animam humanam tunc creari cum infunditur corpori, infundi autem corpori quum materia est ultimo disposita ad hanc nobilissimam omnium formarum. *Ratio primi* est, quia, ut ait S. Thomas (1. p. q. 90. a. 4.), « Deus primas res instituit in perfecto statu suae « naturae, secundum quod uniuscuiusque rei species exigebat » (eo quod, ut demonstravimus sub n. 142., Deus immediate produxit prima individua uniuscuiusque speciei). « Anima autem, cum sit pars humanae

---

« partes primariae, *concedo;* secundariae, *nego:* nam istae sunt solum complementum « aliarum partium in ratione subiecti idonei, atque instrumenti coniuncti, ut dictum « est. Confirmatur haec doctrina, quia per eam conciliantur textus Aristotelis ac « S. Thomae qui textus videntur oppositi. Aristoteles 2. de Partib. c. 2. numerat san- « guinem inter partes animalium: cap. 10. eiusdem libri dicit, *nec ipse sanguis tactu « praeditus est, quippe cum nulla pars sit animalium.* Non est contradictio quia cap. 2. « loquitur de partibus, abstrahendo a primariis et secundariis, cap. 10. de partibus « primariis. S. etiam Thomas aliquando dicit sanguinem esse partem actualem viventis, « aliquando dicit esse partem solum poenitentialem; sed non est contradictio, quia « est pars actualis secundaria, sed est pars primaria solum in potentia, cum sit ul- « timum alimentum proxime convertibile in partes animatas, adeoque primarias ». Sylv. Maurus, Quaest. Philos. q. 28.

« naturae, non habet naturalem perfectionem, nisi secundum quod est « corpori unita. Unde non fuisset conveniens animam sine corpore « creari ». *Ratio secundi* constat ex superioribus et ex integra doctrina de corporeis generationibus. Quod si quaeras quandonam materia in embryone sit sufficienter disposita ad talem formam; respondemus quaestionem esse valde difficilem et physiologicas investigationes accuratissimas expostulare.

EXPLICIT PHILOSOPHIA NATURALIS.

THEOLOGIA NATURALIS

PROOEMIUM

1. Ad ipsum Metaphysicae fastigium accedimus, in quo de Suprema Causa omnis entis, cuius proprius effectus est ens in quantum ens, seu de Deo Optimo Maximo sermonem habebimus. Quemadmodum enim in prolegomenis Philosophiae Primae diximus, quamvis Metaphysica ratione sui *obiecti formalis* in plures scientias dividi nequeat; tamen ratione partium, quae eius obiectum integrant, quaeque sunt *ens* et *principia entis*, dividi potest in plures partes. Harum nobilissima est ea, quae agit de Primo Principio seu de Suprema Causa omnium entium videlicet de Deo, ac proinde *Theologia* nominatur. Additur autem vox *Naturalis* eo quod non ex fontibus divinae revelationis, sed ex ipsis naturalibus effectibus lumine rationis consideratis, adsurgit haec scientia ad aliqualem cognitionem Dei. Caeterum quaenam sit haec cognitio et intra quos limites necessario contineri debeat, ex decursu Tractationis manifestum fiet. Haec tractatio quadripartita erit. Etenim primo loco de *existentia* Dei, deinde de eius *essentia*, tum de *attributis*, atque ultimatim de divinis *operationibus* agemus. In quibus explicandis et demonstrandis, sicut in caeteris Philosophiae partibus, praeclaram Sancti Thomae doctrinam fideliter sequemur, commentarium exhibendo eorum quae S. Doctor sive in 1ª parte Summae Theologicae sive in locis parallelis angelica plane sapientia tradidit. Faxit benignissimus Deus, ut haec postrema et nobilissima pars nostrae philosophiae peculiari ratione **ad Maiorem Eius excelsi Nominis gloriam cedat.**

THEOLOGIA NATURALIS

PARS PRIMA
DE EXISTENTIA DEI

QUAESTIO I.

DE DEMONSTRABILITATE EXISTENTIAE DEI (1).

2. **Errores refutandi.** Antequam ad demonstrandam Dei existentiam accedamus, refutandi sunt nobis tum errores eorum qui aiunt existentiam Dei esse indemonstrabilem utpote *immediate nobis notam*, tum eorum qui eam *a priori* demonstrare posse autumant, tum denique eorum, qui ne quidem *a posteriori* eam demonstrabilem esse dicunt. Ad primam classem pertinent tum *Ontologi,* qui aiunt primum cognitum nostri intellectus esse ipsum ens actu infinitum, quod immediate innotescit nostrae menti, estque ei ratio cognoscendi caetera; tum *Cartesiani* et quidam alii qui contendunt propositionem hanc: *Deus existit*, aequivalentem hisce: *Ens necessarium existit*, *ens maxime perfectum existit*, utpote propositionem per se notam, esse indemonstrabilem, et immediate ab humano intellectu, cognita significatione terminorum, affirmandam. Ad secundam classem pertinent quidem facili negotio refutabiles philosophi, qui non advertunt in quo consistat demonstratio *a priori* (de quo genere demonstrationis vide quae diximus in Logica Maiori n. 263.). Ad tertiam classem pertinent *Traditionalistae* et *Athei* asserentes nos ne quidem *a posteriori* demonstrare posse existentiam Dei, cum a rebus finitis impossibile sit adsurgere ad cognoscendum Ens actu infinitum. Discrimen tamen inter Traditionalistas et Atheos in eo est, ut Traditionalistae tueantur nos posse cognoscere existentiam Dei vi alicuius traditionis de revelatione immediate ab

(1) S. Th. 1. p. q. 2. aa. 1. et 2.

ipso Deo primis humanae familiae parentibus facta; Athei autem negent nos posse quacumque via ad notitiam existentiae Dei pervenire. Contra hos militabit tum Thesis ultima huius Quaestionis, tum integra Quaestio secunda.

THESIS I.

Nullus intellectus creatus potest virtute sua naturali intueri Divinam Essentiam.

PRAENOTANDUM.

3. Thesis haec est directe contra Ontologos. Ea pulcherrime demonstratur a S. Thoma in 1. p. q. 12. art. 4. et in qq. dd. de Veritate quaest. VIII. art. 3. Similiter ex his quae diximus in Psych. Thesi 61. de proprio obiecto humani intellectus et ex Corollario 2. eiusdem Thesis, iam satis demonstrata est. Attamen pro rei gravitate sequentem addimus demonstrationem.

PROBATUR THESIS.

4. Cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae. Si igitur modus essendi alicuius rei cognitae excedat modum cognoscentis, ita ut sit vel in ordine generice superiori immaterialitatis, vel in ordine immaterialitatis excedente omne genus, oportet ut cognitio talis rei sit supra naturam huius cognoscentis.

Iamvero intellectus humani, qui licet non sit actus alicuius organi corporei, est tamen facultas animae quae essentialiter est forma corporis, modus connaturalis essendi est in corpore, eius *modus operandi* pendet a corpore (cfr. Psych. n. 180.), et ideo eius proprium et connaturale obiectum est quidditas rei materialis, ad cuius analogiam potest aliqualem cognitionem substantiarum pure spiritualium acquirere.

Intellectus autem angelici, quum sit facultas substantiae immaterialis quae nullius corporis forma est, connaturalis modus essendi est prorsus independens a materia, attamen *non gaudet supremo gradu immaterialitatis*, qui consistit in immunitate ab omni potentialitate, quique est proprius actus purissimi, cuius essentia prorsus identificatur cum esse. Et ideo obiectum proprium et connaturale intellectus angelici sunt puri spiritus creati, nempe caeteri angeli, a quibus quamvis specie differat, tamen convenit cum eis in eodem genere physico.

Ergo ei tantum intellectui poterit esse connaturalis cognitio Divinae Essentiae, quae est actus in omni ordine purus, qui habeat modum essendi prorsus immunem ab omni potentialitate tum in ordine essentiae tum in ordine existentiae, videlicet qui identificetur cum ipso esse per se subsistente. Atqui huiusmodi est tantum Intellectus Divinus, qui prorsus identificatur cum Divina Essentia et cum Divino Esse. Ergo nullus intellectus creatus sive angelicus sive humanus potest virtute sua naturali intueri Divinam Essentiam.

5. **Confirmatur** declarando principium, cui innititur antecedens demonstratio. In intellectione creata facultas intellectiva determinata a specie impressa fit *intentionaliter* seu *repraesentative* id quod res cognita est realiter in seipsa, ita ut *species impressa* se habeat ad intellectum ut forma ad potentiam subiectivam, *species* autem *expressa* (quae est repraesentatio intentionalis in actu secundo seu proles a mente concepta) se habeat ad intellectum ut terminus operationis immanentis ad suum principium, nempe ut ab ipso procedens et in ipso subsistens.

Quapropter species impressa et species expressa vel considerantur *realiter* vel *repraesentative*. Si *realiter*, debent profecto esse eiusdem ordinis cum potentia intellectiva, in qua subiectantur. Si vero considerentur *repraesentative* idest in ordine ad rem, quam repraesentant, debent esse vel eiusdem ordinis vel superioris cum re repraesentata. Ratio est, quia *esse repraesentativum* fundatur *in esse reali* potentiae repraesentantis, ita ut tantum pateat esse repraesentativum alicuius potentiae, quantum patet eius esse reale, ut in primis notionibus de cognitione tradidimus, nempe quo magis esse reale potentiae cognoscitivae habet actualitatis, eo perfectius habet esse repraesentativum (cfr. Psych. n. 146.). Iam age, impossibile est, ut potentia repraesentativa, quae secundum esse reale est in infimo gradu illius immaterialitatis, quae ad intellectionem requiritur, assimilari valeat secundum esse repraesentativum quidditati actus purissimi, infinite excedentis perfectionem realem omnis immaterialis substantiae creatae vel creabilis. Porro talis est intellectus humanus. Ergo nec intellectus humanus, nec ob supra allatas rationes quilibet alius intellectus superior creatus vel creabilis potest naturali virtute Divinam Essentiam intueri.

6. **Quaeres.** *An ullum conceptum proprium Dei naturaliter acquirere possimus?*

Respondeo. Conceptus aliquis dici potest *proprius* de aliqua re duplici sensu, vel quatenus *proprius* opponitur *analogico*, vel quatenus *proprius* opponitur *communi.* Primo sensu nequimus naturali virtute acquirere conceptus proprios de Divina Essentia, sed tantum de rebus

materialibus, quae cadunt sub obiecto *intensive* proprio nostri intellectus. De Divina autem Essentia acquirere possumus conceptus *analogicos* per *remotionem* imperfectionum et *excessum* perfectionum, quas in rebus creatis deprehendimus.

Secundo autem sensu, nempe quatenus *proprius* opponitur *communi*, acquirere possumus *conceptum proprium* de Divina Essentia. Nam per processum *remotionis* imperfectionum et *excessus* perfectionum, quas in creaturis deprehendimus, pervenimus ad conceptus, qui soli Deo conveniunt, nempe quod Deus est ipsum esse subsistens, ipsa bonitas, ipsa vita, prima causa continens eminenter et absque limite potentialitatis omnes perfectiones suorum effectuum etc. Qui conceptus verissime Deo conveniunt eumque ab omni alio ente secernunt.

Ratio, cur intellectus noster ad hos veros de Divina Essentia conceptus pervenire queat, est quia, quum sub eius *obiecto extensivo* cadat quidquid quocumque modo habet rationem entis, attingere potest sub analogico conceptu entis id quod habet esse per identitatem cum sua essentia; insuper virtuti abstractivae coniungens virtutem divisivam potest conceptum concretum *entis* dividere ita ut distinguat potentiam subiectivam ab actu tum in ordine essentiae nempe materiam a forma, tum in ordine existentiae nempe essentiam ab esse; et ita devenire potest ad sciendum existentiam, quae non est de ratione ullius essentiae creatae, esse de ratione Essentiae Divinae, in qua essentia et esse prorsus identificantur, ita ut Deus sit ipsum esse subsistens, ipsa perfectio simpliciter infinita subsistens. Qui conceptus, quamvis verissimi et exclusive proprii Divinae Essentiae, tamen sunt analogici. Nam intellectus noster non habet alios conceptus *proprios*, idest *adaequatos* et *perfectos* actualitatum et perfectionum, nisi earum, quae inveniuntur in entibus corporeis. Impense meditentur Articulum 12. S. Thomae (1. p. q. 12.). Cfr. etiam q. 13. a. 5.

OBIECTIONES.

7. **Obiect. 1ª**. Ens actu infinitum nequit cognosci per ideam ab ipso distinctam. Atqui nos naturaliter cognoscimus Ens actu infinitum, nempe Deum. Ergo naturaliter intuemur Eius Essentiam.

Resp. *Dist. mai.* Nequit per ideam ab ipso distinctam cognosci *cognitione perfecta* et *propria*, quatenus *propria* opponitur *analogicae*, *Conc.*, nequit cognosci cognitione *imperfecta* et *analogica* quamvis *vera* et *propria*, quatenus *propria* opponitur *communi*, *Nego. Dist. min. et Nego conseq.*

Instabis 1°. Quaelibet species intelligibilis quae non sit ipsa Divina Essentia, est finita. Sed species seu similitudo finita nequit repraesentare Ens simpliciter infinitum. Ergo vel nullam cognitionem habemus Entis infiniti, vel immediatam.

Resp. *Dist. mai.* Species intelligibilis creata est finita *entitative seu realiter*, *Conc.*, est finita *repraesentative*, *Subdist.* Spectatis notis positivis, *Conc.*, spectatis negationibus limitationum, quae per compositionem et divisionem intellectus ei addi possunt, *Nego. Contrad. min.* Species finita nequit repraesentare Ens infinitum, repraesentatione *perfecta* et *propria*, quatenus *propria* opponitur *analogicae*, *Conc.*, repraesentatione *imperfecta* et *analogica* sed *vera* et *propria*, quatenus *propria* opponitur *communi*, *Subdist.* Per solas notas positivas, *Conc.*, per additionem negationum imperfectionum positivis notis, *Nego* et *Nego conseq.*

Instabis 2°. Iste conceptus esset analogicus. Sed conceptus analogicus est communis omnibus analogatis. Ergo nullo modo esset proprius Dei.

Resp. *Dist. mai.* Esset analogicus et tamen per iudicium vel ratiocinium ita emendatus, ut soli Deo convenire queat, *Conc.*, esset analogicus et antecedens omnem operationem intellectus componentis et dividentis, *Nego. Dist. min.* Remanet communis antequam per negationes vel compositiones determinetur ad unum ex analogatis, *Conc.*, consequenter ad has negationes vel compositiones, *Nego* et *Nego conseq.*

Obiect. 2ª. Nos habemus naturaliter et directe ideas *entis*, *boni*, *veri*, etc. Atqui hae ideae nequeunt habere nisi obiectum infinitum. Ergo nos immediate cognoscimus ens infinitum.

Resp. Habemus tales ideas *entis* etc. quae sunt transcendentaliter universales et analogicae, *Conc.*, quae sunt singulares et propriae, *Nego. Dist. min.* Hae ideae habere debent obiectum infinitum *extensive* seu *potentiale*, *Conc.*, intensive seu *actu* et *simpliciter* infinitum, *Nego. Nego conseq.*

Conceptus transcendentales, qui analogici sunt analogia proportionalitatis, habent (ut explicuimus in Ontologia n. 19. Coroll. 1.). maximam *extensionem* et minimam *comprehensionem*, praedicarique possunt de omni re, cui *quocumque modo* competit ratio entis. Hinc eorum infinitas dici potest *privativa* i. e. ex parte potentiae, nullatenus autem *negativa* i. e. ex parte *actus*. Nam sunt *in potentia*, ut praedicentur de rebus sine fine et ideo quo pluribus applicantur rebus, adhuc aliis atque aliis sine fine applicari possunt, non solum in aliqua specie vel genere, sed in omnibus speciebus et generibus et ultra. Sunt enim conceptus transcendentales.

Obiect. 3ª. Conceptus entis finiti est negativus; nam importat negationem summae perfectionis, nempe infiniti. Sed nequit haberi conceptus negativus, nisi praecedat conceptus realitatis positivae, de qua negatur. Ergo conceptus entis infiniti praecedere debet conceptum entis finiti.

Resp. *Dist. mai.* Est negativus, quatenus est conceptus entis finiti *absolute* considerati, ut res quaedam est, puta aquila vel pomum, *Nego*, quatenus est conceptus entis finiti *reduplicative* considerati ut *finiti*, *Subdist.* Est negativus importans limites in perfectione seu negationem *ulterioris perfectionis*, *Conc.*, est negativus importans *negationem* perfectionis supremae seu simpliciter infinitae, *Nego. Dist. min.* Nequit haberi conceptus negativus *privative*, nisi praecedat conceptus alicuius realitatis positivae, *Conc.*, nisi praecedat conceptus realitatis positivae supremae, *Subdist.* Si realitates finitae non possent concipi limitatae, praescindendo ab Ente simpliciter infinito, *Conc.*, secus, *Nego* et *Nego conseq.*

Ens infinitum, ens contingens, ens ab alio etc. potest considerari vel *absolute* ut est aliquod ens positivum et reale, puta quatenus est *homo* vel *asinus;* vel considerari potest *relative* quatenus est *finitum, contingens, ab alio.* Si consideretur *absolute,* nequaquam est opus, ut eius cognitionem praecedat cognitio entis infiniti, entis necessarii, causae supremae. Sed neque si consideretur secundo modo, nempe quatenus *finitum, contingens, ab alio*, requiritur ut eius cognitionem statim praecedat cognitio entis infiniti, necessarii, causae supremae. Si enim consideratur ut *finitum,* sufficit cogitare illud tamquam *limitatum* in sua perfectione, si consideratur ut contingens, sufficit ipsum cogitare, ut non habens necessitatem in suo esse: si consideratur ut *ens ab alio*, sufficit ut cogitetur causatum immediate ab alio, *praescindendo* utrum et hoc sit causatum ab alio necne. Verissimum tamen est, si intellectus in sua investigatione procedat, devenire tandem debere ad cognoscendam existentiam entis infiniti, necessarii, causaeque non causatae. Hoc autem non est *immediate* et *primo* cognoscere ens infinitum, necessarium etc.; sed eius conceptum *posterius* acquirere, eiusque existentiam demonstrare a posteriori.

THESIS II.

Propositio: ***Deus seu ens necessarium existit,*** quamvis sit per se nota simpliciter, et quoad videntes Divinam Essentiam; tamen non est per se nota quoad nos, et ideo demonstratione apud nos indiget.

PRAENOTANDUM.

8. Haec Thesis militat contra Cartesium aliosque asserentes propositionem: *Deus* seu *ens necessarium existit*, esse per se notam quoad nos et ideo esse indemonstrabilem, quemadmodum indemonstrabilia sunt prima principia. Talem sententiam iam refutavit S. Thomas in 1. p. q. 2. a. 1.

PROBATUR THESIS.

9. Propositio *per se nota quoad nos* ea est, cuius praedicatum est de ratione subiecti, subiectum autem est a nobis cognoscibile conceptu proprio et immediato, utpote cadens sub ratione *obiecti intensivi* nostri intellectus, ita ut, statim cognitis terminis, cognoscamus praedicatum convenire subiecto. Atqui in propositione: *Deus seu ens necessarium existit*, quamvis praedicatum sit de ratione subiecti, tamen subiectum non est cognoscibile a nobis conceptu proprio et immediato, quum non cadat sub ratione obiecti intensive proprii nostri intellectus. Ergo propositio haec: *Deus* seu *ens necessarium existit*, quamvis sit per se nota quoad se, non est per se nota quoad nos, et ideo demonstratione apud nos indiget.

ANIMADVERSIONES AD SOLVENDAS DIFFICULTATES.

10. *a)* Aliud est cognoscere primam veritatem *in communi*, idest in aliqua eius participata similitudinem, praescindendo ab ipsa prima Veritate in particulari, aliud est cognoscere primam Veritatem *in seipsa*. Similiter aliud est appetere Summum Bonum *in communi*, idest in aliqua similitudine participata bonitatis eius, praescindendo ab ipso Summo Bono in particulari, aliud est appetere Summum Bonum *in seipso*. Primo sensu dici potest Deus a nobis naturaliter cognosci et appeti, non secundo.

b) Distingue *existentiam in actu signato*, idest solo conceptu mentis, et *existentiam in actu exercito*, idest a parte rei. Verum est me ne quidem conceptu analogico *concipere* posse essentiam entis summe

perfecti vel entis necessarii absque existentia: et haec est ratio cur necessario tribuenda sit huiusmodi essentiae *existentia signata.* Sed utrum *exercite*, idest in ordine reali tribuenda sit ei existentia, affirmare nequeo donec vel essentiam entis necessarii immediate perceperim, vel demonstratione a posteriori, idest ab eius effectibus mihi immediate notis, collegerim.

c) Quo sensu cognitio existentiae Dei dici possit naturaliter indita. Indubium est hanc demonstrationem esse ita obviam et evidentem, ut recte dicatur notitia existentiae exercitae Dei, praesertim sub confuso quodam conceptu *entis necessarii, causae non causatae, supremi Legislatoris* et *Domini*, esse nobis naturaliter indita. Quinimo si homo lumine naturali suae rationis recte uti velit, facillime poterit ad eam notitiam *existentiae exercitae* Dei pervenire, qua Deum vivum et verum satis distinguat ab omni ente, quod Deus non est. A rebus enim contingentibus, quas existere percipit, poterit et *debebit* per viam *causalitatis, remotionis* et *excessus* evidenti ratiocinatione ad eas conclusiones pervenire, ad quas nos in sequenti Disputatione perventuri sumus. Quapropter ait S. Thomas (1): « Dicendum quod cognitio existendi Deum dicitur omnibus naturaliter inserta, quia omnibus naturaliter insertum est aliquid unde potest pervenire ad cognoscendum Deum esse ». Et haec est ratio, cur in homine ratione utente impossibilis sit ignorantia *invincibilis* existentiae Dei, saltem sub confuso conceptu supremi cuiusdam Domini, et cur *atheismus* sit simul *turpis error* et *grave crimen.*

d) Demonstrabilitatem a posteriori existentiae Dei, quam ratio evincit, Fides ipsa docet. Nam verba S. Pauli Apost. in Epist. ad Rom. I. 20., Patrum sententiae, auctoritas Conciliorum clarissima sunt. Queis nuper accessit definitio dogmatica Sacrosancti Concilii Vaticani, quod Cap. 2° haec habet: « Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse, *invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur* (Rom. I. 20..) ». Et in Canone 1° subdit: « Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine *certo* cognosci non posse, anathema sit ».

---

(1) QQ. dd. de Verit. q. 10. a. 12. ad 1.

OBIECTIONES.

11. **Obiect. 1ª.** Propositio per se nota quoad nos ea est, quae, cognita significatione terminorum, affirmari debet a nobis. Atqui haec propositio: *ens necessarium existit*, statim, cognita significatione terminorum, affirmari debet a nobis. Ergo est per se nota quoad nos.

Resp. *Dist. mai.* Affirmari debet a nobis secundum id quod importat *suppositio* terminorum, *Conc.*, ultra suppositionem terminorum, *Nego. Dist. min.* Si terminus *existit* supponat pro existentia *signata*, *Conc.*, si supponat pro existentia *exercita*, *Subdist.* Post demonstrationem existentiae *exercitae*, *Conc.*, ante demonstrationem, *Nego.*

Verissimum quidem est nos, si evidenti demonstratione (quae caeteroquin facillima est) semel cognoverimus non omnia entia, quae existunt, esse contingentia, sed dari debere ens aliquod necessarium, hoc ipso intelligere ens necessarium *exercite* existens non posse non existere: esset enim simul et non esset ens necessarium, quod repugnat.

Quoties igitur adversarii **obiicient:** In propositionibus: *Ens infinite perfectum existit; Ens, cuius essentia identificatur cum esse, existit; Ens, quo maius cogitari nequit, existit;* praedicatum *existens* est de ratione subiecti. Ergo nequeunt earum subiecta cogitari sine existentia; **Respondebis:** *Conc. antec. Dist. conseq.* Nequeunt a nobis cogitari sine existentia *signata*, *Conc.*, sine existentia *exercita Subd.* Post demonstrationem de reali existentia huiusmodi entis, *Conc.*, ante demonstrationem, *Nego.*

Obiect. 2ª. Maius est id, quod necessario existit a parte rei, quam id, quod est in intellectu tantum. Atqui ens summe perfectum, si conciperetur non existere a parte rei, conciperetur minus seipso et ideo non summe perfectum. Ergo eo ipso quod concipio ens summe perfectum, concipio ut exercite existens.

Resp. *Dist. mai.* Si utrobique existeret secundum esse reale, *Conc.*, *secus, Nego suppositum*, quia non potest institui comparatio maioris et minoris perfectionis, nisi secundum esse reale. *Dist. min.* Si non conciperetur existere existentia signata, *Conc.*, si non conciperetur existere existentia exercita, *Subdist.* Post demonstratam eius existentiam exercitam, *Conc.*, ante demonstrationem, *Nego.* Etenim ante demonstrationem, quamvis non negemus illud existere exercite, tamen neque affirmamus, sed omnino praescindimus. Adhuc enim ignoramus, utrum detur a parte rei id, quo maius cogitari nequit (1).

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 2. a. 1. ad 1.

Obiect. 3ª. Conceptus entis necessarii absque existentia exercita esset conceptus falsus: nam ens necessarium existit exercite. Ergo non possumus habere verum conceptum entis necessarii, nisi affirmemus de eo existentiam exercitam.

Resp.. *Dist. antec.* Conceptus positive excludens ab eo existentiam exercitam, *Conc.*, conceptus praescindens ab existentia exercita, et affirmans existentiam signatam, *Nego. Conc. rationem additam* et *nego conseq.*

Obiect. 4ª. Ordini logico respondere debet ordo ontologicus. Atqui in ordine logico nequimus concipere ens necessarium absque existentia. Ergo in ordine ontologico existentia exercita nostro conceptui respondere debet.

Resp. *Dist. mai. Obiective*, *Conc.*, *subiective* seu quoad nos, *Subdist.* In linea cognoscibilitatis, *Nego,* in ratione iudicandi, *Conc.* Quatenus nempe non debemus iudicare esse effectum id, in cuius cognitionem posterius devenimus. *Dist. min.* Absque existentia signata, *Conc.*, absque existentia exercita, *Subd.* Post demonstrationem (quae utique facilis et evidens est), *Conc.,* ante demonstrationem, *Nego et Nego cons.*

Obiect 5ª. Ens necessarium est aliquid possibile, seu non repugnans. Atqui, si non existeret exercite, esset aliquid impossibile et repugnans. Ergo eo ipso quod concipitur ab intellectu ut possibile, seu non repugnans, concipitur ut existens exercite.

Resp. *Dist. mai.* Ut quid mere *signatum*, *Conc.*, ut quid *exercitum*, *Subdist.* In seipso, *Conc.*, *quoad nos*, *Subdist.* Post demonstrationem a posteriori, *Conc.*, ante talem demonstrationem, *Nego. Dist. min.* Ita tamen ut veritas huius sequelae nobis sit nota post demonstrationem a posteriori existentiae Dei, *Conc.*, antecedenter ad hanc demonstrationem, *Nego*, *Nego cons.* Aliud est existentiam exercitam entis necessarii esse fundamentum et causam omnis esse et omnis veritatis, quum sine ipsa nihil prorsus existeret; aliud est mentem nostram devenire ad cognitionem existentiae exercitae entis necessarii, antequam ratiocinando cognoverit non omne ens, quod actu existit, esse posse contingens. Ante hoc ratiocinium, poterit utique perspectum habere entis necessarii *conceptum* includere existentiam, et ideo in hypothesi quod existat, semper necessario extitisse et extiturum, sed potest adhuc ignorare, utrum huiusmodi ens detur a parte rei (cfr. Ontol. n. 148. Resp. ad 2. obiect.).

Argumeuta adversariorum suam verisimilitudinem desumunt ex eo, quod mens nostra a cognitione entis contingentis, quod existere percipit, summa rapiditate et evidentia infert existentiam exercitam entis necessarii.

THESIS III.

Existentia Dei nequit demonstrari a priori; sed demonstratur tantum a posteriori.

PROBATUR.

12. *Quoad 1um*. *Demonstratio a priori* ea est, quae fit per causas, quae relate ad obiectum demonstrationis, vel *re,* vel *ratione* habeant *prioritatem in essendo; re*, ut causa efficiens respectu sui effectus; *ratione*, ut essentia respectu proprietatum accidentalium, ex. gr. *essentia animalis rationalis respectu risibilitatis*. Atqui relate ad Divinum Esse nihil dari potest, quod sive *re* sive *ratione* prioritatem habeat in essendo. Ergo Dei existentia nequit demonstrari *a priori*. *Maior* constat ex Logica Maiori n. 263. *Minor* patet ex eo quod, cum Deus sit ipsum esse subsistens, nihil potest habere in eo prioritatem, sive *rei*, sive *rationis*, relate ad eius esse.

Quoad 2um. Existentia Dei et aliqualiter ipsae perfectiones divinae sunt demonstrabiles *a posteriori,* si ab effectibus demonstrari possunt existentia causae eiusque perfectiones in quantum ab effectibus participantur. Atqui ita est. Ergo existentia Dei et aliqualiter eius perfectiones sunt demonstrabiles a posteriori. *Minor* est pura applicatio principii causalitatis. Nam fundatur in ipsa notione *effectus*, qui *essentialem relationem dependentiae* ad suam causam importat quoad omnia ea, secundum quae habet rationem effectus, quaeque in eius causa qua tali vel *formaliter* vel *eminenter* praecontineri necesse est (1).

OBIECTIONES.

13. **Obiect. 1a**. Ex affirmatione alicuius nequit deduci, nisi quod in illa continetur. Atqui in affirmatione entis contingentis et finiti non continetur affirmatio entis necessarii et infiniti. Ergo ex contingentibus nequimus adsurgere ad demonstrandam existentiam Dei.

Resp. *Dist. mai.* Ex affirmatione alicuius nequit deduci nisi quod in illa continetur *vel* ut affirmatio *alicuius particularis* in affirmatione *totius universalis,* vel ut affirmatio *praesuppositi* in affirmatione *praesupponentis*, *Conc.*, *tantum* ut affirmatio *particularis* in affirmatione *universalis, Nego. Dist. min.* In affirmatione entis contingentis et finiti non continetur affirmatio entis necessarii et infiniti ut affirmatio *particularis* in affirmatione *totius universalis*, *Conc.*, non continetur ut

(1) Cfr. S. Th. C. G. L. 1. c. 12. — in 1. Sent. Dist. 3. q. 1. a. 3.

affirmatio *praesuppositi* in affirmatione *praesupponentis*, *Subdist.* Non continetur *immediate* et *formaliter, Conc.*, non continetur *mediate* et *virtualiter*, *Nego* et *nego conseq.*

Obiect. 2ª. Ad demonstrandum *an aliquid sit*, praecognoscere debemus *quid sit.* Atqui ignota est nobis *Quidditas* Dei. Ergo nequimus demonstrare *an sit.*

Resp. *Dist. mai.* In demonstratione *a priori* seu *propter quid*, *Conc.*, in demonstratione *a posteriori* seu *quia*, *Subdist.* Debemus scire *quid nominis*, *Conc.*, debemus scire *quid rei*, *Nego;* (cfr. Logic. Mai. n 264.) *Dist. min.* Est nobis ignota Quidditas Dei, quatenus conceptum perfectum et proprium de ea habere non possumus, *Conc.*, quatenus, ne quidem conceptum analogicum acquirere de Deo possimus, quique sufficiat ad *quid nominis* concipiendum, *Nego. Dist. cons.* Nequimus domonstrare *a priori an Deus sit, Conc.*, nequimus demonstrare *a posteriori, Nego.*

Obiect. 3ª. In Deo *quid est* et *an est* identificantur. Atqui ex creaturis nequimus cognoscere de Deo *quid est.* Ergo neque cognoscere possumus *an est.*

Resp. *Dist. mai. An est* identificatur cum *quid est* Dei, si verbum *est* accipiatur pro ipso *esse* quo Deo subsistit, *Conc.*, si verbum *est* accipiatur pro *copula* coniungente praedicatum *existens* cum subiecto *Deus*, *Nego. Dist. min.* Ex creaturis nequimus cognoscere cognitione perfecta et propria (quatenus *proprium* opponitur *analogico*, non autem *communi*) *quid est Dei, Conc.*, nequimus cognoscere cognitione imperfecta et analogica *quidditatem Dei*, *Nego.* Pariter *dist. conseq.:* nequimus cognoscere conceptu proprio ipsum *esse* Divinum, *Conc.*, nequimus cognoscere convenientiam praedicati cum subiecto in propositione *Deus est*, quae resolvitur in hanc: *Deus est existens*, *Nego.*

In questione *an Deus est*, cui post demonstrationem respondemus: *Deus est*, habemus propositiones *de secundo adiacente*, quae resolvi semper possunt in propositiones *de tertio adiacente.* (Cfr. Log. min. n. 97. coroll.). Quapropter propositio interrogativa *an Deus est?* resolvitur in hanc: *an Deus est existens?* Cui, resolvendo propositionem, respondemus: *Deus est existens.* Quibus in propositionibus habemus *conceptus analogicos* subiecti et praedicati, quia in Deo, qui est actus purissimus seu ipsum esse subsistens, essentia identificatur cum existentia. Qui conceptus plane sufficiunt ad hoc, ut nos, demonstratione peracta, intelligamus *vim* nostrae affirmationis: *Deus est existens.* Satis enim intelligimus hanc proportionalitatem: quemadmodum nos per nostrum actum essendi existimus, ita Deus per supereminens suum

esse existit. Idcirco S. Thomas (1) ait: « Nec hoc debet movere, quod « in Deo idem est essentia et esse... Nam hoc intelligitur de esse, quo « Deus in seipso subsistit, quod nobis quale sit ignotum est, sicut eius « essentia, non autem intelligitur de esse, quod significat *compositio-* « *nem* intellectus. Sic enim *esse Deum* sub demonstratione cadit, dum « ex rationibus demonstrativis mens nostra inducitur huiusmodi pro- « positionem de Deo formare, qua exprimat Deum esse ».

Obiect. 4ª. Siquidem demonstrationis principia a sensibus originem sumunt; ea quae omnem sensum et sensibilia excedunt, videntur indemonstrabilia esse. Huiusmodi autem est *Deum esse;* est igitur indemonstrabile.

Resp. *Dist. mai.* Si nullam prorsus relationem haberent ad sensibilia, *Conc.*, si habeant aliquam relationem ad ea, *Nego. Dist. min.* Esse Divinum nullam relationem habet ad sensibilia, *Nego*, habet relationem *causae supremae efficientis, exemplaris* et *finalis*, *Conc. Nego conseq.* « Etsi Deus sensibilia omnia et sensum excedat; eius tamen « effectus, ex quibus demonstratio sumitur ad probandum Deum esse « sensibiles sunt, et sic nostrae cognitionis origo in sensu est, etiam « de his quae sensum excedunt » (S. Th. l. c.).

Obiect. 5ª. In demonstratione *medius terminus* convenire debet *secundum eandem rationem* cum subiecto et praedicato praemissarum. Atqui creaturae sunt *diversae prorsus rationis* a Deo, cum quo ne quidem in supremo quodam genere convenire possunt. Ergo impossibilis est demonstratio a posteriori divinae existentiae.

Resp. *Dist. mai.* Debent convenire in eadem ratione vel *univoca* vel *analogica analogia proportionalitatis propriae, Conc.*, debent convenire necessario in eadem ratione *univoca, Nego. Dist. min.* Creaturae sunt ita diversae rationis a Deo, ut ne quidem conveniant cum eo in eadem ratione analogica *proportionalitatis propriae, Nego*, ita ut conveniant in eadem ratione *analogica proportionalitatis propriae*, *Conc. Nego. conseq.* Si ratio entis nullo modo esset ratio praecisa a suis inferioribus, h. e. neque praecisione *simpliciter* neque praecisione *secundum quid* dicta, impossibile esset ut assumeretur ut medius terminus demonstrationis, quia nulla esset ratio communis cum subiecto et praedicato praemissarum. Sed ratio entis, quae importat *id cui suo modo competit esse,* quaeque est analoga analogia *proportionalitatis propriae,* est ratio praecisa a suis inferioribus *praecisione secundum quid dicta.* (Cfr. Philos. Prim. q. 2.). Ergo potest esse medium demonstrationis.

---

(1) C. G. L. 1. c. 12.

QUAESTIO II.

DEMONSTRATUR EXISTENTIA DEI.

14. In praesenti quaestione existentiam Dei contra Atheos vindicabimus. Ut autem ordini et perspicuitati consulamus, quinque argumenta, seu *quinque vias*, quibus S. Thomas in 1. p. q. 2. art. 3. hanc veritatem demonstrat, totidem Thesibus evolvemus, eorumque vim in plena luce ponere curabimus. Etenim si superficialiter tantum considerentur; per haec argumenta affirmative respondetur evidenti demonstratione tantum quaestioni: *An Deus sit*, quatenus *nomine Dei* omnes intelligunt *primum aliquod movens immobile*, *primam causam efficientem a nullo causatam*, *ens necessarium*, *ens omnium perfectissimum*, *primum gubernans per intellectum*. Eorumdem autem argumentorum vim intimius penetranti, praesertim si collective sumantur, respondetur inchoative ipsi quaestioni: *Quid Deus sit.*

THESIS IV.

Existit primus aliquis motor immobilis.

PRAENOTIONES.

15. **Quidquid movetur, ab alio movetur.** Ad huius principii intelligentiam animadvertant nos in Thesi accipere *motum* generaliter pro quolibet *transitu de potentia in actum.* Qua in acceptione motus iam continetur in germine principium cui innititur Theseos demonstratio, nempe: *quidquid movetur, ab alio movetur.* Quod principium rite intellectum maxima gaudet evidentiâ, etenim *moveri* est accipere perfectionem qua quis caret, id autem quod caret aliqua perfectione non potest eam dare sibi ipsi, secus carentia alicuius rei esset per se causa talis rei, quod repugnat. Insuper in ipsis entibus, quae aliqua specie motus movent seipsa, in quo sit transitus de potentia in actum, nempe in substantiis viventibus, nequit dici subiectum, quod sic movetur, movere seipsum *primo*, secus esset idem secundum idem movens et motum, quod repugnat. Quod si dicas ipsum moveri a suis partibus secundum quarum unam movet et secundum aliam movetur, adhuc non moveret seipsum *primo* sed moveretur *ab alio*, nempe a

partibus tum accidentalibus tum substantialibus quibus resultat compositum, et ultimatim moveretur ab ipsa causa efficienti compositi, sive haec sit generans, sive sit ipsa causa prima. Nam quodlibet compositum pendet tum quoad esse tum quoad operari a suis partibus sive accidentalibus sive substantialibus, has autem a generante accepit ac proinde virtutem movendi seipsum a sua causa efficiente non a seipso habet.

PROBATUR THESIS.

16. I. Quidquid transit de potentia in actum, id obtinet virtute activa illius, quod est actu vel formaliter vel eminenter secundum talem actum seu perfectionem. Atqui tum nos, tum caetera entia sensibilia transimus de potentia in actum perfectionum sive accidentalium sive substantialium. Ergo exsistit aliquod ens cuius virtute perficimur. Quod si et ipsum perficiatur ab alio, necesse est devenire tandem ad aliquod ens in seipso adaequate perfectum, quod sit ita in actu vel formali vel eminenti omnium perfectionum quas causat, ut a nullo alio indigeat moveri seu perfici.

II. **Confirmatur Thesis argumento analytico.** In entibus, quae exsistere percipimus, ab infimis ad suprema, invenimus 1° potentialitatem ad perfectiones tum accidentales tum essentiales, 2° transitum de potentia ad actum perfectionum substantialium ita coordinatum, ut inferiora a superioribus perficiantur, 3° in ipsis entibus perfectioribus nobis notis invenimus insufficientiam ad suas perfectiones essentiales sibi causandas. Atqui nihil fit sine proportionato agente. Ergo extra omnia haec et quaecumque alia mobilia entia, datur aliquod ens immobile, idest quod ad nullam perfectionem sit in potentia, quum omnes actu possideat, eo quod omnia moveat ad earum perfectiones. *Minor* est principium per se nobis notum.

Maior probatur quoad 1um nempe in omnibus entibus mundanis inveniri potentialitatem. Nam *a)* materia prima utpote pura potentia subiectiva aliunde perfici debet nempe ab actu primo corporis, idest a forma substantiali: *b)* corpora simplicia seu elementaria (quae falso a quibusdam autumantur esse prima principia intrinseca constitutiva corporum, ut demonstravimus in Cosmologia) sunt in potentia tum ad motum localem propter connaturalem *inertiam* omnium corporum (ut apud physicos constat), tum ad plures perfectiones accidentales, quas ab extrinseco accipiunt, tum ad mutationes substantiales, quibus virtute agentis proportionati transmutantur in mixta sive inanimata, sive animata per varias generationes, et iterum per corruptiones ad

suas elementares formas redeunt: *c)* corpora viventia vitâ vegetativâ sunt in potentia ad augmentum, evolutionem, generationem; quae si sint etiam sensitiva ut animalia, sunt in potentia quoque ad sensationes: si vero pertineant ad suprema entia sensibilia, ut sunt homines, quamvis perfectiora, tamen multipliciter perfectibilia remanent: *d)* ipsa anima humana quae infima in ordine intellectivorum est, quotupliciter limitata et perfectibilis est, et experimur et suo loco ostendimus. Ergo stat primum assertum.

Prob. mai. quoad 2um nempe in transitu de potentia in actus substantiales et in actus accidentales proprios, inferiora a superioribus moveri seu perfici. Et sane, materia quae est sub forma substantiali inferioris ordinis nequit elevari ad ordinem substantialiter superiorem, puta vegetativum vel sensitivum nisi vel per assimilationem quae fit nutritione vel per generationem. Atqui neutra operatio praestari potest nisi ab ente actualiter possidente perfectionem substantialem, ad quam elevanda est materia, nam unumquodque agit secundum quod est actu per propriam formam. Ergo omnes transitus de potentia in actum perfectionum substantialium ita coordinantur ut inferiora a superioribus perficiantur. Simile dicatur de perfectionibus accidentalibus propriis essentiarum, quaeque resultant in productione substantiae.

Prob. mai. quoad 3um nempe ipsa entia suprema sensibilia esse insufficientia ad perfectiones essentiales sibi causandas. Nam in omni ente, quod non sit actus purissimus, principium proximum operationis est potentia operativa, principium remotum est eius natura vel forma substantialis (Cfr. Psych. n. 128.). Sed nullum ens materiale comparare sibi potest naturam vel formam substantialem, sed eam a generante recipit. Porro ipsum generans, quum sit agens univocum idest eiusdem prorsus rationis cum generato, indiget et ipsum suam formam vel naturam ab alio generante accipere. Ergo ne fiat processus in infinitum, debemus extra seriem omnium entium materialium, ipso homine non excepto, invenire agens aequivocum ita eminenter continens perfectiones omnium entium materialium, ut sit actualissima perfectio subsistens absque ulla potentialitate vel compositione. Confer pulcherrimum locum S. Thomae (1. p. q. 44. a. 1. ad 1.), in quo S. Doctor demonstrat nullum individuum participans aliquam naturam genericam vel specificam, posse esse absolute causam talis naturae quia sic esset causa sui ipsius, quod repugnat.

Nostra probatio confirmatur ex immaterialitate animae humanae. Nam animae singulorum hominum nec semper exstiterunt et nihilominus utpote immateriales per se subsistentes, nequiverunt produci per transmutationem, quae fit per motum proprie dictum et supponit

subiectum corporeum et formaliter extensum, sed produci debuerunt ex nihilo sui et subiecti, videlicet creari. Atqui nullum ens mundanum utpote compositum causare quidquam extra se potest nisi transmutando. Ergo existit extra seriem omnium entium utcumque compositorum actus purissimus, nempe ipsum esse subsistens, cuius proprius effectus sit causare ipsum esse rerum, ultimam videlicet actualitatem omnis essentiae et omnis perfectionis.

17. **Obiect. 1ª**. In serie generationum secundum opinionem Aristotelis dari potest processus in infinitum anterius, ita ut homines nunc existentes antecesserit series generatorum et generantium infinita. Atqui in tali serie haberemus moventia et mota absque primo motore immobili. Ergo secundum Aristotelem non repugnat processus infinitus motorum et mobilium absque necessitate primi motoris immobilis.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Haberemus in ea hypothesi seriem infinitam moventium et mobilium absque necessitate primi motoris *in ipsa serie, Conc.*, absque necessitate primi motoris *extra ipsam seriem, Nego* et *Nego cons.* Videlicet in ea hypothesi haberemus moventium et motorum seriem infinitam *per accidens*, non autem seriem infinitam *per se*.

Nota. De sententia Aristotelis circa seriem generatorum et generantium infinitam. Aristoteli visa est non repugnare series infinita generantium et generatorum sine primo generante, sed optime intellexit et docuit hanc seriem non habere in seipsa rationem sufficientem sui et ideo etiam in tali hypothesi (de cuius probabilitate vel improbabilitate non vacat hic disputare) necessario esse admittendam extra seriem causam efficientem superioris ordinis nempe primum motorem immobilem. Quae necessitas causae supremae et actualissimae evidens est. Nam, etiam praescindendo a necessitate creationis animarum humanarum; si ego generari debui a meis parentibus, upote non habens in meipso rationem sufficientem mei, parentes mei quoque propter eamdem insufficientiam generari debuerunt a suis parentibus, et hi a suis, atque ita quantumvis ascendamus, numquam deveniemus ad tales avos vel atavos, qui habuerint in seipsis rationem sufficientem sui. Si igitur vera esset hypothesis Aristotelis, haberemus ordinatas causas infinitas *per accidens* non *per se.* Etenim

Ordinare causas infinitas per accidens est ita producere aliquem effectum ultimum per infinitas causas univocas intermedias, ut hic effectus, sublatis iis, aeque produci potuisset vel *immediate* a causa suprema aequivoca, vel ab eadem mediantibus *finitis* causis univocis; sublata autem causa suprema aequivoca, non potuisset produci a causis univocis etiam infinitis. Ex. gr. si ad statuam ex molli creta

conficiendam, ad quam ipsi digiti artificis immediate sufficerent, hic uti vellet scalpello, nec uno tantum (quamvis unicus esset satis), sed abiecto primo, adsumeret secundum, quo similiter proiecto, adsumeret tertium, quartum, quintum sine fine; huiusmodi artifex (si fieri posset) ordinaret *infinitas causas per accidens,* nempe infinitos scalpellos ad statuam conficiendam. Semper enim scalpelli ab eius manu virtutem recipere indiguissent.

Ordinare causas infinitas per se significat ordinare seriem causarum subordinatarum diversi ordinis, ita ut extra seriem nulla causa inveniri possit, a qua causae subordinatae suam sufficientiam accipiant; in ipsa autem serie quantumvis procedatur in infinitum ab una causa ad aliam, nunquam deveniatur ad causam primam a qua causae intermediae sufficientiam, quam in se non habent, recipere valeant. Talis processus per causas *infinitas per se* omnino repugnare ipsi Aristoteli visus est. Et sane non daretur neque intra neque extra seriem causa sufficiens effectus. Porro absurdum est dari effectum sine causa sufficiente. Ex. gr. si ad movendum lapidem requireretur baculus, ad movendum baculum requireretur manus, ad movendam manum voluntas ad voluntatem movendam requireretur aliquid aliud, ad hoc aliud movendum requireretur aliud et aliud sine fine, quin, quantumvis in infinitum procedas, invenire queas sive intra sive extra seriem aliquod primum movens non indigens motionem recipere, numquam lapis moveretur. Ergo nimis evidens est processum causarum per se infinitarum repugnare.

Obiect. 2ª. Vivens in sua operatione immanente movet seipsum et nullo modo ab alio movetur. Ergo omne quod movetur ab alio movetur.

Resp. *Dist. antec.* Si sermo sit de tali vivente, cuius operatio immanens sit in supremo gradu perfectionis, nempe sit tam perfecte intranea ut omnimodam independentiam ab extrinseco habeat tum ex parte principii, tum ex parte termini, *Conc.* (tale vivens est solus Deus, ut constat ex Psychologia Th. 26. et 42.). Si sermo sit de tali vivente, cuius operatio immanens non sit in supremo gradu perfectionis, eo quod habeat aliquam dependentiam ab extrinseco sive ex parte principii, sive ex parte termini, sive ex utraque parte, *Nego. Dist. conseq.* Si motus sumatur *latissimo sensu*, prouti extenditur ad ipsum supremum gradumo perationis immanentis nempe ad vitam Divinam *Conc.*, si motus sumatur *lato sensu* prouti extenditur *tantum* ad gradus operationis immanentis infra supremum, *Nego.*

Solutio huius difficultatis manifesta esse debet omnibus, qui meminerint eorum, quae tradidimus in Psych. Tractat. de Vita. Itaque

ne bis eadem dicamus, ad ea loca remittimus, in quibus diligenter enumeravimus varios gradus viventium finitorum, a plantis usque ad angelos, atque ostendimus eorum operationes immanentes non habere omnimodam independentiam ab extrinseco, neque omnimodam immunitatem a potentialitate, sed maiorem minoremve pro diverso gradu perfectionis vitalis uniuscuiusque infra supremum.

Obiect. 3ª. Corpora elementaria (quae atomos moderni cum Democrito appellare malunt) simul sumpta cum suis viribus naturalibus plus possunt, quam pauciora. Ergo si pars eorum non erit causa sufficiens entium quae vegetant, sentiunt, intelligunt; poterunt omnia simul, vel saltem magna pars eorum ea entia causare.

Resp. *Dist. antec.* Plus possunt *quantitative* et tantum in eodem ordine, *Conc.*, plus possunt *quidditative* et in ordine superiori, *Nego. Nego conseq.* (vide inferius n. 19. ad 2. Obiect.).

Obiect. 4ª. Quamvis mobile careat *formaliter* perfectione acquirenda per motum, potest illam ante motum habere *aequivalenter.* Atqui si hoc verum est, poterit aliquid movere seipsum *primo.* Ergo falsum est principium: *quidquid movetur, ab alio movetur.*

Resp. *Nego mai.* et *min.* Nam quidquid proprie movet seipsum, transit de potentia in actum. Quidquid transit de potentia in actum est compositum, quia nequit secundum idem esse simul in potentia et in actu. Quidquid est compositum causatur intrinsece a componentibus, extrinsece a causa efficiente. Et ideo *Nego conseq.*

Ratio autem cur negata fuerit maior haec est. Id quod dicitur *carere formaliter* aliqua perfectione acquirenda per motum, et nihilominus affirmatur eam iam *habere aequivalenter*, vel eam ante motum habet aequivalenter per seipsum ita ut iam sit aeque perfectum ac si eam haberet formaliter, vel ita eam habet aequivalenter ante motum, ut non sit aeque perfectum ac si eam haberet formaliter, qualiter videlicet eam habebit post motum. Si primum, est impossibile ut moveat se ad eam formaliter acquirendam. Nihil enim potest seipsum movere ad acquirendam perfectionem, quae ipsum nullo modo perficiat nec meliorem reddat: ex. gr. nequit intellectus moveri ad acquirendam novam cognitionem, per quam nihil prorsus novi cognoscat. Si secundum impossibile est ut eam habuerit prorsus *aequivalenter* ante motum. Si igitur ante motum carebat aliquo gradu perfectionis, non potuit novum hunc gradum sibi dare independenter ab alio, quod iam vel formaliter vel eminenter hanc perfectionem possidebat. Nisi dicere velimus carentiam alicuius perfectionis esse causam efficientem eiusdem.

THESIS V.

Existit prima causa non causata, videlicet ens a se.

PROBATUR.

18. I. Vel *omnia* entia, quae existunt, sunt entia *a se,* talia nempe quae existunt *vi essentiae suae*, vel *omnia* sunt entia *ab alio,* vel *non omnia* sunt entia *ab alio.* Atqui primum est evidenter falsum; secundum est evidenter absurdum: etenim essent simul et non essent entia ab alio, si nullum esset *ens a se.* Ergo existit aliquod ens a se, a quo *entia ab alio* recipiant suam existentiam, quodque utpote existens vi essentiae suae, est ens necessarium.

II. Est impossibile ut aliquid sit, quin detur ratio adaequate sufficiens sui esse. Sed nullum causatum et factum, et nulla multitudo sive finita, sive infinita solorum causatorum et factorum habet in se rationem adaequate sufficientem ad essendum: ergo ultra omnia causata, et praeter quamcumque multitudinem sive finitam sive infinitam solorum causatorum et factorum, dari debet aliquid incausatum (1).

Prob. min. per partes. Quoad 1um. Nullum ens causatum est ratio sufficiens suae existentiae. Quod enim ad essendum indiget alio, non est sibi perfecte sufficiens ad essendum, sed omne ens causatum indiget causa, ad hoc ut sit. Ergo. *Quoad 2um*. Nulla multitudo finita causatorum est sibi perfecte sufficiens ad essendum. Fiat inductio omnium multitudinum: Sit binarium causatorum A et B. Dicimus: A causatur a B. B nequit causari ab A. neque a seipso. Non a seipso, quia nihil esse potest causa efficiens suiipsius: neque a B, quia si A est effectus B, impossibile est ut causet suam causam. Ergo A causatur ab aliquo tertio, quod sit C; ergo binarium ex A et B non sibi sufficit ad essendum. Ex eadem ratione nec ternarium causatorum, nec quaternarium, nec quaecumque alia multitudo finita sibi sufficiunt ad essendum. *Quoad 3um*. Nec multitudo infinita causatorum est sibi perfecte sufficiens ad essendum. Quia est impossibile ut addendo insufficientiae novam insufficientiam, imminuatur insufficientia, sed potius augetur. Ex. gr. binarium duorum pauperum, quorum neuter possit habere panem, nisi alius eius dederit, est quidem sibi insufficiens, sed ternarium est magis insufficiens, quia indiget pluribus panibus, *et infinita multitudo* (si dari posset) esset infinite insufficiens. Similiter si infimus annulus alicuius catenae caret virtute, ut maneat pensilis, et

---

(1) Cfr. P. Sylvest. Maurum, Quaest. Philos. q. 7.

ideo indiget ut sustineatur; si sustineretur ab alio annulo eiusdem rationis, quum neque hic virtutem habeat manendi pensilem, indiget ut sustineatur ab alio, et quantumvis multiplicarentur huiusmodi annuli se invicem sustinentes, integra catena in terram caderet, nisi superior annulus sustineretur vel a manu vel ab aliquo habente hanc virtutem sibi intrinsecam.

OBIECTIONES.

19. **Obiect. 1ª**. Non repugnat mutua causalitas. Ergo possunt entia causata esse sibi invicem causa essendi.

Resp. *Dist. ant.* Non repugnat mutua causalitas in diverso ordine causarum et ubi non involvitur necessitas mutuae prioritatis in existendo, *Conc.*, non repugnat mutua causalitas in eodem ordine, scilicet, ubi involvitur necessitas mutuae prioritatis in existendo, videlicet inter duo quorum utrumque existere deberet prius altero, ad exercendam in alterum causalitatem suam, *Nego*. *Nego conseq.* Nam haec mutua causalitas involvit necessitatem mutuae prioritatis in existendo. Atqui repugnat ut aliquid sit causa existendi ei, a quo debet recipere existentiam. Deberet nempe simul existere et non existere, quod est nimis absurdum.

Obiect. 2ª. Aliquando tota collectio efficere potest id, quod unumquodque membrum collectionis efficere nequit. Ergo ex eo quod unumquodque ens finitum nequeat causare sibi existentiam non sequitur necessario totam collectionem singulis membris existentiam causare non posse.

Resp. *Dist. antec.* Quando insufficientia est tantum *quantitativa*, *Conc.*, quando insufficientia est *quidditativa*, *Nego* et *Nego conseq.* Insufficientia ad sibi causandam existentiam est de essentia entis causati *quatenus habet talem essentiam*, quae ab alio causari indiget, *non quatenus est pars alicuius collectionis*, et ideo in unoquoque essentialiter inest insufficientia totalis ad formalem effectum existentiae propria virtute causandum. Ex. gr. insufficientia penicilli vel scalpelli ad causandum *propria virtute* formalem effectum artis, nempe picturam vel statuam est essentialis ideoque totalis. Quapropter quantumvis multiplicentur penicilla vel scalpella, numquam haec, etiam simul collecta, poterunt independenter a manu artificis causare picturam vel statuam. Similiter collectio centum vel mille lapidum non aequivalet perfectioni quidditativae unius bovis; neque collectio centum vel mille asinorum aequivalet perfectioni quidditativae unius hominis.

Criterium igitur nostrae distinctionis firmiter teneatur. Quando praedicatum aliquod competit parti alicuius totius *non sub formali ratione*

partis, nempe quatenus excludit a se consortium aliarum partium (quae insufficientia vocari potest *quantitativa*); *sed sub formali ratione essentiae,* quam habet communem cum toto, competit *a fortiori* ipsi toti. Ex. gr. si omnes et singulae partes alicuius totius sunt materiales, a fortiori totum est materiale. Si itaque omnes et singulae partes alicuius totius sunt causatae et factae, a fortiori totum est causatum et factum; ex. gr. si omnes et singulae partes templi sunt causatae et factae, a fortiori totum templum est causatum et factum. Ratio est, quia non aliter quis causat totum quam causando, et componendo vel ordinando partes; ergo si omnes partes totius sunt causatae et invicem ordinatae ad constituendum totum, a fortiori causatum est ipsum totum.

THESIS VI.

Existit ens necessarium.

PRAENOTIONES.

20. I. **Characteres contingentiae.** *Contingens* vocatur quidquid ita existit, ut potuerit non existere. Ad cognoscendum, utrum aliquod ens sit contingens, opus non est ut videamus eius ortum vel interitum; sed sufficit ut tales exhibeat characteres, quibus intelligatur eius essentia non includere in suo conceptu necessitatem existendi utpote quae non habeat intrinsecam determinationem ad esse. Unde fit, ut huiusmodi essentiae optime concipi valeant non solum sine existentia exercita, sed etiam sine existentia signata. Itaque *character proprius entis contingentis* quatenus contingentis est *indeterminatio ad esse,* cui respondet *intrinseca indigentia accipiendi ab extrinseco determinationem ad esse.*

II. **Quaenam entia habeant characteres contingentiae.** Characteres proprios contingentiae habent non solum omnia entia quomodocumque composita ex actu et potentia (videlicet compositione sive *physica* seu in ordine essentiae, sive *metaphysica* seu in ordine existentiae); sed etiam principia intrinsece constitutiva eorum. Etenim

1° entia composita nequeunt determinari ad essendum nisi mediantibus componentibus, idest mediantibus principiis intrinsece constitutivis eorundem.

2° Eorum principia intrinsece constitutiva (quae ad hoc ut constituant aliquod unum, necessario se habent ad invicem ut *potentia* et *actus* in eo *ordine* in quo fit compositio) *a)* indigent causa efficiente compositionem, quum nequeant ex se determinari ad esse compositi

constituendum, *b)* quando agitur de primo esse compositi non generati constituendo, nequeunt praesupponi existere ante existentiam compositi, sive hoc sit compositum materiale (idest compositum non solum in ordine existentiae, sed etiam in ordine essentiae, sive sit compositum immateriale (idest compositum in ordine existentiae tantum). Ratio est, quia quidquid se habet ut potentia subiectiva in aliquo ordine nequit esse neque concipi actuatum in eo ordine independenter ab actu eiusdem ordinis, neque hic actus esse potest independenter a potentia subiectiva ad quam refertur, quia, ut demonstravimus (Phil. Prim. Q. 8. Th. 20.), actus et potentia transcendentaliter referuntur ad invicem immediate. Iamvero existentia potentiae sub actu est existentia compositi. Ergo si compositum est ex se indeterminatum ad esse, a fortiori erunt indeterminata eius principia intrinsece constitutiva.

Ergo non solum generabilia et corruptibilia, quae etiam quando existunt retinent *potentiam intrinsecam ad non esse*, quia eorum potentia materialis, quum sit contrarietati subiecta, potest successive actuari a pluribus formis substantialibus, quaeque idcirco a S. Thoma vocantur *possibilia esse et non esse;* sed etiam eorum principia intrinseca sunt contingentia. Quin immo ipsae substantiae finitae immateriales, quae sunt *incorruptibiles* et ideo quando existunt non habent *potentiam intrinsecam ad non esse,* qui non sunt compositae ex actu et potentia in ordine essentiae, nempe ex materia et forma; tamen, quum sint compositae ex actu et potentia in ordine existentiae, indigent causa extrinseca producente et conservante eas in suo esse, et ideo non sunt immunes a potentia extrinseca ad non esse. Hae substantiae immateriales vocantur a S. Thoma entia *necessaria non per se*, eo quod, quamvis in sua essentia non habeant potentiam intrinsecam ad non esse; tamen quum non sint suum esse existentiae, habent causam suae necessitatis aliunde nempe ab ente per se necessario, quod est Deus. Cfr. Psych. n. 175. III.

PROBATUR THESIS.

21. Existunt entia contingentia. Ergo existit ens per se necessarium. *Probo sequelam.* Ens contingens debet determinari ad existentiam ab alio. Quod si et hoc fuerit contingens, debuit ab alio determinari ad existendum. Ergo ne procedamus in infinitum, devenire debemus ad ens, quod non indiget determinari ab alio ad existendum, nempe ad *ens per se* necessarium.

Ens necessarium esse actum purissimum subsistentem demonstrabimus in quaest. III. in qua agemus de Divina Simplicitate.

THESIS VII.

Ex variis gradibus perfectionum, quae in entibus inveniuntur ostendit S. Thomas *a)* existere aliquod ens, quod est caeteris entibus causa existentiae, bonitatis et omnis perfectionis: *b)* hoc ens esse verissimum, optimum et nobilissimum et per consequens maxime ens, immo ipsum esse subsistens, videlicet ens infinite perfectum secundum omnem rationem perfectionum.

PRAENOTIONES.

22 Ad vim demonstrationis assequendam legitime intelligenda sunt principia, quibus S. Doctor innititur, et notiones, quas subaudit. Itaque

a) **Unum ex principiis est**: « *In tantum aliquid dicitur magis « vel minus perfectum secundum aliquam perfectionem, in quantum « magis vel minus appropinquat ei, quod est maxime perfectum in « eodem genere perfectionis* ». Quo in principio vocabulum *genus* non sumitur stricto sensu pro genere, sive physico, sive logico, sed latissimo sensu *pro quacumque ratione perfectionis*, etiam transcendentalis, puta vitae, cognitionis, bonitatis, esse etc.

b) **Aliud principium est**: « *Quod est maxime tale in aliquo « genere perfectionis est causa omnium quae sunt illius generis* ». Hoc principium, in quo vocabulum *genus* accipi debet latissimo sensu, sic demonstratur a S. Thoma (2).

« Quod alicui convenit ex sua natura, et non ex aliqua causa, mi« noratum in eo et deficiens esse non potest. Si enim naturae aliquid « essentiale subtrahitur vel additur, iam altera natura erit, sicut et « in numeris accidit, in quibus unitas addita vel subtracta speciem « variat. Si autem, natura vel quidditate rei integra manente, aliquid « minoratum inveniatur, iam patet quod illud *non simpliciter* dependet « ex illa natura, sed ex aliqua alia, per cuius remotionem minoratur. « Quod igitur alicui minus convenit, quam aliis, non convenit ei ex sua « natura *tantum*, sed ex alia causa. Illud igitur erit causa omnium in « aliquo genere, cui maxime convenit illius generis praedicatio, etc. ». *Quae verba S. Doctoris ita declarantur:*

Quod alicui competit vi essentiae suae non potest augeri vel minui, sed consistit *in indivisibili:* non enim potest aliquid esse magis vel

(1) C. G. L. 2. c. 15.

minus homo, magis vel minus risibile etc. Et sane perfectio, quae enti inest ex intrinseca necessitate essentiae suae, qualis est perfectio specifica et constitutiva seu distinctiva talis essentiae, non potest sive ab hoc ente sive ab alio haberi secundum gradus diversos superiorem vel inferiorem, sed consistit in certo gradu non admittente latitudinem in sua ratione, quemadmodum numerus quilibet determinatus, ex. gr. *ternarius*, constituitur in ratione indivisibili, ita ut non possit esse magis vel minus ternarius. Similiter perfectio specifica animalis rationalis, quae inest homini ex intrinseca necessitate essentiae suae non potest esse in alio ente sive superiore, sive inferiore, sed in homine tantum, neque in ipso homine admittit gradus, ut possit esse magis vel minus animal rationale. Necesse est ergo, ut omnia entia, quibus perfectio alicuius generis, ut bonitas, vita, esse, inest minorata, nempe, secundum gradus maiores vel minores infra supremum, acceperint aliunde tales perfectiones, quum eas *non habeant ex intrinseca necessitate essentiae suae*. Debuerunt videlicet in eis causari ab alio, sicut motus a sagittante causatur in sagitta. Et quoniam de hoc alio institui potest eadem quaestio, devenire tandem debemus ad talem causam, de cuius essentia sit vel *formaliter* vel *eminenter* perfectio ab ea in aliis causata. Ergo verum est principium S. Thomae: *Quod est maxime tale in aliquo genere perfectionis est causa omnium quae sunt illius generis.*

c) **Perfectiones aliae sunt simplices aliae mixtae**. *Perfectiones simplices* eae sunt, quae nullam in suo conceptu imperfectionem, idest limitationem seu potentialitatem involvunt: v. gr. bonitas, vita, cognitio, esse. *Perfectiones mixtae* sunt eae, quae in ipso suo conceptu aliquam maiorem vel minorem imperfectionem, i. e. limitationem seu potentialitatem, involvunt, ex. gr. vegetabilitas, sensibilitas, rationabilitas, etc. Nam vegetabilitas importat perfectionem vitae limitatam ad operationes augmenti, nutritionis, generationis materialis; sensibilitas importat vitalem perfectionem cognitionis limitatam ad conditiones materiae individualis; rationabilitas eandem perfectionem limitat ad cognitionem discursivam et ad imperfectiones intellectionis humanae. Ad perfectiones mixtas pertinent omnes essentiae et proprietates creaturarum.

d) **De causa efficiente perfectionis mixtae**. *Perfectiones mixtae debent ultimatim causari ab illo ente, de cuius essentia est perfectio simplex, quae continet eminenter quidquid perfectionis est in perfectione mixta.*

Etenim quidquid perfectionis habetur in perfectione mixta, est aliqua participatio perfectionis simplicis. Et sane, si perfectio mixta in ra-

tiones ipsam constituentes resolvi posset, resolveretur in aliquam potentiam et in aliquem actum, qui sit participatio simplicis perfectionis. Ex. gr. planta est essentialiter vivens mere vegetativum, qui est infimus maximeque materialis gradus viventium. Si haec essentia quae importat perfectionem mixtam, resolvi posset in rationes constitutivas sui, haberemus ex una parte perfectionem vitae idest principii immanenter operativi, ex alia vero parte materialitatem limitantem perfectionem operationis immanentis ad meram vegetationem.

Corollarium 1. *Perfectiones essentiales creaturarum, quamvis consistant in indivisibili, et idcirco nequeant augeri vel minui, quin pereat ipsa earum essentia* (ut sub lit. *b* diximus); *habere tamen debent causam efficientem primariam in altiori ordine, idest causam non univocam sed analogicam.* Quod enim in creaturis importat rationem purae perfectionis, invenitur semper auctum vel imminutum in diversis essentiis infra gradum supremum, prouti ad constituendam unam vel aliam essentiam debet magis vel minus a potentialitate coarctari. Porro quidquid perfectionis potest augeri vel minui, procedere tandem debet ab ente, quod est maxime, idest infinite, perfectum vel formaliter vel eminenter in eo genere pefectionis. Ita corrigitur a S. Thoma sententia Platonis ponentis *per se hominem, per se equum* etc. esse causas primarias omnium hominum, omnium equorum etc. (1).

Corollarium 2. *Perfectiones simplices, quum nullam in suo conceptu imperfectionem dicant, identificantur cum perfectione essendi in sua amplitudine accepta;* et ideo, si accipiantur in supremo gradu, identificantur cum ipso esse per se subsistente.

PROBATUR THESIS.

23. I. Quum perfectio essentialis consistat in indivisibili, ita ut ex. gr. aliquis nequeat esse magis vel minus homo; necesse est ut perfectiones, quae secundum magis vel minus possidentur ab aliquibus, non sint de eorum essentia, sed ab alio receptae. Et ne fiat processus in infinitum, deveniendum est ad aliquod ens, quod has perfectiones non possideat secundum magis vel minus, sed in tota earum plenitudine identificatas habeat cum sua essentia, et per hoc sit causa harum perfectionum omnibus, qui eas participant. Iamvero in rebus omnibus huius universi deprehendimus puras perfectiones essendi, vivendi, cognoscendi etc. inveniri minoratas. Ergo necesse est ut existat tale ens, quod eas possideat in tota earum plenitudine identificatas cum sua essentia, et ideo sit causa harum perfectionum in aliis.

---

(1) Cfr. 1. p. q. 6. a. 4. et q. 45. a. 5. ad 1.

Porro hoc ens esse ipsum esse subsistens infertur ex eo, quod quanto magis aliquid habet alicuius purae perfectionis, puta bonitatis, vitae, cognitionis, tanto magis habet de esse (cfr. Phil. Prim. n. 84. Coroll. 2. et praeclarum S. Thomae locum ex qq. dd. de Potentia q. 7. a. 2. ad 9.). Illud igitur ens, quod habet has perfectiones identificatas cum sua essentia, est ens cuius essentia est ipsa plenitudo essendi subsistens, nempe est ipsum esse subsistens. .

Et re quidem vera perfectiones simplices in tota sua latitudine important purum actum sine limitatione potentialitatis. Atqui huiusmodi perfectiones 1° identificantur inter se; 2° sunt de essentia illius entis quod eas secundum magis et minus causat in caeteris entibus. Ergo hoc ens, nempe Deus, est infinite perfectum secundum omnem rationem purae perfectionis, videlicet est ipsum purissimum esse subsistens. *Maior et minor* constant ex Praenotionibus.

II. Omnes perfectiones, quae inveniuntur in rebus mundanis earumque elementis, vel sunt perfectiones essentiales, vel accidentales seu ab essentia receptae. Earum perfectiones essentiales sunt perfectiones mixtae ex. gr. vita vegetativa, sensitiva, rationalis, ex his enim resultant essentiae et proprietates earum. Similiter perfectiones ab essentia receptae seu accidentales earumdem, aliae sunt perfectiones mixtae, ut calor, lux etc.; aliae sunt perfectiones simplices minoratae, ut esse, bonitas, vita, scientia etc., quae secundum varios gradus ab entibus mundanis plus minusve possidentur. Ergo in omnibus mundanis entibus quidquid rationem habet *perfectionis simpliciter dictae* invenitur minoratum atque in maiori vel minori limitatione possessum. (Cfr. Praenot. *d)* cum Corollario). Sed ea omnia, quae possident aliquam perfectionem minoratam, participare eam debent a tali ente, quod eam vel *formaliter* vel *eminenter* possideat in tota sua latitudine ex intrinseca vi essentiae suae. Ergo rerum omnium mundanarum actualitatis et perfectionis suprema causa est illud ens, cuius essentia identificatur cum purissima et infinita perfectione, videlicet est ipsum esse purissimum subsistens, quod vocatur *Deus*.

Dices. Si unum contrarium fuerit infinitum, totaliter destruetur aliud. Sed nomen Deus importat infinitum bonum. Ergo si summum Bonum existeret, nullum malum inveniretur in rebus.

Resp. *Dist. mai.* Destrueretur aliud hoc sensu, quod non inveniretur *formaliter* in suo contrario infinito, *Conc.*, hoc sensu quod non inveniretur *effective*, idest in effectibus procedentibus a suo contrario infinito, *Subd.*, si hoc ens esset agens *univocum* cum suis effectibus, et hi effectus adaequarent virtutem suae causae, *Conc.*, si est agens *analogicum*, cuius proinde perfectiones deficienter a suis effectibus participantur,

Nego. Conc. min. Dist. cons. Nullum malum inveniretur in ipso Summo Bono, *Conc.*, in effectibus participantibus deficienter eius bonitatem, *Subd.* Non inveniretur ut aliquid positivum, *Conc.*, non inveniretur ut aliqua privatio boni in bono, *Nego.*

Instabis. Quidquid existit, causam habet. Sed malum existit. Ergo habet causam. Sed Summum Bonum nequit esse causa mali. Ergo vel Summum Bonum non existit, vel non est suprema omnium causa.

Resp. *Dist. mai.* Vel habet causam *per se*, si sit aliquid *positivum* vel habet causam *per accidens*, si sit aliquid *privativum*, *Conc.*, habet tantum causam *per se*, *Nego. Dist. min.* Malum existit ut *privatio* in subiecto positivo, *Conc.*, existit ut ens positivum, *Nego. Dist. 1^m cons.* Malum habet causam *per accidens*, *Conc.* habet causam *per se*, *Nego. Dist. 2. min.* Summum Bonum nequit esse *causa per se* mali, *Conc.*, nequit esse causa *per accidens* mali, *Nego. Nego cons.* (1).

THESIS VIII.

Ordo in universo mundo relucens procedit *a)* ab intelligentia *b)* infinita *c)* a mundo distincta *d)* mundique creatrice.

24. Ordinare aliqua inter se, ut ad aliquid unum conspirent, est opus intelligentis. Nam « ordinatio aliquorum (ait S. Thomas) (2) fieri « non potest nisi per cognitionem habitudinis et proportionis ordina- « torum ad invicem et ad aliquid altius, quod est finis eorum. Ordo « enim aliquorum ad invicem est propter ordinem eorum ad finem. « Cognoscere autem habitudines et proportiones aliquorum ad invicem « est solius habentis intellectum ». Ergo ordinare aliqua inter se, ut ad aliquid unum conspirent est opus intelligentis.

Et sane, id quod ad constituendum aliquem ordinem realem praesupponitur, et nihilominus in ordine reali nondum est, debet praeexistere in ordine intentionali, idest in intellectu. Atqui finis praesupponitur ad unumquemque ordinem realem constituendum, et nihilominus in ordine reali nondum est. Etenim finis in ordine reali constituendo est id, quod resultare debet ex ordinatione plurium rerum ex. gr. templum ex apta ordinatione lapidum. Sed id quod debet resultare ex ordinatione plurium rerum, impossibile est ut existat in ordine reali ante illas, secus effectum existeret ante suam causam. Ergo necesse est ut

(1) Cfr. 3. p. q. 49. a. 3.
(2) C. G. L. 2. c. 24.

finis praeexistat in ordine intentionali idest in intellectu. Hinc axioma: *finis est primus in intentione, ultimus in exsecutione*. Id confirmatur ex eo quod habitudo, proportio, ordo et alia huiusmodi sunt rationes universales. Sed rationes universales nequeunt concipi, nisi ab intellectu. Ergo cognoscere habitudines et proportiones aliquorum ad invicem et ea coordinare est solius habentis intellectum. (Cfr. Ontol. n. 142. Schol. 2. et 4. et Cosmol. n. 95.).

PROBATUR PRIMA PARS (1).

(Ordo universi procedit a suprema intelligentia).

25. I. Ordinare plura ad aliquem finem est opus intelligentis. Atqui in mundo innumerabilia entia modo prorsus admirabili ordinantur ad suos fines et his mediantibus ad finem totius qui est pulcherrimus ordo universi. Ergo ordo in universo mundo relucens procedit ab intelligentia praestantissima. *Maior* constat ex dictis in Praenotionibus. *Minor* evidens est omni homini ratione utenti, qui ea, quae vel in seipso experitur vel extra se oculis aliisque sensibus usurpat, ponderare velit. Et sane entia tellurica, corpora coelestia, legum physicarum harmonia, utilitas coniuncta pulchritudini, ordinis physici et socialis constantia in iugi conflictu plurium causarum praesertim liberarum, mirabiliter ostendunt existentiam supremae intelligentiae ordinatricis universi.

II. *Argumentum a minori ad maius.* Si rosae vel leonis aut hominis exteriorem figuram pingendo imitari est opus intelligentis, si currum vel navium cursum dirigere, si horologium construere et moderari, si exercitum ordinare sunt opera intelligentis, quanto sublimioris intelligentiae opus erit rosas, leones, homines et innumerabilia alia condere, vitam, sensum, intellectum eis largiri, aptissime coordinare et absque cessatione universi machinam regere? Quis igitur tam stulte arrogans erit, qui ea quae vix summa ingenii ratione comprehendat, a nullo ingenio moveri et ordinari putet? Ad rem Tullius (2). « Si quis « in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cum « videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea « sine causa fieri iudicare, sed esse aliquem intelligat, qui praesit, et « cui pareatur, multo magis in tantis motionibus tantisque vicissitudi-

---

(1) Hanc partem elegantissime et copiose probatam invenies apud *M. T. Ciceronem* « De Natura Deorum » lib. 2. a num. 34. ad 65. Conferantur etiam *Sanseverino* « Elementa Philosophiae Christianae ». Theol. Nat. cap. 1. a. 4. et *Sylvest. Maurus*, Quaest. Philos. q. 10.

(2) De Nat. deor. lib. 2. n. 5.

« nibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus « nihil unquam immensa et infinita vetustas mentita sit, statuat ne- « cesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari ».

III. Omnes formae receptae, quae idcirco in eadem ratione specifica saepe conveniunt inter se, praesupponunt aliquam formam archetypam et universalem ad cuius normam sunt factae. Sed forma archetypa et universalis nequit esse nisi in intellectu, in quo perfectius esse habet quam in particulari. Ergo, quum existant tot formae receptae, quot sunt individua materialia existentia secundum varia genera et species perfectionum sive substantialium, sive accidentalium, necesse est existere supremum intellectum in quo sint intentionaliter et universaliter formae archetypae omnium formarum receptarum (1).

PROBATUR SECUNDA PARS.

(Suprema intelligentia est simpliciter infinita).

26. I. Ordinare materialia et immaterialia, ea quae libero arbitrio gaudent et ea quae libertate sunt destituta, infima et suprema, diversa et contraria ita ut resultet perfectus et constans ordo, est opus intelligentiae infinitae. Atqui hic est ordo, quem cernimus in universo. Ergo intellectus ordinator universi est simpliciter infinitus. *Minor* constat ex probatione primae partis.

Maior probatur. Ad ordinanda tot entia ordine iugiter constanti 1° praecognoscendae sunt omnes possibiles habitudines et relationes tum simultaneae, tum successivae, ut opportunae praeeligantur, noxiae amoveantur: 2° praecognoscendi sunt omnes actus liberi entium intellectivorum, nempe futura contingentia, ut ita disponantur, ne pereat ordo, vi cuius homines et angeli ad suum finem adducantur. Atqui haec requirunt intellectum simpliciter infinitum. Etenim 1° nequit adaequare seriem successive infinitam, nisi id quod est actu infinitum. Atqui series possibilium habitudinum et relationum est infinita successive. Ergo si debet actu tota simul praecognosci, exigit intellectum actu seu simpliciter infinitum. Insuper 2° ille intellectus praecognoscere valet futura contingentia qui *a)* adaequat actu eorum seriem successive infinitam, *b)* qui nullo modo transit de potentia in actum suarum intellectionum. Atqui intellectus qui *a)* adaequat unico actu seriem successive infinitam est actu infinitus, *b)* intellectus, qui nullo modo transit de potentia in actum, est actus purissimus idest simpli-

(1) Cfr. S. Th. C. G. lib. 1. c. 44.

citer infinitus (ut ex Philosophia prima constat). Ergo intellectus ordinator universi est simpliciter infinitus (1).

II. **Confirmatur.** Intelligentia quae ordinavit et regit universum est suprema omnium causa. Sed suprema omnium causa est actus purissimus seu simpliciter infinitus. Ergo intelligentia ordinatrix et rectrix universi est simpliciter infinita. *Prob. mai.* Intelligentia ordinatrix universi vel habet causam sui perfectiorem et ideo adhuc perfectius intelligentem, vel non habet. Si non habet sui causam, erit ens a se, ens necessarium et ideo suprema omnium causa. Nam ex praecedentibus Thesibus iam satis constat ens necessarium identificari cum actu purissimo, actum autem purissimum identificari cum suprema omnium causa. Si vero habeat causam sui perfectiorem et intelligentem, iterum fiet quaestio de hac, donec diveniamus ad supremum intellectum, qui sit ens a se, ens necessarium, actus purissimus ideoque suprema causa efficiens omnium rerum seu totius universi. Ergo hoc argumento demonstrantur simul 2ª et 4ª pars nostrae Thesis, nempe intelligentiam supremam ordinatricem universi esse infinitam et esse mundi creatricem.

PROBATUR TERTIA PARS.

(Suprema intelligentia est adaequate a mundo distincta).

27. I. Si intellectus ordinator universi non distingueretur adaequate a mundo, deberet ei coniungi ut forma materiae, secundum errorem antiquorum ponentium Deum esse animam mundi. Atqui praeter alias absurditates sequeretur eum esse simul primum ordinatorem mundi et non esse, quod implicat contradictionem. Ergo intellectus ordinator universi est adaequate a mundo distinctus.

Prob. mai. Nam vel mundus sensibilis est unum per se vel est unum per accidens. Si primum, necesse est ut principium primum intrinsecum movens mundum ei coniungatur ut forma materiae, secus principium primum movens mundum non erit ei intrinsecum sed extrinsecum et ideo adaequate distinctum ab eo. Si vero mundus sensibilis est unum per accidens, necesse est ut intellectus qui non distinguitur adaequate ab eo, coniungatur tamquam forma materiae saltem alicui parti mundi. Nam substantia intellectiva, quae nulli parti mundi unitur ut forma, remanet a mundo adaequate distincta.

Prob. min. Si supremus intellectus ordinator universi coniungeretur

---

(1) Quomodo infinitum potentiale successivum totum simul cognoscatur a Deo dicemus in Quaest. 8. n. 81.

toti mundo sensibili vel saltem alicui eius parti ut forma materiae idest ut anima corpori: aut potuit suum corpus sibi ordinare et disponere, aut non. Si primum, iam frustra et in proprium detrimentum uniretur corpori. Nam ens spirituale habens esse et operationem tum intrinsece tum extrinsece independentem a corpore, nequit iungi corpori, ut sit anima eius. Si secundum, idest si non potuit ordinare et disponere suum corpus, iam falsum esset huiusmodi intellectum esse supremum ordinatorem universi. Nam praerequireretur alius ordinans, nempe intellectus adhuc superior qui ordinaret et disponeret corpus ab eo informandum. Ergo supremus intellectus ordinator universi est adaequate a mundo distinctus, nempe est purus spiritus seu est ens immateriale perfecte per se subsistens.

Probavimus autem in secunda parte hunc intellectum esse simpliciter infinitum. Ergo intellectus ordinator universi est spiritus purissimus infinitus subsistens, nempe est *Deus vivus* et *verus*.

II. Quod continet aliquid secundum esse magis immateriale et perfectum, absurde dicitur sibi addere intrinsece illud ipsum secundum esse magis materiale, compositum et imperfectum. Atqui primus intellectus utpote habens intentionaliter omnium corporum rationes et formas antecedenter ad earum compositionem, eas continet secundum esse magis immateriale et perfectum. Ergo absurde diceretur venire in compositionem cum mundo corporeo.

III. Actus purissimus subsistens infinite excedit omnia entia quomodocumque composita, cum quibus in nulla ratione univoca convenit. Atqui demonstravimus (in 2ª parte) intellectum ordinatorem supremum universi identificari cum causa suprema, quae est actus purissimus. Ergo intellectus ordinator universi non solum distinguitur adaequate a mundo sensibili, sed etiam ab omni ente immateriali finito, quod necessario resultat compositum ex essentia et esse.

PROBATUR QUARTA PARS.

(Suprema intelligentia est mundi creatrix).

28. I. Intelligentia ordinatrix universi identificatur cum causa suprema omnium rerum ut in 2ª parte demonstravimus. Sed causa suprema omnium rerum causat res secundum totam earum entitatem, ut demonstravimus in quatuor antecedentibus viis. Ergo intelligentia ordinatrix universi est etiam universi creatrix.

II. Qui formas materiae indidit eique leges imposuit, causare debuit ipsam materiam. Atqui hoc praestitit supremus intellectus ordinator universi. Ergo hic est mundi creator. *Minor* constat ex probatione 1ae partis.

Maior probatur. In superioribus Thesibus demonstravimus materiam primam, sive haec accipiatur secundum veram sententiam tamquam principium subiectivum pure potentiale corporis physici, sive accipiatur secundum refutata placita atomistarum tamquam collectio corpusculorum elementarium, esse productam ex nihilo a Suprema Causa in prima productione rerum materialium.

Quo posito, sic arguimus. Si materia prima esset producta ab alia causa, quam a suprema intelligentia ordinatrice universi, ab ea recepisset cum existentia determinationes legesque necessario connexas cum existentia. Atqui quod ab uno recipit existentiam, determinationes, legesque cum existentia necessario connexas, nequit ab alio accipere determinationes sive substantiales sive accidentales nisi ad normam et ordinem determinationum cum sua existentia necessario connexas. Ergo vel dices causam creatricem materiae esse ipsum intellectum ordinatorem universi vel dices intellectum ordinatorem universi esse simul et non esse universi ordinatorem, quod contradictionem implicat. Sed quod ex nihilo causat ipsa principia intrinseca compositorum nempe materiam, et formam creat illa. Ergo prima intelligentia ordinatrix mundi est etiam mundi creatrix.

OBIECTIONES.

29. **Obiicienti.** Fortuitae atomorum concursationes tempore infinito potuerunt efficere omnes rerum combinationes. Atqui inter varias rerum combinationes est hic ordo universi. Ergo hic ordo exsurgere potuit ex fortuito atomorum concursu, quin procederet a supremo intelligente ordinatore.

Resp. *Nego maiorem.* Maior enim ex multiplici capite falsissima est, pluribusque falsis suppositis innititur, quae etiamsi permitterentur, adhuc falsa remaneret. Et sane:

Supponit 1° atomos gaudentes propria essentia et existentia esse prima principia intrinsece constitutiva corporum. Cuius suppositi falsitatem fuse demonstravimus in Cosmologia (Th. 10 et 11.).

Supponit 2° entia corporea viventia sive vita tantum vegetativa, sive etiam vita sensitiva, ipsosque homines, qui praeterea vivunt vita intellectiva, esse meras aggregationes atomorum. Cuius falsitatem suppositionis demonstravimus in Cosmologia et Psychologia.

Supponit 3° atomos esse improductas. Atqui haec etiam suppositio demonstrata est falsissima in praeced. Thesibus.

Supponit 4° unamquamque atomorum spatii infinitatem potentialem secundum omnes directiones percurrere posse. Atqui hoc est non

solum gratuitum, sed absurdum. Si enim una vel plures atomi incipiant currere dextrorsum, non poterunt per totam aeternitatem oppositum spatium percurrere neque obviam fieri atomis, quae in alias directiones currere supponerentur.

Supponit 5° atomos se determinasse ad unam directionem, potius quam ad aliam. Quae suppositio non solum est gratuita, sed etiam repugnans. Nam quod est ex se indifferens ad quamlibet directionem, nequit independenter ab extrinseco determinari ad unam directionem potius quam ad aliam (1).

Supponit 6° unamquamque atomum independenter a motore extrinseco virtutem habere se movendi localiter in infinitum. Quae assumptio contradicit manifestae veritati physicae experimentalis corpora inorganica ex se inertia esse. Perabsurdum enim esset aggregatum aliquod plurium atomorum esse ex se iners, unamquamque autem atomorum habere sibi intrinsecam et essentialem virtutem se movendi per infinita spatia. Quod si dicas atomos ante aggregationem moveri attractas vi gravitatis, pugnantia diceres; quum supponeres vim gravitatis influere ante constitutum centrum gravitatis.

Si vero ad hanc novam absurditatem vitandam dicas fuisse ab aeterno constitutum centrum aliquod gravitatis ex plurium atomorum conglobatione, in alium scopulum impingis. Nam si ab aeterno fuit centrum gravitatis ad quod caeterae atomi attraherentur, 1° impossibilis esset atomorum in varias spatii directiones concursatio; 2° impossibilis esset varietas combinationum atomorum; 3° totus mundus non esset aliud quam unica massa ex atomis ad unicum gravitatis centrum ab aeterno confluxis.

Iamvero haec et falsa sunt, et, si vera essent, destruerent illud ipsum fundamentum adversariorum, ad quod fulciendum sunt tam impudenter asserta, nempe *fortuitas atomorum concursationes tempore infinito potuisse efficere omnes rerum combinationes.* Ergo optimo iure negavimus maiorem obiectionis tam ineptae et impudentis.

Ad minorem, quae sic proponebatur: *Atqui inter varias rerum combinationes est hic ordo universi.*

Resp. *Dist.* Si nomine *rerum* intelligas omnia entia visibilia, inter quae sunt ea etiam, quae gaudent perfectionibus essentialiter superioribus perfectionibus atomorum, nempe plantae, bruta, homines, *Conc.*, si nomine *rerum* intelligas meras atomorum aggregationes, *Nego.* Etenim etiamsi permitterentur atomi talem naturam habere, qualem earum patroni volunt; hic ordo universi visibilis ex mera atomorum

(1) Cfr. M. T. Ciceronem De Finibus bonor. et malor. lib. 1. n. VI. et De Fato n. 20.

aggregatione, licet aptissime disponantur, resultare non posset. Non enim sufficerent hae dispositiones ad viventia sive vegetalia, sive animalia, multoque minus ad rationalia constituenda. Quis autem non cernit in hoc mundo plantas, bruta, homines?

Breviter. Hypothesis haec adversariorum destituitur omni possibilitate tum *intrinseca*, tum *extrinseca*. *Intrinseca* quidem, quia mundus visibilis non constat ex meris aggregationibus atomorum; *extrinseca*, quia etiam quoad corpora non viventia, ordo ita admirabilis relucet in mundo, ut necessario supponat causam intelligentem.

30. **Instabis.** Si notae omnes typographicae, quibus ex. gr. *Aeneis* Virgilii constat, iactarentur simul infinitis vicibus, saltem una vice darent *Aeneidem*. Ergo a pari ex infinitis combinationibus atomorum poterit semel resultare hic ordo universi.

Resp. *Nego paritatem et consequentiam.* Nam, ut omittamus plura falsa et gratuita quae praesupponuntur, nempe atomorum necessitatem, aeternitatem, naturam, motum et multa alia a nobis refutata; ipsum poematis exemplum confirmat necessitatem intellectus ordinatoris.

Et sane notas typographicas latini idiomatis rite formare; determinato numero et specie seligere, ita ut neque plures neque pauciores ex unaquaque specie literarum notae proiiciantur, quam quae ad Aeneidem requiruntur: omnes in apta urna collocare: hanc exagitare ita ut una nota post aliam ex angusto foramine prodeat: et quidem latus illud emineat, quod literam refert: curare ut egredientes notae non in vacuum inane aut in solum instabile, sed omnes intra finitum spatium et super stabili solo collocentur; post primam emissionem notarum, iterum in una colligere notas, et sine fine opus inchoare, donec, si superis placeat, resultet optata combinatio; tandem hac semel obtenta cessare ab huiusmodi processu, haec omnia causam intelligentem atque magna sedulitate operantem requirunt.

Insuper collectio harum notarum in hypothesi allata esset *intrinsece* sufficiens ad Aeneidem obtinendam, posito quod accedat causa intelligens *extrinseca*, quae supradictas operationes praestet. Ast collectio atomorum, si daretur, neque *intrinsece* sufficiens esset ad hanc rerum universitatem sub *extrinseco* influxu intelligente constituendam, ut in responsione ad minorem praecedentis difficultatis demonstravimus.

Tandem quomodo fieri potuit absque extrinseco ordinante, ut anteriores combinationes infinitae non permanserint, ultima autem combinatio et permaneat et iugiter eodem typo renovetur?

Sileant igitur impudentes homines Epicuri de grege, audiantque Lactantium aientem: « Quanto melius fuerat tacere, quam in usus tam

« inanes habere linguam! Et quidem vereor, ne non minus delirare « videatur, qui haec putet refellenda ». (De ira Dei Cap. X.).

Nos tamen haec refellenda duximus, eo quod aetate nostra plurium mentes vesanus furor ita invasit, ut qui Epicuri impia et absurda commenta ab inferis excitaverit, is dignus existimatus fuerit, ut ei tamquam scientiarum lumini, honores fere divini ad summam impudentiam haberentur. Quam monstruosam licentiam et miserabilem inscitiam ratiocinandi impii homines, Epicuri de grege, prosequuntur, ne Divini supplicii metu a flagitiosa vita deterreantur. Miserabiles sane! quos culpata haec caecitas a Supremi Numinis vindicta haudquaquam liberabit.

APPENDIX.

ALIA QUAEDAM ARGUMENTA AD DEI EXISTENTIAM DEMONSTRANDAM.

31. I. **Argumentum ex ordinatione nostrae voluntatis.** Voluntati nostrae, quodlibet finitum bonum quum fuerit assequuta, non satisfit, sed in maius tendit, et sic in infinitum. Ergo voluntas nostra naturaliter est ordinata ad infinitum bonum suo modo assequendum. Frustra autem esset haec ordinatio nisi infinitum bonum existeret. Ergo infinitum Bonum, nempe Deus, existit; quum natura nihil frustra moliatur.

II. **Argumentum ex ordinatione nostri intellectus.** « Intelle« ctus noster intelligendo aliquid in infinitum extenditur: cuius si« gnum est, quod, quantitate qualibet finita data, intellectus noster « maiorem excogitare potest. Frustra autem esset haec ordinatio in« tellectus ad infinitum, nisi esset aliqua res intelligibilis infinita. « Oportet ergo aliquam rem intelligibilem infinitam esse, quam oportet « esse maximam rerum, et hanc dicimus Deum » (1).

III. **Argumentum ex synderesi rationis.** Homo synderesi rationis ad bonum faciendum malumque vitandum ita impellitur, ut a suprema quadam lege obligatum se sentiat. Sed nemo sibi ipsi obligari proprie potest (ut supponimus ex Philosophia Morali). Ergo ex hac obligatione sponte efflorescit agnitio Supremi Legislatoris.

Corollarium 1. Haec suprema Lex est fundamentum omnium legum. Sine qua nulla lex humana et nullus legislator humanus habere potest vim ligandi conscientiam et proprie obligandi.

Corollarium 2. Contra naturam et contra humanam Societatem agunt, qui Divinae existentiae et Providentiae agnitionem a mente ho-

(1) S. Th. C. G. L. 1. c. 43.

minum avertere conantur, suntque habendi ut perduelles atque hostes pessimi humanae societatis. Qui autem societatem humanam sine Deo stabilire contendunt, ipsius humanae societatis fundamenta convellunt. Quod aetate nostra experimur, quotidie flagitiorum, criminum, scelerumque horrendum in modum numero percrebrescente (1).

IV. **Argumentum morale.** Deum existere (quatenus nomine Dei venit supremus aliquis Legislator vel Dominus) est sententia humano generi communis; de qua verificantur omnes conditiones requisitae ad hoc, ut aliqua sententia dici possit esse *sensus communis,* seu pertinere ad consensum communem. Etenim habet pro se 1° *universalitatem* locorum et temporum quum apud omnes gentes cultas aeque ac barbaras, et in omni aetate viguerit; 2° *rationabilitatem*, quo enim magis ad rationis examen revocantur, eo magis eius veritas elucescit; 3° *immunitatem* a quavis illusione et illecebra sensuum, quum sit veritas maxime intellectualis, et coercitiva malarum passionum in homine eam profitente. Atqui sententiae *sensus communis* sunt infallibiles, sicuti demonstravimus in Logica Maiori n. 260. Ergo ex humani generis consensu serio evincitur Deum existere.

Praeoccupantur obiectiones *desumptae contra hoc argumentum ex idololatris et ex atheis.*

a) Non infirmatur nostrum argumentum ex eo quod populi idololatrae erraverint quoad Naturam Divinam. Etenim hoc argumento demonstramus de Deo (sub conceptu alicuius supremi legislatoris vel Domini) *an sit;* non vero distincte *quid sit.*

b) Similiter non infirmatur ex eo quod fuerint et sint aliqui *athei.* Nam si distinguamus *atheos practicos*, videlicet eos qui licet admittant existentiam Dei, tamen ita vivunt quasi nulli Numini subiecti essent, ab *atheis speculativis*, qui negant ipsam Dei existentiam; dicimus atheos speculativos paucissimos esse relate ad totum genus humanum, atque eos ipsos, quamvis ore denegent Deum existere, tamen non posse in tali persuasione firmari. Nisi enim aliquis eo insaniae devenerit, ut ipsa prima rationis principia deneget, negare serio non poterit dari debere aliquod ens necessarium, non causatum, ex cuius virtute omnia contingentia et mutabilia suas perfectiones et ordinem recipiant, quodque sit omnis moralis obligationis principium et vindex, ita ut huiusmodi entis existentiam non apprehendat saltem sub confuso conceptu alicuius supremi Legislatoris et Domini. Et sane ii ipsi perversissimi homines, qui Dei existentiam se negare ostentant, haudquaquam valent hanc sententiam sibi firmiter persuadere: quod et ipsi fatentur, quum

---

(1) Cfr. M. T. Ciceronem, De Legib. lib. 2. c. 7.

ad meliorem frugem veniunt, et in subitaneis quibusdam periculis practice ostendunt, cum Dei nomen in auxilium invocant, aut cum conscientiae stimulis acrius dilacerantur.

Concludamus igitur argumentum morale verbis M. T. Ciceronis (1): « ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus « quod nulla gens tam fera, *nemo omnium tam sit immanis*, cuius men- « tem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava sentiunt, id « enim vitioso more effici solet: omnes tamen esse VIM et NATURAM « DIVINAM arbitrantur ». Qua in re animadvertant, si qui populi aliquando ab historicis *athei* vocati fuerint, eos ita vocatos fuisse non quia nullum colerent numen, sed quia non colerent historiographi divinitates. Hoc sensu Plinius Iudaeos vocavit atheos, atque Ethnici Christianos atheos appellabant.

---

(1) Quaest. Tuscul. L. 1. c. 13.

THEOLOGIA NATURALIS

PARS SECUNDA
DE DIVINA ESSENTIA

QUAESTIO III.
DE SIMPLICITATE DEI.

THESIS IX.

Deus, quum sit actus purissimus seu ipsum esse subsistens, perfectissima gaudet simplicitate (1).

32. I. **Simplex** dicitur ens compositione carens, nempe *ens indivisum et indivisibile.* Aliis verbis: *simplex est ens indivisum tum actu tum potentia.*

II. **Simplicitas** est talis perfectio, vi cuius *unitati nempe indivisioni* entis additur *indivisibilitas.* Talis autem perfectio est immunitas a compositione. Quod enim ita est indivisum in se, ut non sit compositum ex aliis, est prorsus indivisibile.

III. **Simplicitas perfectionem importans** competit proprie *enti ut quid.* Nam ei competit proprie indivisibilitas, cui competit proprie indivisio. Atqui *enti ut quod* competit proprie indivisio. Ergo *enti ut quod* competit proprie indivisibilitas idest simplicitas. Et sane, ei competit proprie indivisio seu unitas transcendentalis, cui competit proprie esse: nam unum et ens convertuntur. Atqui *esse* proprie competit *enti ut quod.* Nam *enti ut quo* non competit aliud *esse* quam *esse compositi* (2). Ergo *enti ut quod* competit proprie indivisio seu unitas. Unde ad perfectionem simplicitatis requiritur, ut aliquid sit immune tum *a compositione ex aliis*, tum *a compositione cum aliis*, ita ut non indigeat componi cum alio ad esse habendum. Quapropter *materia prima*

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 3.
(2) Cfr. S. Th. I. Sent. Dist. 8. q. 5. a. 2. ad 1.

et *formae non per se subsistentes*, quamvis non sint compositae ex aliis, tamen non sunt simplices simplicitate importante perfectionem, quia ad habendum esse indigent componi cum alio, nempe materia cum forma, et forma cum materia.

IV. **Simplicitate importante perfectionem gaudent vario gradu omnes substantiae spirituales.** Nam ita sunt immunes a compositione ex aliis, ut rationem habeant entis *ut quod*. Attamen non omnes in eodem gradu hac simplicitate gaudent. Nam *a) in infimo gradu* ea gaudet anima humana, quae ita rationem habere potest entis *ut quod*, ut sit incompleta in linea essentiae et ideo debet componi cum alio, nempe cum materia prima, ut ex ipsis resultet essentia humana: insuper in linea existentiae se habet ad esse ut potentia ad actum; tandem est susceptiva accidentium spiritualium. *b) In medio gradu* ea gaudent substantiae pure spirituales creatae, nempe angeli. Qui licet sint actus perfecti in linea essentiae, tamen se habent ad existentiam ut potentia ad actum; insuper sunt susceptivi spiritualium accidentium. *c) In supremo gradu* eâ gaudet actus purissimus subsistens, qui in nullo ordine se habet ut potentia ad actum et nullatenus est susceptivus accidentium. Talis est Deus, qui est *ipsum esse subsistens*.

V. **Compositio opponitur simplicitati.** Etenim ens compositum ita est unum seu indivisum, ut non sit prorsus indivisibile. *Omnis compositio ex aliis* ad tres classes reduci potest, videlicet: *a) ad compositionem metaphysicam*, quae resultat ex essentia et esse; *b) ad compositionem physicam*, quae resultat vel ex materia prima et forma substantiali, vel ex materia secunda et forma accidentali: ad hanc reduci potest compositio ex substantia spirituali creata et eius accidentibus; *c) ad compositionem logicam* quae resultat ex genere et differentia. *Compositio metaphysica* et *compositio physica* sunt compositiones *formaliter reales*, nam independenter a quolibet nostro conceptu vel ratiocinio important *realitates obiective diversas* (cfr. Philos. Prim. Th. 21.). Compositio vero logica *formaliter* est compositio rationis tantum, quamvis *fundamentaliter* sit etiam ipsa realis (cfr. Log. n. 188.).

PROBATUR THESIS.

33. Illud ens est simplicissimum simplicitate importante perfectionem, quod subsistit absque omni compositione sive physica sive metaphysica, sive logica, videlicet quod est ipsum esse subsistens. Atqui Deus est ipsum esse subsistens. Ergo Deus perfectissima gaudet simplicitate.

Minor probatur. a) Deus est primus motor immobilis, ut demon-

stravimus n. 16. Atqui primus motor immobilis est actus purissimus subsistens. Nam quidquid est compositum transit de potentia in actum, quia componentia sunt saltem *natura priora composito;* causa autem efficiens unionis componentium est tum secundum naturam tum secundum esse prior componentibus. Atqui primus motor seu primum perficiens nequit transire de potentia in actum cuiusvis perfectionis, secus esset simul primus motor et non esset. Ergo primus motor est simplicissimus, nempe est purissimus actus subsistens.

b) DEUS EST CAUSA SUPREMA NON CAUSATA videlicet est ENS A SE, ut sub n. 18. demonstravimus. Atqui ens a se est ipsum esse subsistens. Etenim

1° Intimius perspicienti rationem cur in nulla serie generantium et generatorum inveniamus sufficientem causam existentiae eorum (ut omittam alias, quae opportunius suis locis pertractantur), apparet haec simplex ratio: quia sunt agentia *univoca* et ideo si eorum effectus non habent in sua essentia rationem suae existentiae, neque eam habebit generans, quum sit eiusdem essentiae, immo neque habebit quodcumque aliud ens quod convenit cum generante nobilioris naturae in eadem ratione generica, in aliquo gradu specifico inferiori. Ratio est manifesta. Si enim ens perfectioris naturae nequit *virtute propria* vel formaliter vel eminenter attingere rationem formalem alicuius effectus, multo minus id poterit ens inferioris naturae. Ex. gr. si planta nequit sentire, multo minus mineralia id poterunt; si brutum nequit intelligere, multo minus plantae vel meneralia poterunt intelligere. Homo contra, quum sit nobilioris naturae, potest sentire, vegetare et gaudere qualitatibus quibusdam, quibus etiam mineralia gaudent.

Causa igitur quae virtute propria causat formalem effectum existentiae debet virtute et perfectione sua et ideo suâ essentiâ transcendere virtutes et perfectiones suorum effectuum, etiam nobiliorum. Iam age hi effectus non limitantur ad non viventia, nec ad sola vegetantia vel sentientia, sed videmus eos extendi ad homines, qui gaudent etiam vita intellectiva. Ergo haec causa transcendere debet etiam praedicamentum substantiae immaterialis finitae. Sed ens quod transcendit hoc praedicamentum est purissimus actus subsistens: quia substantia immaterialis finita ideo est sub praedicamento, quia est composita in ordine existentiae ex potentia et actu, ut demonstravimus in Logica n. 188. Ergo causa suprema est actus purissimus.

2° Idem confirmatur *per exclusionem* sequenti argumento: Causa Prima seu *ens a se* existit, ut in Quaest. II. probavimus. Atqui neque materia prima, neque corpora sive animata sive inanimata, sive simplicia, sive atomica, sive mixta, neque ipsae substantiae immateriales

finitae i. e. compositae ex essentia et esse, possunt esse entia a se. Ergo ens a se est purissimus actus subsistens, idest ipsum esse subsistens. *Probatio minoris* haec est: *Ens a se* debet esse ens actualissimum, quod in nullo ordine perfectionum se habere possit ut potentia ad actum. Atqui tale ens est unice ipsum esse subsistens idest actus purissimus omnem perfectionem eminenter continens. Ergo neque materia prima, neque entia corporea quaecumque, neque ipsi angeli possunt esse entia a se. *Minor* patet ex notione ipsius esse per se subsistentis, quam tradidimus in quaestione de *Actu* et *Potentia* (Philosoph. Prima. Quaest. VIII.).

Maior sic ostenditur. Si *ens a se* in aliquo ordine perfectionum se haberet ut potentia ad actum, praesupponeret aliud ens iam in actu illius perfectionis, a quo reduceretur in actum; « quia potentia non « educit se in actum, sed oportet quod educatur in actum per aliquid « quod sit actu » (C. G. Lib. 1. Cap. 16.). Atqui id quod praesupponit aliud ens, a quo actuetur, non potest esse *ens a se*. Ergo ens a se in nullo ordine perfectionum se habere potest ut potentia ad actum. Et sane, si in ipso ordine perfectionis essentialis se haberet ut potentia (sicut materia prima), indigeret tum causa formali, tum causa efficiente. Si autem in ipso ordine perfectionis essentialis se haberet ut actus seu forma, indigeret tum causa materiali tum causa efficiente. Si se haberet ut compositum resultans ex principiis materiali et formali, indigeret tum causa materiali, tum causa formali, tum causa efficiente. Tandem si in ipso ordine suae essentiae esset forma seu actus per se subsistens, sed limitatus ad particulare genus perfectionis; se haberet ut potentia ad actum essendi et ad plures perfectiones accidentales, quae omnia ab alio ente accipere deberet, nempe ab illo ente cuius essentia esset pura actualitas secundum omnem purissimam perfectionem, nempe ipsum esse subsistens.

3° *Ens a se* est ens quod existit vi essentiae suae, nempe est ens cuius essentia est esse. Atqui ens, cuius essentia est esse, est ipsum esse subsistens. Ergo prima causa non causata est ipsum esse subsistens.

c) Deus est ens necessarium, ut demonstravimus n. 20. Atqui ens necessarium est ipsum esse subsistens. Etenim *character* entis contingentis est *determinabilitas ab extrinseco ad essendum;* cuius indigentiae ratio intrinseca est eius compositio ex actu et potentia. Ergo ens per se necessarium habere debet characteres prorsus oppositos. Ergo esse debet immune a qualibet compositione tum physica tum metaphysica. Porro huiusmodi tantum esse potest ipsum esse subsistens. Ergo ens necessarium est ipsum esse subsistens.

Confirmatur. Illud ens est ipsum esse subsistens, cuius essentia est purum esse. Atqui huiusmodi est ens per se necessarium. Ergo. *Prob. min.* Ens per se necessarium est ens, de cuius essentia est esse. Iamvero nihil dici potest de essentia alicuius, nisi vel ipsa essentia, vel proprietates dimanentes ab essentia. Atqui impossibile est ut esse seu existere sit proprietas dimanans ab essentia: nam nihil potest quidquam quomodocumque causare, nisi saltem naturâ prius existat. Ergo *esse* est ipsa essentia entis per se necessarii.

d) Deus est causa omnis esse et omnis perfectionis. Atqui quod est huiusmodi est ipsum esse subsistens. Ergo Deus est ipsum esse subsistens. *Maior* et *minor* demonstratae sunt in Thesi 7ª.

34. **Corollarium 1.** *In Deo non est compositio logica ex genere et differentia.* Quum enim haec compositio fundetur in compositione reali ex potentia et actu (ut in Logica n. 188. demonstravimus), impossibile est ut in eo ente, quod in omni ordine est actus ab omni potentialitate immunis, talis compositio detur. Atqui huiusmodi esse Deum, qui est ipsum esse subsistens, pluries ostendimus. Ergo (1). Propter oppositam rationem in angelis, in quibus datur compositio metaphysica ex essentia et esse, datur etiam compositio logica ex genere et differentia.

Corollarium 2. *Deus non est ens corporeum.* Etenim ens corporeum seu corpus est ens mobile, divisibile, infimum in ordine entium, quia, quatenus corpus, caret etiam infimo gradu vitae. Atqui Deus est primus motor immobilis, est actus purissimus subsistens, est infinita perfectio subsistens, ut supra demonstravimus. Ergo Deus non est corpus (S. Thomas, l. c. a. 1.) Nec Deus est substantia utcumque composita ex materia et forma. Talis enim substantia, etiamsi vivens, sentiens, vel rationalis, est composita tum physica tum metaphysica compositione, et multipliciter mutabilis, quae omnia repugnant actui purissimo (2).

Dices. Materia est principium individuationis. Sed Essentia Divina est singularis. Ergo Essentia Divina est materialis.

Resp. *Dist. mai.* Materia est principium individuationis omnium entium, *Nego*, entium corporeorum et formarum receptibilium in materia, *Subdist.* Materia signata, *Conc.*, materia communis, *Nego. Conc. min. Nego conseq.*

---

(1) Cfr. 1. p. q. 3. a. 5.
(2) Cfr. 1. p. q. 3. aa. 1. 2.

THESIS X.

Deus est sua Deitas, nempe in Deo suppositum et natura realiter identificantur.

PROBATUR.

35. In eo ente natura differt a supposito denominative dicto, in quo principia individualia faciunt additionem naturae, utpote ipsi extrinseca, quum non sint de eius ratione; sicuti contingit in entibus, quae individuantur per materiam signatam (cfr. Cosmol. n. 63.). Quod si natura sit forma creata per se subsistens, quae est per seipsam individuata, sicut unusquisque angelus, natura non differt a supposito denominative sumpto. Attamen quum suppositum formaliter sumptum includat ipsum actum essendi; datur etiam in formis creatis per se subsistentibus, atque completis in linea essentiae, distinctio realis inter suppositum formaliter sumptum et naturam propter additionem τοῦ esse existentiae, quod non est de ratione ullius naturae creatae. Iamvero in Deo nulla habetur compositio, neque ex materia et forma, quia Essentia Divina est perfectissima forma per se subsistens; neque ex essentia et existentia, quia Deus, quum sit ens necessarium, immutabile et perfectissimum, est ipsum esse subsistens. Ergo in Deo natura et suppositum quoad rem prorsus identificantur (1).

OBIECTIONES.

36. **Obiect. 1.ª** Nihil est in seipso. Sed essentia vel natura Dei, quae est Deitas, dicitur esse in Deo. Ergo in Deo realiter distinguitur natura a supposito.

Resp. *Dist. mai. Proprie* loquendo, *Conc., improprie* loquendo, quatenus nempe aliquid dicitur esse in seipso utpote sibi ipsi identificatum, *Nego. Contrad. min. Nego conseq.* (cfr. S. Th. l. c. art. 3. ad 1um).

Obiect. 2ª. Effectus assimilatur suae causae. Sed in rebus creatis non est idem suppositum, quod sua natura; non enim idem est homo, quod sua humanitas. Ergo nec Deus est idem, quod sua Deitas.

Resp. *Dist. mai.* Effectus assimilatur suae causae, vel perfecte, vel deficienter, prouti adaequat, vel non adaequat virtutem causae, *Conc.*, semper perfecte, *Nego. Conc. min. Nego conseq.*, quia creaturae, quum non adaequent virtutem Causae Primae, deficienter eam imitantur (cfr. S. Th. l. c. ad 2um).

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 3. art. 3. et 4.

THESIS XI.

Deus non est in aliquo genere.

PROBATUR.

37. I. Quum Deus sit ipsum esse subsistens, in tantum Deus esset in aliquo genere, in quantum transcendentalis ratio entis esset generica. Atqui ratio entis non est generica. Ergo Deus non est in aliquo genere. *Maior est evidens.* Nam unica ratio communis sub cuius extensione cadere possit quidditas illius entis, cuius essentia est esse, est transcendentalis ratio entis; quam rationem esse analogicam analogia proportionalitatis propriae, demonstravimus in Philosophia Prima Thesi 8. *Minor*, quae constat ex demonstratis in Phil. Prim. Thes. 7., paucis ita probatur. De ratione generis est, ut sit aliquid perfectibile seu determinabile per aliquam differentiam positam extra rationem ipsius: atqui nulla potest dari differentia extra rationem entis, per quam ens determinetur; quidquid enim non est nihil, est ens: ens autem non potest determinari per non ens. Ergo ens non potest esse genus. Cfr. S. Th. C. G. Lib. 1. c. 25. « Si ens esset genus etc. ».

II. Quidquid est in genere, addit aliquid supra genus, puta differentiam specificam, et ideo est essentialiter compositum. Sed Deus est summe simplex. Ergo Deus non est in genere.

III. Omne quod est in genere habet quidditatem differentem ab esse. Atqui Deus est actus purissimus seu ipsum esse subsistens. Ergo Deus non est in genere. Et re quidem vera, ratio generice communis, quae praedicatur de entibus, quae subsistunt in aliquo genere, est quidditas a pluribus participabilis. Sed quidditas, a pluribus participabilis, nequit esse actus purus in ipso ordine essendi, quia actus non multiplicatur nisi ratione potentiae subiectivae, et ideo, si talis quidditas non est composita ex materia et forma, se habere debet ad existentiam ut potentia ad actum, secus non posset esse neque limitata, neque multiplicabilis, sicuti demonstravimus in Phil. Prim. Th. 20. Ergo omne quod est in genere habet quidditatem differentem ab esse.

IV. Quidquid est in genere habet esse suum et suam perfectionem determinatam ad illud genus. Sed Divinum Esse comprehendit eminenter nobilitates et perfectiones omnium generum (sicut in Th. 7. demonstravimus). Ergo Deus ad nullum genus determinatur.

38. **Nota.** Nomen *substantia* potest accipi vel stricto, vel lato sensu. Si late accipiatur pro qualibet essentia per se existente, etsi id ei

competat per identitatem cum suo esse, poterit nomen *substantia* (quod in hoc sensu *analogicum* esset analogia proportionalitatis propriae) praedicari etiam de Divina Essentia. Item si Deus appelletur *substantia*, quatenus habet in se eminenter, exemplariter et efficienter, quidquid perfectionis est in substantia, poterit Deus vocari substantia, principium substantiae, mensura substantiae, atque dici poterit esse *per reductionem* in genere substantiae, accipiendo vocabula *reductio* et *reductive* lato sensu: nam haec vocabula stricto sensu conveniunt differentiae specificae, vel mensurae stricte dictae, ex. gr. quando rationalitas dicitur esse reductive in genere substantiae corporeae, vel unitas numerica esse reductive in genere quantitatis.

« Ad tertium dicendum, quod mensura proprie dicitur in quantita« tibus: dicitur enim mensura illud per quod innotescit quantitas rei, « et hoc est minimum in genere quantitatis, vel simpliciter ut in nu« meris, qui mensurantur unitate (praedicamentali) quae est minima « simpliciter: aut minimum secundum positionem nostram, sicut in « continuis, in quibus non est minimum simpliciter: unde ponimus « palmum loco minimi ad mensurandum pannos, vel stadium ad men« surandam viam. Exinde transumptum est nomen mensurae ad omnia « genera, ut illud quod est primum in quolibet genere et simplicissi« mum et perfectissimum dicatur mensura omnium, quae sunt in ge« nere illo (accipiendo *genus* latissime pro quacumque ratione perfe« ctionis); eo quod unumquodque cognoscitur habere de veritate generis « plus et minus secundum quod magis accedit ad ipsum vel recedit, ut « album in genere colorum. Ita etiam in genere substantiae illud, « quod habet esse perfectissimum, dicitur mensura omnium substan« tiarum, sicut Deus ».

« Unde non oportet quod sit in genere substantiae sicut contentum, « sed solum sicut principium, habens in se omnem perfectionem generis « sicut unitas in numeris, sed diversimode; quia unitate non mensu« rantur nisi numeri; sed Deus est mensura non tantum substantialium « perfectionum, sed omnium, quae sunt in omnibus generibus, sicut « sapientiae, virtutis et huiusmodi. Et ideo quamvis unitas contineatur « in uno genere determinato, sicut principium, non tamen Deus » (1).

---

(1) S. Th. 1. Sent. Dist. 8. q. 4. a. 2.

THESIS XII.

In Deo non est compositio ex subiecto et accidentibus (1).

DEMONSTRATUR.

39. I. Subiectum se habet ad accidens, ut potentia ad actum: accidens facit realem additionem subiecto, cui inest. Atqui haec duo repugnant Deo, qui est purissimus actus subsistens. Ergo in Deo non est compositio ex substantia et accidente.

II. Insuper *a)* ens per accidens praesupponit ens per se; *b)* accidentia propria, quae *causalitate resultantiae* procedunt a principiis intrinsece constitutivis subiecti, supponunt causam extrinsecam subiecto, a qua procedant *causalitate efficientiae.* Atqui haec duo repugnant Deo, qui est primum ens et prima causa. Ergo in Deo non est compositio ex subiecto et accidentibus.

(1) 1. p. q. 3. a. 6.

THEOLOGIA NATURALIS

PARS TERTIA
DE DIVINIS ATTRIBUTIS

QUAESTIO IV.

DE DISTINCTIONE ATTRIBUTORUM DEI.

PRAENOTIONES.

40. I. **De vario modo quo perfectiones simplices et mixtae praedicantur de Deo.** Quidquid in creaturis rationem habet perfectionis, praedicatur de Deo, sed diversimode. Nam *perfectiones simplices* praedicantur de Deo eminenter formaliter, eo quod in sua formali ratione dicunt puram perfectionem. *Perfectiones* autem *mixtae* praedicantur de Deo *eminenter virtualiter*, eo quod in sua formali ratione includunt imperfectionem idest limitationem seu potentialitatem, quae nullo modo competere potest Deo.

Ideo perfectiones *simplices* praedicari possunt de Deo (sive abstracte sive concrete) tum in recto, tum in obliquo: ex. gr. dicere possum: *Deus est bonitas, Deus est bonus, Deus habet bonitatem;* perfectiones autem *mixtae* de Deo praedicari tantum in obliquo possunt: ex. gr. nequeo dicere Deus est rationalitas aut est rationalis: sed Deus habet eminenter quidquid perfectionis est in rationalitate.

II. **Conceptus et nomina Divinarum Perfectionum.** Declarare iuvabit qua ratione indigemus multiplicitate conceptuum et nominum ad concipiendas et significandas cum veritate divinas perfectiones, quae a parte rei sunt unica simplicissima Divina Essentia. Itaque quum intellectus noster nequeat Divinam Essentiam comprehendere, immo absque lumine gloriae ne immediate quidem intueri, ut demonstravimus (Quaest. I. Th. 1[a]); necesse habet plures conceptus efformare ad aliqualiter intelligendam Essentiam Divinam, quae sua perfectione superat unamquamque conceptionem nostri intellectus et cuiuscumque intellectus creati vel creabilis. Et ideo pluralitati istarum conceptionum respondet aliquid in Deo, non quidem *pluralitas rei,* sed *plena*

perfectio pluribus aequivalens, quae est ratio cur omnes istae conceptiones importent rationes ei convenientes. Quoniam vero *ratio quam significat nomen est conceptio intellectus de re significata per nomen;* pluralitati conceptionum, quas de simplicissima atque omnimoda perfectione Divina efformamus, respondent plura nomina; quae tamen non sunt synonima, quum unumquodque eorum significet imperfecte, deficienter et partialiter infinitam Divinam Perfectionem (1). Nec tamen haec multiplicitas nominum, conceptuum et propositionum, quae ex eis efformari possunt nos inducit in falsitatem. Nam a parte rei, nempe in Deo, datur id quod omnimoda sua perfectione verificat hos conceptus et haec iudicia. Intellectus autem noster ratiocinio corrigit eorum deficientiam. Conferatur hac de re pulcherrimus locus S. Thomae *In 1. Sent. Dist. 2. Quaest. 1. Art. 3. in corp.* Qui locus est omnino meditandus.

III. **Definitiones et divisiones quaedam Attributorum.** Ad intelligendos plures auctores, sive theologos sive philosophos, scias eos attributa divina dividere in attributa *stricte* et *late* sumpta.

1° Attributa *stricte* sumpta dicunt esse perfectiones intrinsecas et necessarias Deo, ut Deus est; quae attributa, ob nostrum imperfectum concipiendi modum, concipimus *quasi* proprietates consequentes Essentiam Divinam: quales sunt ex. gr. iustitia, sapientia, immensitas etc.

Quae attributa iterum dividunt in *affirmativa* et *negativa. Affirmativa* vocant ea, quorum conceptus formales important directe et explicite aliquid positivum in Deo, ut esse sapientem, iustum, etc. Et ideo ea vocant *formaliter intrinseca Deo. Negativa* autem vocant ea, quorum conceptus formales important directe et explicite aliquid negativum in Deo, nempe remotionem alicuius imperfectionis, ut esse *increatum, incomprehensibilem*, etc. Attamen quoniam attributa negativa fundantur in aliqua positiva perfectione, quam formaliter non exprimunt; *fundamentaliter* seu *radicaliter* intrinseca Deo dici possunt.

2° Attributa *late* sumpta vocant quaecumque aliquo modo de Deo praedicantur, quamvis non veniant in censu perfectionum, quae sunt intrinsecae et necessariae Deo, ut Deus est.

3° Tandem dividunt attributa in *relativa* et *absoluta*, prouti important vel non important habitudinem rationis ad creaturas.

IV. **De distinctione reali, rationis ratiocinantis, et rationis ratiocinatae.** *Distinctio* alia est *realis*, alia *rationis:* haec autem alia, est rationis *ratiocinantis*, alia rationis *ratiocinatae.*

1° **Distinctio realis** non solum est ea, quae intercedit inter

---

(1) Cfr. 1. p. q. 13. a. 4.

duas res subsistentes propriis subsistentiis ex. gr. inter Petrum et Ioannem: sed etiam est ea, quae independenter a qualibet consideratione nostri intellectus, intercedit inter duas aut plures realitates obiective diversas, quae simul concurrant ad aliquod ens compositum constituendum. Tales sunt potentia subiectiva et actus ei correspondens, sive primus, idest forma substantialis, sive secundus, idest forma accidentalis, sive ultimus, idest esse existentiae: similiter partes integrantes alicuius corporis quanti. Quae realitates sunt ab invicem distinctae realiter *adaequate,* a toto vero composito, quod constituunt, sunt singulae distinctae realiter *inadaequate.* Ex. gr. anima distinguitur realiter adaequate a materia, quam informat; realiter vero inadaequate ab integro homine. Similiter manus dextera distinguitur realiter adaequate a manu sinistra, realiter inadaequate ab integro corpore.

2⁰ **Distinctio rationis** est ea, quae sequitur operationem intellectus concipientis sub alia et alia ratione id quod a parte rei est *omnino unum et idem.* Haec autem distinctio dupliciter contingit:

a) **Distinctio rationis ratiocinantis.** Quum hae diversae rationes concipiendi unam et eamdem realitatem nullum habent in ea fundamentum suae diversitatis, eo quod vel una ratio se habeat ad aliam ut conceptus distinctus ad conceptum confusum eiusdem rei ex. gr. ratio *hominis* et ratio *animalis rationalis;* vel etiam quia duplici nomine eadem prorsus res designetur ex. gr. idem Marcus sub nomine Tullii et sub nomine Ciceronis: habebitur *distinctio rationis ratiocinantis.*

b) **Distinctio rationis ratiocinatae.** Quum hae diversae rationes sub quibus concipitur una eademque res simplex, habent fundamentum in re, quae licet *simplex,* tamen aequivalet multis realitatibus, quae in aliis entibus realiter distinctae inveniuntur aut inveniri possunt, habebitur *distinctio rationis ratiocinatae.*

Unde patet in distinctione *rationis ratiocinantis*, pluralitatem rationum esse tantum ex parte intellectus, in distinctione autem *rationis ratiocinatae*, pluralitatem rationum conceptarum, non solum esse ex parte intellectus, sed *aliquo modo* ex parte rei, in quantum haec *propter plenitudinem suae perfectionis* superat unamquamque conceptionem nostri intellectus. Et ideo pluralitati istarum rationum respondet aliquid in re, *non quidem pluralitatis rei,* sed *plena perfectio*, ex qua contingit ut omnes istae conceptiones, ei aptentur.

41. **Quaeres.** An distinctio logica inter genus et differentiam sit distinctio rationis ratiocinatae.

Resp. Distinctionem logicam *formaliter* acceptam esse distinctionem rationis ratiocinatae: *fundamentaliter* vero supponere *distinctionem realem.* Nam, ut supra diximus (n. 34.), fundamentum distinctionis

logicae non est res simplex, sed res composita ex potentia et actu. Iamvero ubicumque datur realis compositio ex potentia subiectiva et actu datur *realis distinctio*. Et ideo vocatur **distinctio rationis ratiocinatae maior.**

Contra, distinctiones perfectionum divinarum a Divina Essentia et ab invicem sunt *tum formaliter, tum fundamentaliter* distinctiones *rationis ratiocinatae*. Etenim earum fundamentum non est res composita, sed res infinite simplex simplicitate importante plenitudinem omnimodae perfectionis. Et ideo harum distinctio vocatur **distinctio rationis ratiocinatae minor.**

Qua autem ratione **distinctio rationis ratiocinatae maior** intercedat inter Divinam Essentiam et Divinas Relationes, ad intra invicem oppositas, quibus constituuntur tres Divinae Personae, secundum id quod Fides docet de Sanctissima Trinitate; dicitur in Theologia Supernaturali. Cfr. S. Thom. 1. p. q. 28. a. 2. et Billot, *De Deo Trino*, Thes. 7.

Argumentum reducitur ad hoc, quod formalis ratio relationum, quum importet *esse ad*, secus ac formalis ratio perfectionum absolutarum, non potest converti cum formali ratione Divinae Essentiae, quae importat *aliquid absolutum*. Licet eaedem relationes ratione τοῦ *esse in*, propter quod sunt reales, prorsus identificentur cum Divina Essentia, quae est ipsum esse subsistens.

THESIS XIII.

Perfectiones divinae non distinguuntur realiter *a)* neque a Divina Essentia, *b)* neque ab invicem.

PROBATUR.

42. *Quoad 1um. a)* Distinctio realis est ea, quae intercedit vel inter res subsistentes distinctas, vel inter realitates obiective diversas, quae simul conveniant ad aliquod ens compositum constituendum. Atqui perfectiones divinae non sunt res subsistentes a Divina Essentia distinctae: quidquid enim in Deo est, non subsistit per aliud esse, quam per simplicissimum divinum Esse (1); neque sunt realitates obiective diversae, quae simul conveniant ad constituendum ens aliquod compositum: quia Divina Essentia est actus purissimus, et ideo simplicissimus. Ergo perfectiones divinae non distinguuntur realiter a Divina Essentia.

b) Quando perfectiones distinguuntur realiter ab essentia, haec

(1) 1. p. q. 40. a. 2. ad 2.

se habet ad illas, ut potentia ad actum. Atqui Divina Essentia est ipsum esse subsistens quod nequit se habere ut potentia ad ullum actum (cfr. Ontol. n. 84.). Ergo impossibile est, ut perfectiones divinae realiter a Divina Essentia distinguantur.

c) Esse in tota sua plenitudine est plenitudo omnis perfectionis. Sed si aliqua perfectio realiter distingueretur ab esse in tota sua plenitudine subsistente, hoc iam non esset plenitudo omnis perfectionis. Ergo nulla perfectio realiter distinguitur a Divina Essentia, quae, quum sit ipsum esse subsistens, est esse in tota sua plenitudine.

Quoad 2um. a) Perfectiones, quarum apprehensa multiplicitas procedit ab imperfecto modo, quo concipimus unicam simplicissimam essentiam, quae eminenti plenitudine suae perfectionis pluribus aequivalet, nequeunt esse inter se a parte rei realiter distinctae. Atqui tales sunt perfectiones divinae, quas absolutas vocamus. Ergo hae perfectiones non distinguuntur realiter inter se. *Maior* est evidens. *Minor* constat ex demonstratione 1^{ae} Partis et ex praenotionibus. Ergo stat *consequentia.*

b) Perfectiones absolutae, ex. gr. bonitas, sapientia, vita etc. in supremo gradu acceptae, important singulae ipsum esse subsistens. Sed quidquid in suo supremo gradu importat ipsum esse subsistens, realiter identificatur in tali gradu cum quacumque alia perfectione, quae simpliciter importat in suo supremo gradu ipsum esse subsistens. Ergo divinae perfectiones absolutae realiter identificantur inter se. *Maior* constat ex dictis tum in Philosophia Prima Quest. VIII., tum saepe alibi, et ulterius constabit ex dicendis de singulis perfectionibus absolutis. *Minor* est evidens.

THESIS XIV.

Perfectiones divinae absolutae distinguuntur a Divina essentia et ab invicem distinctione rationis ratiocinatae.

PROBATUR.

43. Distinctio rationis ratiocinatae ea est, quae intercedit *inter plures rationes* ideo ab intellectu distinctas, quia a parte rei unica simplex rex, plenitudine suae perfectionis pluribus aequivalente, praebet intellectui *reale fundamentum* ad hanc multiplicitatem rationum concipiendam. Atqui id locum habet quoad multiplices rationes quas intellectus noster concipit de Essentia Divina eiusque perfectionibus absolutis. Ergo perfectiones divinae absolutae distinguuntur a Divina Essentia et ab invicem distinctione rationis ratiocinatae. *Maior* constat ex praenotionibus. *Minor* constat tum ex praenotionibus, tum ex praecedenti

Thesi. Et sane, *Essentia Divina* plenitudine suae perfectionis ita aequivalet variis perfectionibus, quas ei intellectus noster attribuit, ut verificet hos conceptus et eminenter excedat. Similiter *unaquaeque perfectio pura* talis est, ut, quum importet actum absque ullius potentialitatis admixtione, idest actum purum in ipso ordine essendi, nullam a se perfectionem excludat; et ideo a parte rei, ita verificat rationem, quam eius conceptus importat, ut non excludat a sua entitate *realitatem* caeterarum perfectionum quarum conceptus important *rationes a sua diversas* (1).

THESIS XV.

Distinctio Scotistica inter Essentiam et attributa divina, quam vocant formalem ex natura rei, quatenus importat aliquid medium inter distinctionem realem et distinctionem rationis ratiocinatae, aut inanis est aut falsa.

PRAENOTIONES.

44. Scotistae autumant attributa divina ab invicem et a Divina Essentia ita distingui, ut quamvis non sint alia et alia res, tamen prorsus independenter a nostro concipiendi modo sint formalitates *actualiter* ab invicem et a Divina Essentia distinctae, id postulante ipsa natura rei.

PROBATUR THESIS.

45. Una formalitas attributalis, quatenus ex natura rei est alia ab altera formalitate, vel a parte rei importat merum nihilum, vel aliquid extra nihilum. Si importat aliquid extra nihilum, id vel est ipsa realitas Divinae Essentiae perfectione sua simplicissima aequipollens pluribus formalitatibus, vel est alia realitas a realitate Divinae Essentiae. Atqui *primum* dici nequit, quia merum nihilum non potest esse formalitas alicuius perfectionis; tertium pariter repugnat, quia realitas actualiter distincta a Divina Essentia eam perficeret eique realiter adderetur: item realitas unius perfectionis actu distincta a realitate alterius perfectionis se mutuo complentes inducerent compositionem in Deo: quae omnia divinae simplicitati prorsus repugnant. Ergo remanet *secundum*, quod est ipsissima *distinctio rationis ratiocinatae*. Ergo distinctio Scotistica aut inanis est aut falsa.

---

(1) Cfr. S. Th. in I. Sent. Dist. 2. q. 1. a. 2.

OBIECTIONES.

46. **Obiect. 1ª.** Distinctio formalis ex natura rei in sensu Scotistico admittenda est, ubi inveniuntur duae vel plures formalitates habentes conceptus se mutuo excludentes. Atqui conceptus ex. gr. bonitatis et iustitiae se mutuo excludunt. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Si earum *conceptus adaequati* se mutuo excluderent, *Transeat* (dico *transeat* quia tunc haberemus distinctionem *realem*). — Si earum *conceptus inadaequati* se mutuo excluderent, *Subdist.* Si se excluderent *positive*, *Conc.*, si se excluderent *praecisive*, *Nego. Contrad. min. Nego conseq.* Quamvis ratio bonitatis non sit ratio iustitiae, tamen non sunt inter se oppositae. In tantum autem in suis conceptibus inadaequatis *praecisive* excluduntur, in quantum in omnibus creaturis a quibus conceptus desumimus, hae rationes, cum sint accidentales imperfectae, *realiter* distingui debent.

Obiect. 2ª. Quae definitionibus distinguuntur, ante operationem intellectus distinguuntur. Nam quae definitionibus distinguuntur, distinguantur essentiis necesse est, cum definitiones explicent rerum essentias. Atqui singulae perfectiones divinae definitionibus distinguuntur. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Ea quae distinguuntur *definitionibus adaequatis*, distinguuntur ante operationem intellectus et quidem *realiter, Conc.*, quae distinguuntur *definitionibus inadaequatis* et *praecisivis*, *Subdist.* Distinguuntur distinctione *mere virtuali*, eo quod una res simplex fundamentum praebeat definitioni *praecisivae, Conc.*, *distinctione actuali* sive eam voces realem sive formalem ex natura rei, *iterum subdist. per accidens, Conc., per se, Nego. Dist. rat. addit.* Quae distinguuntur definitionibus *adaequatis*, distinguuntur essentiis, *Conc.,* quae distinguuntur definitionibus *inadaequatis* et *praecisivis*, *Subdist.* Distinguuntur essentiis *virtualiter*, quatenus unica essentia vel forma perfectione sua aequipolleat pluribus essentiis seu formis actualiter distinctis, *Conc.*, distinguuntur essentiis *actualiter* distinctis, *Nego. Contrad. min. Nego conseq.*

Definitiones aliae sunt adaequatae, nempe explicantes per genus et differentiam totam aliquam essentiam concrete secundum quod est a parte rei, ut cum definitur homo *animal rationale:* aliae inadaequatae, praecisive explicantes rationes perfectionis essentialis praecisas per intellectum ut essent definitiones animalitatis, rationalitatis, angeleitatis respectu michaëleitatis etc. Definita quae prioribus definitionibus differunt, distinguuntur actu non tantum formaliter, sed etiam realiter.

Definita autem, quae differunt tantum posterioribus definitionibus, quamvis *per accidens* contingere possit, ut distinguantur etiam a parte rei, tamen *per se* non est necesse ut a parte rei *actu* distinguantur, sed sufficit ut distinguantur *virtualiter;* una enim definitio inadaequata explicat quid aliquid sit prout aequipollet uni rationi, et alia definitio inadaequata explicat quid sit illud idem prout aequipollet alteri. Unde potest una eademque perfectio a parte rei habere propter suam virtualem multiplicitatem varias et distinctas definitiones secundum varias aequipollentias. Sic ex. gr. ex eo quod homini competant definitiones animalis, viventis, corporis, *ut definitiones inadaequatae;* non requiritur rationes animalis, viventis, vel corporis distingui realiter ab invicem vel ab homine, sed tantum *ratione ratiocinata.* Insuper perfectiones simplices, quum non sint sub ullo genere, non habent proprie dictas definitiones.

Instabis. Omnes definitiones dantur de rebus prout sunt in seipsis, secus non exprimerent essentiam rei definitae. Ergo a parte rei dantur in Deo formalitates distinctae respondentes singularum perfectionum definitionibus.

Resp. Definitiones dantur de rebus prout sunt in seipsis, hoc sensu, quod per definitiones nihil tribuimus rebus, quod in se non habent, *Conc.*, hoc sensu, quod per definitionem exprimamus totum id, quod res habet in se, *Subd.* Si definitio sit adaequata, *Conc.*, si sit inadaequata et praecisiva, *Nego.*

Obiect. 3ª. Ea de quibus verificantur praedicata contradictoria debent actu distingui plus quam sola distinctione rationis. Atqui de attributis divinis verificantur praedicata contradictoria; dicimus enim ex. gr. iustitia punit, misericordia non punit. Ergo attributa divina distinguuntur ab invicem *plus quam ratione ratiocinata.*

Resp. *Dist. mai.* Si praedicata contradictoria verificantur de eis *intrinsece sumptis, Conc.*, si verificantur de eis *sub actuali connotatione termini extrinseci* ad quem referuntur, *Subd.* Requiritur distinctio *virtualis* idest rationis ratiocinatae, *Conc.* requiritur distinctio *actualis, Nego. Contrad. min.* De iustitia et misericordia verificantur praedicata contradictoria, quatenus sunt *in seipsis entitative* et *intrinsece, Nego,* quatenus considerantur *sub connotatione termini extrinseci,* ad quem referuntur, *Conc.* et *Nego conseq.*

QUAESTIO V.

DE CONSTITUTIVO METAPHYSICO DEI.

THESIS XVI.

Constitutivum metaphysicum Essentiae Divinae, iuxta nostrum concipiendi modum, reponendum est in eo, quod Deus est ipsum esse subsistens.

PRAENOTANDUM.

47. **Constitutivum methaphysicum** Essentiae Divinae vocant communiter philosophi et theologi *rationem illam* perfectionis divinae, secundum quam iuxta nostrum concipiendi modum constituitur, id, quod Deus est, *proprie*, *secundum se, positive* et *primo* seu *substantive,* et ex qua caeterae omnes Divinae perfectiones tamquam ex radice dimanare concipiuntur ad modum proprietatum seu attributorum. Quare 1° exhibere debet nostro conceptui *notas affirmativas* seu *positivas*, secundum quas distinguere valeamus Deum ab omni alio ente; 2° hae notae positivae debent esse huiusmodi, ut perfectio, quam repraesentant, concipiatur habere quasi *prioritatem in essendo* prae caeteris divinis perfectionibus.

PROBATUR THESIS.

48. Deus est ens cuius essentia est idem cum ipso esse, ut superius demonstravimus. Atqui in ente, cuius essentia identificatur cum ipso esse, nulla perfectionis ratio concipi potest ut constitutiva eius *proprie* et *secundum se positive* et *primo*, nisi ratio importans *ipsum esse subsistens.* Ergo in hac ratione constitutivum metaphysicum Divinae Essentiae reponendum est.

Et sane, omnis ratio perfectionis, quae concipi potest in ente, *cuius essentia identificatur cum ipso esse*, vel concipitur ut communis ipsi et caeteris entibus, quae non sunt *ipsum esse*, *sed participant esse*, vel concipitur ut exclusive propria eius. Si primum, impossibile est, ut huiusmodi ratio sit constitutivum methaphysicum eius, quia non distinguit illud ab omnibus aliis, quae non sunt ipsum. Si secundum, idest si ratio aliqua seligitur ex iis, quae concipiuntur esse exclusive propriae eius, vel est ratio *negativa* vel *positiva*. Si est negativa, ex. gr.

infinitas, aseitas, immensitas etc., nondum sufficit ad exhibendum constitutivum methaphysicum eius, quia per huiusmodi rationes non exhibetur *positive* quid Deus sit, sed *negative* romovetur ab eo aliqua imperfectio. Si autem est aliqua ratio positiva, haec vel est *absoluta* vel *relativa* ad creaturas. Si est relativa, ut Creatoris, Domini, Provisoris, non exhibet nostro conceptui perfectionem, quasi habentem prae caeteris prioritatem in essendo. Si autem sit absoluta; haec vel in sua formali ratione exhibet ipsam plenitudinem essendi subsistentem, vel aliquem transcendentalem modum eius (ut bonitas subsistens) vel aliam virtualem aequipollentiam eius (ut intellectus subsistens, voluntas subsistens etc.). Atqui tum transcendentalis modus, tum virtualis aequipollentia fundantur in ipsa subsistente plenitudine essendi et iuxta nostrum concipiendi modum ab ea comprehenduntur ab eaque resultant. Haec autem est positivum et primum fundamentum atque eminens ratio omnium. Ergo in ipsa subsistente plenitudine essendi nempe *in eo, quod Deus est ipsum esse subsistens*, reponendum est id per *quod proprie, secundum se, positive et primo constituitur* id quod Deus est. Ergo constitutivum metaphysicum Divinae Essentiae est *ipsum esse subsistens.*

Corollarium. Nomen *qui est,* est maxime proprium nomen Dei (1).

OBIECTIONES.

49. **Obiect. 1ª.** In ea perfectione reponendum est constitutivum metaphysicum Dei, per cuius participationem habetur in creatura perfectior similitudo Dei. Atqui per intellectivitatem habetur in creatura perfectior similitudo Dei. Ergo in intellectivitate reponendum est constitutivum metaphysicum Dei.

Resp. *Dist. mai.* Si conceptus huiús perfectionis in sua formalitate importaret totum id quod importat in formalitate sua conceptus *ipsius esse subsistentis*, *Conc.*, secus, *Nego. Contrad. min.* Intellectivitas in sua formali ratione importat tantum unam ex multis aequipollentiis *ipsius esse per se subsistentis, Conc.*, importat totum id quod importat formalis ratio *ipsius esse per se subsistentis, Nego* et *nego cons.*

Instabis. Si in ratione ipsius esse reponitur constitutivum metaphysicum Dei, sequeretur creaturas quae habent tantum esse, nempe res inanimatas referre expressius prae caeteris Essentiam Divinam. Atqui hoc est manifeste falsum. Ergo.

---

(1) Cfr. 1. p. q. 13. a. 11. et I. Sent. Dist. 8. q. 1. aa. 1. 3.

Resp. *Dist. mai.* Si reponeretur in ratione ipsius esse participati in infimo gradu, *Conc.*, si reponitur in ratione ipsius esse nullatenus participati neque participabilis, sed absolute et simpliciter subsistentis, *Nego. Conc. min.* et *nego conseq.* Sicut saepe demonstravimus, quanto aliqua creatura est perfectior, tanto magis participat *esse.* Esse autem in ulteriori gradu participatum est eminentius, quam esse in inferiori gradu participatum. Cur autem ea quae participant esse in infimo gradu dicantur habere tantum esse; ea vero, quae participant esse in ulteriori gradu ex. gr. viventia dicantur habere esse et vivere; id fit ad distinguendos varios gradus participandi esse. In communi etiam more loquendi homines adhibent aliquando nomen genericum ex. gr. nomen *animal,* ad designandum exclusive aliquam infimam aut vilissimam speciem brutorum (1).

Obiect. 2ª. In ea ratione reponendum est constitutivum metaphysicum Dei, quae nobis exhibet characterem Divinitatis proprium. Atqui *Aseitas*, idest independentia in existendo exhibet nobis characterem proprium Divinitatis. Ergo in *aseitate* reponendum est constitutivum metaphysicum Dei.

Resp. *Dist. mai.* In ea ratione quae *proxime*, *formaliter* et *positive* exhibet nobis characterem proprium Divinitatis, *Conc.*, quae eum exhibet *remote* et *negative*, *Nego. Contrad. min.* et *nego conseq. Aseitas*, idest independentia ab alio in existendo, non exhibet nobis formalem et positivam rationem essentiae entis, quod existit independenter ab alio, sed praesupponit in tali ente hanc rationem, *tamquam radicem* independentiae eius in essendo. Nam factum existendi independenter ab alio concipitur a nobis tamquam consequens eam rationem positivam perfectionis substantialis, quae exigit eius independentiam in essendo. Quod si nomine *aseitatis* quidam philosophi intelligere malint hanc ipsam positivam rationem perfectionis substantialis, quam *aseitatem radicalem* vocant, eo quod ex ea tamquam ex radice exsurgit independentia in essendo, concedimus eam esse constitutivum metaphysicum Dei, sed *adhuc indeterminatum.* In praesenti enim quaestione inquirunt philosophi et theologi, quaenam *determinate* ex positivis perfectionibus, quas concipimus competere Deo, sit ea, quae exhibet characteres proprios constitutivi metaphysici Divinae Essentiae.

Instabis. Ex conceptu *aseitatis* nos eruimus caeteras divinas perfectiones. Ergo in *aseitate* reponendum est constitutivum metaphysicum Dei.

---

(1) Cfr. 1. 2. q. 2. a. 5. ad 2. qq. dd. de Pot. q. 7. a. 2. ad 9.

Resp. *Trans. antec. Nego. conseq.* Nam ad hoc ut aliqua perfectio habeatur tamquam constitutivum metaphysicum Dei non sufficit, ut in ordine cognitionis nostrae sit prima, ad quam ratiocinando devenimus, et ex qua alias deducimus; sed requiritur ut concipiatur a nobis tamquam id, quod *a parte rei, proprie, secundum se, positive et primo* seu *substantive* constituit Divinam Essentiam.

Obiect. 3ª *infinitas* importat plenitudinem omnis perfectionis. Ergo in *infinitate* Dei est eius constitutivum metaphysicum.

Resp. *Dist. antec.* Si *infinitas* accipiatur *formaliter, Nego*, quia est notio mere negativa. Si accipiatur *radicaliter, Subd.* Conceptu *indeterminato, Conc.*, conceptu *determinato* alicuius positivae perfectionis, *Nego*, et *nego conseq.* Revocentur in mentem ea quae supra diximus de *aseitate radicali.*

Obiect. 4ª. Nullius entis contingentis constitutivum metaphysicum reponitur in suo esse. Ergo neque constitutivum metaphysicum Dei reponi potest in suo esse. *Prob. sequel. et parit.* Esse uniuscuiusque entis contingentis est ei maxime intrinsecum et est actualitas omnium perfectionum eius. Similiter esse Dei est ei maxime intrinsecum et est actualitas omnium perfectionum eius. Si ergo esse creaturae nequit esse constitutivum metaphysicum eius, eo quod eius conceptus non exhibeat determinate perfectiones creaturae; a pari esse Divinum nequit esse constitutivum metaphysicum Dei.

Resp. *Conc. antec. Nego conseq. Ad probationem Dist. antec.* Similitudo quae intercedit inter esse creaturae et eius essentiam, atque inter Divinum esse et Divinam Essentiam est similitudo analogiae, *Conc.*, est similitudo aequalitatis, *Nego.* Nam esse creaturae se habet ad essentiam eiusdem ut actus ad potentiam, et quidem ad modum accidentis praedicabilis ad essentiam completam in linea essentiae (cfr. Philos. Prim. Thes. 24.). Et ideo impossibile est, ut esse creaturae exhibeat eius notas sive genericas sive specificas. Contra esse Divinum est perfectissime identificatum cum Divina Essentia, quae, quum sit actus purissimus, idest ipsum esse subsistens, *per puritatem sui esse* constituitur adaequate in seipsa et distinguitur ab omni alio ente.

Instabis. Si purum seu absolutum *esse* esset constitutivum metaphysicum Dei, *esse divinum* esset esse commune. Atqui hoc dici nequit. Ergo. *Prob. mai.* Esse purum est esse cui nulla fit additio. Atqui esse cui nulla fit additio est esse commune. Ergo si esse purum esset constitutivum Dei, esse Divinum esset esse commune.

Resp. *Nego sequel. mai. Ad prob. Dist.* Esse purum est esse cui nulla fit additio, quatenus *positive* excludit omnem additionem, *Conc.*, quatenus praescindit ab additione sive praecisione simpliciter dicta,

sive praecisione secundum quid, *Nego. Contrad. min.* Esse commune est esse cui nulla fit additio, quatenus *positive* excludat omnem additionem, *Nego*, quatenus praecisione secundum quid dicta *praescindit* ab omni additione, quum se habeat ad modum totius potentialis, *Conc. Nego conseq.* Aliud est excludere additionem, aliud est praescindere ab additione. *Esse commune* non excludit additionem, sed praescindit ab ea. *Esse* autem *purum* additionem omnino excludit (1).

---

(1) Cfr. 1. p. q. 3. a. 4. ad 1.

QUAESTIO VI.

DE BONITATE, INFINITATE ET UNITATE DEI

THESIS XVII.

Deus est Summum Bonum, nempe est ipsa Bonitas subsistens.

PROBATUR.

50. *a)* Bonum dicitur ens quatenus perfectum. Sed Deus est ipsa perfectio subsistens, quum sit actus purissimus. Ergo Deus est ipsa Bonitas subsistens. *b)* Summum Bonum est id quod est in seipso et a seipso perfectissimum; quodque est causa perfectionis omnibus extra se. Atqui huiusmodi est prima causa non causata, nempe Deus. Ergo Deus est Summum Bonum. *Minor* probata est in Quaest. II. (1).

THESIS XVIII.

Nullum ens praeter Deum est bonum per essentiam, sive 1° agatur de bonitate simpliciter dicta, sive 2° agatur de bonitate secundum quid, quae obtinetur per esse substantiale (2).

PROBATUR.

51. *Quoad 1um. a)* Bonum simpliciter dictum importat ens ultimo perfectum. Sed nullum ens creatum est ultimo perfectum per suum esse substantiale, sed requiruntur plures perfectiones accidentales superadditae: Divina autem Essentia est ipsa perfectio infinita subsistens, quum sit ipsum esse subsistens. Ergo nullum ens praeter Deum est simpliciter bonum per essentiam suam.

b) Bonum simpliciter dictum per suam essentiam est tantum illud ens, cuius essentia non ordinatur ad aliud, tamquam ad finem, et ad quod tamquam ad finem omnia ordinantur. Sed sola Divina Essentia non ordinatur ad aliud tamquam ad finem, quum sit plenitudo essendi subsistens: caetera autem entia omnia ordinantur ad eam, tamquam ad finem, quum sit suprema et independens causa omnis perfectionis

(1) Cfr. 1. p. q. 6. aa. 1. 2. 3. et C. G. lib. 1. cc. 37. 38. 39.
(2) Recolatur Ontol. q. 7. *de Bono.*

participatae, in seipsa et per seipsam infinite perfecta. Ergo nullum ens praeter Deum est bonum simpliciter per essentiam suam.

Quoad 2um. Illud est per essentiam bonum bonitate prima seu substantiali, quod est per essentiam suam simpliciter seu primo ens, nam bonum et ens convertuntur. Sed solus Deus est simpliciter seu primo ens per essentiam suam, quia esse est eius essentia. Caetera autem entia sunt secundum ipsam eorum essentiam entia per participationem, quia eorum essentiae se habent ad esse ut potentia ad actum. Ergo nullum ens praeter Deum est bonum per essentiam suam, etiamsi agatur de bonitate secundum quid dicta, quae obtinetur per esse substantiale.

Dices. Ens est praedicatum essentiale omnium. Ergo omnia entia sunt bona per essentiam suam.

Resp. *Dist. antec.* Est praedicatum lato sensu essentiale, *Conc.*, stricto sensu essentiale, *Subdist.* Quatenus importat meram essentiam, *Conc.*, quatenus includit existentiam, *Nego*. Cfr. Phil. prim. Thes. 4.

THESIS XIX.

Omnia entia creata quamvis sint formaliter bona bonitatibus propriis sibi inhaerentibus, tamen extrinsece et causaliter, triplici ratione causalitatis, nempe exemplaris, efficientis et finalis sunt bona bonitate Divina (1).

PROBATUR.

52. *Quoad 1um*. Quodlibet ens creatum per suum esse substantiale est bonum secundum quid, per multiplex esse accidentale superadditum evadit bonum simpliciter. Atqui esse inhaeret formaliter ei, cuius est actus. Ergo omnia entia creata sunt formaliter bona bonitatibus sibi intrinsecis.

Quoad 2um. Creaturae in tantum sunt bonae, in quantum imitantur suo modo eam rationem Divinae Perfectionis secundum quam Deus ita est in se perfectus, ut sit etiam perfectivus aliorum extra se, quam perfectionis rationem quo magis imitantur, eo sunt meliores. Atqui in hac ratione perfecti et perfectivi consistit formalis ratio bonitatis. Ergo omnia sunt bona bonitate Divina *tamquam causa exemplari*.

Quoad 3um. a) In tantum Deus est suprema causa efficiens omnium rerum, quas a non esse ad esse adducit, in quantum est infinite per-

(1) 1. p. q. 6. a. 4. et C. G. lib. 3. c. 40.

fectus in se et perfectivus aliorum extra se. Atqui in hoc consistit formalis ratio bonitatis. Ergo omnia sunt bona bonitate Divina, *tamquam causa efficiente.*

b) Quod est maxime tale in aliquo genere perfectionis est causa omnium quae sunt illius generis, idest quae participant de illa perfectione (cfr. n. 22.). Atqui Deus est summum Bonum (ut in Thes. 17. demonstravimus). Ergo Deus est Bonitate sua *causa efficiens* omnis bonitatis participatae.

Quoad 4um. Causa finalis seu finis est id, cuius gratia aliquid fit. Atqui Deus amore bonitatis suae, quae est obiectum proportionatum divinae voluntatis, eam libere communicat creaturis: creaturae autem propter suum appetitum ad bonum eis conveniens, appetunt vel implicite vel explicite Bonitatem Divinam, vel in seipsa vel in eius similitudine participata. Ergo Bonitate Divina *tamquam causa finali* omnia sunt bona.

SCHOLIA.

53. I. **De Fine positive et fine negative dicto, deque modo quo divina Bonitas habet rationem finis relate ad diversa.** *Positive* dicitur *finis* relate ad aliquid id, ad quod hoc *proprie ordinatur* utpote realiter ab eo distinctum. Sic Bonitas Divina relate ad creaturas rationem habet finis *positive* dicti, quia ad eam creaturae *proprie ordinantur* tamquam ad aliquid realiter ab eis distinctum, et quidem tamquam ad supremum et necessarium finem. *Finis negative* relate ad aliquid dicitur id, ad quod hoc non ordinatur ordinatione proprie dicta, quia realiter identificatur cum eo. Sic Bonitas Divina relate ad Essentiam et Voluntatem Divinam rationem habet finis *negative* dicti, quia Essentia et Voluntas Divina, quum realiter identificentur cum Divina Bonitate, nequeunt proprie ordinari ad eam tanquam ad aliquid realiter ab ipsis distinctum. Et ideo Bonitas Divina nequit dici ullo modo *causa finalis* Essentiae vel Voluntatis Divinae, sed tantum *finis negative* aut *ratio cur* Voluntas Divina aliquid velit (1).

II. **Deus non propter desiderium finis sed propter amorem finis idest suae Bonitatis libere creaturis communicandae agit extra se.** *Propter desiderium finis* agit, qui aliquo bono indigens, agit ut illud assequatur. *Propter purum amorem finis* agit qui non propter finis indigentiam, sed propter eius amorem aliquid operatur. Hoc secundo modo operatur Deus extra se. Etenim Deus nullo bono

(1) Cfr. S. Th. C. G. lib. 1. cap. 86. 87.

indigens, quum sit Bonitas subsistens, propter Bonitatis suae amorem, hanc aliis libere communicat, secundum ordinem suae sapientiae et dispositionem suae Voluntatis (cfr. C. G. l. c.). Quae communicatio ita fit, ut simul *cedat in totam utilitatem eorum, quibus fit*, nempe creaturarum, et in extrinsecam manifestationem et gloriam Divinae Bonitatis; quia Deus nullo modo perficitur bonitate suarum creaturarum et ideo eorum bonis nullatenus indiget, neque utitur: creatura autem propter bonitatem sibi communicatam et secundum gradum quo participat de hac bonitate, tendit modo suo statui conveniente in Bonitatem Divinam, quae est ultimus omnium finis. Quae extrinseca glorificatio Divinae Bonitatis, quamvis nullam Deo intrinsecam utilitatem afferat, quia Deus est in se infinite perfectus, beatus et gloriosus, tamen ex suppositione creationis necessario intenditur a Divina Voluntate et semper adimpletur, quia Deus non potest non ordinare creaturas ad ultimum et absolutum finem, qui est Bonitas per se subsistens seu ipse Deus (1).

III. **Voluntas Beatorum immediate intuentium Divinam Essentiam, et infinite magis Voluntas Divina, omnia bona amant propter amorem Divinae Bonitatis.** Etenim eo modo est aliquid amabile quo est bonum. Quod est bonum per essentiam et ratione sui, est amabile per se et ratione sui: quod est bonum per participationem et ratione alterius est amabile per participationem et ratione alterius. Atqui solus Deus est bonus per essentiam et ratione sui, quum sit ipsa Bonitas subsistens; creaturae autem sunt bonae per participationem et ratione Divinae Bonitatis, ad quam necessarium ordinem dicunt (Cfr. C. G. Lib. 3. cap. 17.). Ergo necesse est, ut voluntas, quae immediate Divina Bonitate fruitur, amet creaturas propter Divinam Bonitatem, hanc autem propter seipsam.

Ex quo argumento apparet creaturas intellectuales, quae licet non immediate videant Deum, tamen quum vel per naturalem demonstrationem vel per revelationem fidei, eius attributa sufficienter cognoscere debeant, teneri ad amandam Divinam Bonitatem propter seipsam, se autem et caeteras creaturas propter divinam Bonitatem. Secus earum voluntas esset perversa, utpote male ordinata circa ultimum finem. Quae perversitas voluntatis invenitur in peccatoribus, quamvis non immobiliter. In damnatis autem invenitur etiam immobiliter.

IV. **Amor Dei erga creaturas est prorsus gratuitus,** quia nulla utilitas Deo inde provenit, magna autem creaturis. Quapropter distincto fine *in finem operis* et *finem operantis*, dicimus Deum, *si consideretur*

(1) Cfr. S. Th. 1 . p. q. 19. a. 6.

finis operantis, fecisse creaturam propter suam Divinam Bonitatem, *si vero consideretur finis operis*, fecisse creaturam propter ipsius creaturae utilitatem. S. Thomas (in 2. Sent. Dist. 1. q. 2. a. 1.) finem *operis* vocat id, quod terminat actionem agentis, ex. gr. aedificium relate ad aedificationem; *finem vero operantis* appellat id, quod ultimatim et principaliter agens intendit, quum sit potissima ratio, qua agens movetur ad operandum, quique necessario debet esse in ipso agente, saltem ut cognitum et desideratum vel amatum ex. gr. gloria vel commodum.

V. **Amor Dei erga creaturas causat in eis bonitatem ipsi intrinsecam, propter quam amabiles evadunt.** Quum enim ex una parte creaturae tantum habeant de bonitate, quantum habent de esse, ex alia parte Deus sua voluntate conferat eis totum esse, quod habent, sequitur Deum ita creaturas amare, ut eis, quidquid amabilitatis habent, conferat. « Cum amare nihil aliud sit (ait S. Thomas 1. p. q. 20. « a. 2.); quam velle bonum alicui, manifestum est quod Deus omnia, « quae sunt, amat, non tamen eo modo sicut nos, quia enim voluntas « nostra non est causa bonitatis rerum sed ab ea movetur sicut ab « obiecto: amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa « bonitatis ipsius; sed e converso bonitas eius, vel vera, vel aestimata, « provocat amorem, quo ei volumus et bonum conservari quod habet, « et addi quod non habet, et ut ad hoc operemur. Sed amor Dei est « infundens et creans bonitatem in rebus ».

VI. **Communicatio bonitatis Divinae creaturis ita fit voluntarie ut fiat etiam libere.** Nam voluntas necessitatur tantum ab obiecto intensive proprio, sine quo neque perfecte beata esset. Atqui nulla intrinseca perfectio nec beatitudinis argumentum accedit Divinae Voluntati ex communicatione suae bonitatis creaturis. Ergo haec fit prorsus libere (1).

VII. **Omnia appetunt suo modo Deum.** Nam uniuscuiusque bonum consistit in aliqua communicatione sibi facta Divinae Bonitatis. Unde unaquaeque creatura modo sibi proportionato tendit in recipiendam communicationem Divinae Bonitatis et in asservandum eam, quam recepit. Quae communicatio, quum fieri nequeat secundum ipsum esse Divinae Bonitatis, fit vel tantum secundum similitudinem participatam, nempe per formam inhaerentem creaturae, vel etiam (si id non repugnet naturae alicuius creaturae) fieri potest ex supernaturali dono secundum operationem immediate attingentem ipsam Divinam Essentiam. Qui sublimior communicationis modus est possi-

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 10. a. 3.

bilis pro creatura intellectiva, quae, quum sit capax cognoscendi et amandi explicite Deum, habet *potentiam obedientialem*, ut supernaturali dono elevetur ad recipiendam communicationem Divinae Bonitatis secundum operationem intellectus et voluntatis in fruitione Essentiae Divinae immediate visae. Ad quam communicationem in aeterna beatitudine recipiendam nos reapse liberalissimo Dei amore elevatos fuisse Fides docet. Pulcherrimam explicationem huius Scholii habes apud S. Thomam (in II. Sent. Dist. 1. q. 2. a. 2. corp.).

VIII. **Creatura intellectiva debet speciali modo tendere in Deum.** S. Thomas in qq. dd. De Verit. (q. 22. a. 2.) explicat cur et quomodo creatura intellectualis adhuc in statu viae, valeat non solum implicite sed etiam explicite appetere ipsum Summum Bonum, nempe Deum, et quomodo ad hoc ut sit recta nostra voluntas debeat *explicite* tendere in ipsum Deum vel *actualiter* vel *habitualiter:* « Sicut « Deus propter hoc, quod est primum efficiens, agit in omni agente, « ita propter hoc, quod est ultimus finis, appetitur in omni fine. Sed « hoc est appetere ipsum Deum *implicite*, sic enim virtus primae causae « est in secunda, ut principia in conclusionibus: resolvere autem con- « clusiones in principia, vel secundas causas in primas *est tantum* « *virtutis rationalis.* Unde sola rationalis natura potest secundarios « fines in ipsum Deum per quandam viam resolutionis inducere, ut « sic ipsum Deum explicite appetat. Et *sicut* in demonstrativis scien- « tiis *non recte sumitur conclusio* nisi per resolutionem in prima « principia, *ita* appetitus creaturae rationalis *non est rectus* nisi per « appetitum explicitum ipsius Dei, *actu*, vel *habitu* ».

THESIS XX.

Solus Deus est simpliciter infinitus in ratione actus (1).

PROBATUR.

54. Illud ens est simpliciter infinitum in ratione actus, quod habet perfectionem absque limitatione potentialitatis in omni ordine perfectionis. Atqui huiusmodi est tantum actus purissimus seu ipsum esse subsistens, nempe Deus. Ergo solus Deus est simpliciter infinitus in ratione actus. *Maior* constat ex Ontol. n. 91. *Minor* ex demostratis in quaestionibus 2. et 3. (2).

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 7.
(2) Cfr. qq. dd. de Pot. q. 1. a. 2. et in I. Sent. Dist. 44. q. 1. a. 1.

THESIS XXI.

Deus est unus; immo est maxime unus (1).

PROBATUR PRIMA PARS.

55. Haec pars, quae multiplici argumentorum genere probatur a S. Thoma l. c. et C. G. lib. 1. cap. 42. atqui in 1. Sent. Dist. 2. q. 1. a. 1., sic breviter ostenditur:

a) Deus est actus purissimus seu ipsum esse subsistens. Atqui ipsum esse subsistens est necessario unicum. Ergo Deus est unus. *Maior* constat ex QQ. II. et III, *Minor* ex Philos. Prim. n. 84. ubi demonstravimus *actum in aliquo ordine purum esse* in eodem ordine *necessario unicum.* Quum igitur ipsum esse subsistens sit actus purus in ordine essendi, est in eo necessario unicus.

b) Deus est infinita perfectio subsistens et ideo est ipsa plenitudo omnis perfectionis. Atqui si essent plures Dii, neuter esset ipsa plenitudo subsistens omnis perfectionis, quia perfectio unius deesset alteri, quum deberent differre ab invicem per aliquam distinctam realitatem. Ergo Deus est unus tantum.

c) Suppositum Divinum non distinguitur realiter a Divina Essentia, Deus enim est sua Deitas (cf. n. 35.). Atqui essentia entis, in quo suppositum ab ea non distinguitur, nequit numerice multiplicari. Ergo Essentia Divina est numerice immultiplicabilis. *Minor* sic paucis a S. Thoma probatur (2): « Illud unde aliquid singulare est *hoc aliquid* « nullo modo est multis communicabile. Illud enim unde Socrates est « homo, multis communicari potest, sed id unde est hic homo non « potest communicari nisi uni tantum. Si ergo Socrates per id esset « homo, per quod est hic homo, sicut non possunt esse plures Socrates, « ita non possent esse plures homines. Hoc autem convenit Deo. Nam « ipse Deus est sua natura, ut supra ostensum est (quaest. 3. art. 3.). « Secundum igitur idem est *Deus* et *hic Deus.* Impossibile est igitur « esse plures Deos ».

d) Demonstravimus in Quaest. II. Th. 8. ordinem in universo mundo relucentem procedere ab intelligentia infinita: distincta a mundo mundique creatrice. Atqui haec intelligentia est Deus. Ergo Deus est unus.

---

(1) 1. p. q. 11.
(2) 1. p. q. 11. a. 3.

PROBATUR SECUNDA PARS.

56. Illud ens est maxime unum quod est tum actu tum potentia indivisum in se et divisum a quolibet alio. Atqui huiusmodi est ipsum esse subsistens nempe Deus. Ergo Deus est maxime unus. *Maior* constat ex Ont. n. 63. *Minor* ex demonstratis in Quaest. III. « De Divina Simplicitate ». Hoc argumentum pulchre evolutum a S. Thoma invenies (in I. Sent. Dist. 24. q. 1. a. 1.). Ibidem et in locis supra citatis obiectiones propositas et solutas confer, ex quibus nonnullas subnectimus.

OBIECTIONES.

57. **Obiect. 1ª**. Unum quod convertitur cum ente importat privationem. Atqui privatio omnis est imperfectio, quae nequit competere Deo. Ergo unum quod convertitur cum ente non potest praedicari de Deo.

Resp. *Dist. mai.* Importat privationem improprie dictam, *Conc.*, proprie dictam, *Nego. Contrad. min.* et *nego conseq.* (Cfr. Phil. Prim. n. 58.)

Obiect. 2ª. Omne quod est unum est connumerabile alteri. Sed Deus non est connumerabilis ulli creaturae. Ergo Deus non est unus.

Resp. *Dist. mai.* Est connumerabile alteri vel univoce, vel analogice, *Conc.,* tantum univoce, *Nego. Contrad. min.* Deus non est connumerabilis creaturis connumeratione univoca, *Conc.,* connumeratione analogica, *Nego.*

Obiect. 3ª. *(Dualistarum).* Ab uno simplici non procedit nisi simplex. Sed Deus est omnino simplex. Ergo datur aliud supremum principium, a quo res compositae procedunt.

Resp. *Dist. mai.* Si ageret ex necessitate naturae et produceret effectum adaequantem eius virtutem, *Conc.*, si agit libere et producit effectum inadaequantem eius virtutem, *Nego. Conc. min.* et *Nego cons.* (1).

Obiect. 4ª. Omne agens agit sibi simile. Sed corpora corruptibilia non sunt similia Deo, qui est purissimus spiritus. Ergo non fuerunt causata a Deo, sed ab alio supremo principio.

Resp. *Dist. mai.* Agens agit sibi simile vel similitudine univoca vel analogica, *Conc.,* tantum similitudine univoca, *Nego. Contrad. min.* Corruptibilia non sunt perfecte similia Deo, *Conc.*, non sunt aliqualiter similia Deo similitudine analogica, *Nego.* « Dicendum quod Deus « licet sit spiritus, habet tamen in sua sapientia rationes corporum,

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Pot. q. 3. a. 6. ad 22.

« quibus corpora assimilantur per modum, quo artificiata artifici si-
« milantur quantum ad suam artem, nihilominus tamen corpora Deo
« similantur quantum ad eius naturam, in quantum sunt et bona sunt
« et unitatem aliquam habent ». (S. Th. l. c. ad 25.). In eodem articulo plures obiectiones invenies ponentium duplex supremum principium, unum bonorum, aliud malorum.

Obiect. 5ª. Principium determinatum alicuius generis non invenitur nisi in habentibus naturam illius generis: sicut anima non invenitur nisi in rebus viventibus. Sed unitas est in genere quantitatis sicut principium, sicut et punctum. Ergo quum quantitas non sit in Deo, videtur quod nec unitas.

Resp. *Conc. mai. dist. min.* Unitas stricte numerica seu praedicamentalis, *Conc.*, unitas transcendentalis, *Nego. Nego conseq.* Solutio patet ex dictis in Philosophia Prima n. 62.

QUAESTIO VII.

DE UBIQUITATE ET AETERNITATE DEI

THESIS XXII.

Deus est intime praesens omnibus rebus (1).

PRAENOTANDUM.

58. Duo in Thesi supponuntur, quae alibi demonstrantur: 1° res creatas a Deo immediate suum esse accipere et in suo esse ab eodem conservari *directe* et *immediate* (vide inferius Quaest. 12.); 2° quamcumque causam agentem debere esse simul *cum suo effectu proximo et immediato*, nempe debere ei coniugi non solum immediatione virtutis sed etiam immediatione suppositi; atque hoc sensu intelligunt Scholastici *actiones in distans repugnare* (Cfr. Cosmol. Th. 32.).

PROBATUR.

59. Effectus proximus et immediatus Dei est esse rerum, quae Dei operatione immediata indigent ut creentur, producantur et conserventur secundum totam realitatem quam habent. Atqui necesse est ut causa agens sit simul cum suo effectu proximo et immediato, immediatione suppositi et virtutis. Ergo Deus est intime praesens unicuique rei, quia esse uniuscuiusque rei est id quod est magis intimum cuilibet rei et quod profundius omnibus inest. *Minor* constat ex Cosmologia Th. 23. *Maior* supponitur ex Quaestionibus de creatione et conservatione rerum, quas inferius pertractabimus. Ergo stat consequentia (2).

60. **Corollaria**. I. *Deus est intime praesens etiam creaturis pure spiritualibus*, quas creavit, conservat et ad quarum operationes concurrit in ordine causae primae.

II. *Ratio formalis praesentiae Dei in suis creaturis est eius operatio.* Nam Essentia Divina infinitate suae purissimae perfectionis est prorsus absoluta ab omni creatura, ut constat ex eis quae de Divina simplicitate disputavimus in Quaest. III. Et ideo, quum Deus non possit

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 8.
(2) Cfr. S. Th. qq. dd. de Pot. q. 5. aa. 1. 2.; in I. Sent. Dist. 37. q. 1. a. 2.

esse intime praesens rebus tamquam eis commixtus, quasi earum pars sive materialis, sive formalis, sive integralis, remanet ut intima eius praesentia habeatur per contactum, non quantitatis, sed virtutis. Porro contactus virtutis, quae in Deo identificatur cum eius Essentia, est ipsa divinae virtutis operatio. Ergo formalis ratio praesentiae Dei in rebus omnibus est eius operatio (1).

III. *Deus est in rebus per potentiam, praesentiam* et *essentiam.* Deus *ratione suae immediatae operationis* in omnibus suis creaturis, quas in esse naturali conservat et ad quarum actiones concurrit, dicitur esse in eis per *potentiam, praesentiam* et *essentiam.* Per *potentiam* quidem, quia operatur in eis, per *praesentiam*, quia immediate attingit eas virtute sua, per *essentiam*, quia, quum eius virtus identificetur cum sua Essentia, haec est intime praesens omni effectui divino.

IV. *Immensitas praedicatur de Deo aeternaliter, ubiquitas autem stricte sumpta praedicatur ex tempore.* Quum *Divina immensitas* importet virtutem praesentialitatis Divinae, quae numquam expleri potest per hoc quod Deus evadat praesens spatiis locisque quamvis sine fine multiplicarentur, *ubiquitas* autem *stricte sumpta* importet actualem praesentiam Dei omnibus spatiis locisque existentibus; patet immensitatem *aeternaliter* praedicari de Deo, ubiquitatem autem competere Deo in hypothesi creationis substantiae corporeae et *ex tempore* praedicari de eo. Quare divina immensitas *ratione ratiocinata* differt a divina ubiquitate stricte sumpta (2).

THESIS XXIII.

Deus 1° non est in loco circumscriptive, neque definitive: 2° sed repletive seu eminenter idest nobilissimo modo, quatenus nempe virtute et essentia sua ita est totus in omni loco et locato, et in qualibet eorum parte, ut omnia excedat et ad infinita virtualiter se extendat; 3° quapropter dici debet esse ubique primo et per se (3).

PROBATUR.

61. *Quoad 1um. Circumscriptive* est in loco id quod ratione suarum dimensionum circumscribitur superficie corporis ambientis, *definitive* est in loco id quod ita invenitur in eo quod circumscriptive est in loco applicando ei suam virtutem, ut non possit esse simul in alio.

(1) Sfr. S. Th. in I. Sent. Dist. 37. q. 1. a. 2.
(2) Cfr. S. Th. in I. Sent. Dist. 37. q. 2. a. 3.
(3) Haec Thesis est applicatio eorum quae in Cosmologia q. 9. c. 2. tradidimus.

Atqui Deus neque est dimensionatus, neque est virtute et essentia sua ita praesens intime alicui corpori, ut hoc non excedat, quum sit actus purissimus simpliciter infinitus. Ergo Deus neque circumscriptive neque definitive est in loco.

Quoad 2um. *Repletive* idest eminenter seu nobilissimo modo est in loco id, quod virtute et essentia sua ita est totum in omni loco et locato et in qualibet eorum parte, ut omnia excedat et ad infinita virtualiter se extendat. Atqui hoc modo Deus est in loco, quia infinita virtute sua, quae identificatur cum simplicissima sua Essentia, ita dat et conservat directe et immediate esse omnium locorum et locatorum, ut etiam infinitis aliis dare esse et conservare posset. Ergo. *Maior* constat ex Cosmologia nn. 84. 86. *Minor* ex Thesi praecedenti.

Quoad 3um. *Ubique primo et per se* est id, quod in quacumque hypothesi exigit esse secundum se totum in omni loco ita, ut sit totum in toto et totum in qualibet parte eius. Atqui esse hoc modo in omni loco competit soli Deo. Ergo soli Deo competit esse ubique primo et per se. *Maior* constat ex Cosmologia n. 84. *Minor* constat ex demonstratione 2ae Partis (1).

THESIS XXIV.

Solus Deus est aeternus, immo est sua aeternitas (2).

PROBATUR.

62. *Quoad 1um*. *a)* Aeternum est id, cuius duratio consistit in perfectissima *uniformitate* seu *unitate* omnimodae immutabilitatis tum quoad esse, tum quoad operari. Atqui huiusmodi est unice actus purissimus nempe Deus. Ergo solus Deus est aeternus. *Maior* constat ex Cosm. n. 78. *Minor* ex q. 3.

b) Aeternitas definitur a Boetio: *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.* Atqui talis vitae possessio competere unice potest actui purissimo subsistenti, nempe Deo, cuius essentia, esse et operatio prorsus identificantur. Ergo soli Deo competit aeternitas.

Quoad. 2um. Immutabilis permanentia Divinae Essentiae in suo esse et operari non est forma superaddita ipsi esse vel operationi Dei, sed est ipsum Divinum esse et operari immutabiliter permanens. Atqui in immutabili seu uniformi permanentia in esse et operari divino consistit aeternitas. Ergo ipsum Divinum esse uniforme idest immutabiliter

---

(1) Cfr. S. Th. I. Sent. Dist. q. 2. a. 2.
(2) Recolantur quae diximus in Cosmologia q. 8.

permanens est ipsa aeternitas. Ergo Deus, qui est suum esse et suum operari, est sua aeternitas, quae a Divina Essentia non differt *re*, sed *ratione ratiocinata*. *Maior* constat ex Quaest. 3. *Minor* ex Cosm. n. 78. « Dicendum quod ratio aeternitatis consequitur immutabilitatem, sicut « ratio temporis consequitur motum, ut ex dictis patet (art. praec.). « Unde cum Deus sit maxime immutabilis, sibi maxime competit esse « aeternum. Nec solum est aeternus, sed est sua aeternitas : cum tamen « nulla alia res sit sua duratio, *quia non est suum esse*. Deus autem « est *suum esse uniforme*. Unde sicut est sua essentia, ita sua aeter- « nitas » (1).

THESIS XXV.

Aeternitas Divina suo indivisibili *nunc* omnium creaturarum durationes sive permanentes sive successivas eminenter comprehendit, ita ut quamvis res, quae in variis temporis differentiis existunt, sibi invicem coexistere nequeant, omnes tamen coexistunt ipsi *nunc* Aeternitatis Divinae.

PRAENOTIONES.

63. I. Plures res, quae subduntur tempori, eatenus dici possunt simul existere, quatenus sunt actu in eodem *nunc temporis*.

II. Res, quarum una subditur tempori, alia autem nullo modo, quia est aeterna, nequeunt dici coexistere, quatenus sint actu *in eodem nunc temporis*, quia res aeterna, quum nullatenus subdatur tempori nequit a tempore, vel a *nunc* temporis, mensurari, sed eatenus dici possunt coexistere quatenus ea, quae subditur tempori est cum re non subdita tempori in eodem *nunc aeternitatis*, quae est mensura excedens omnium durationem rerum sive temporalium sive aeviternarum. Cfr. Cosm. n. 80.

III. Quum omnes res creatae et creandae dicuntur simul praesentes aeternitati Dei, haec propositio falsa esset si τὸ *simul* referretur ad res, quatenus invicem relationibus praeteritarum, praesentium et futurarum referuntur, quia quum nequeant convenire in eodem *nunc* temporis (quod iugiter mutatur eo modo, quem in Cosm. nn. 77. II. et 80. diximus) nequeunt simul coexistere. Si autem τὸ *simul* referatur ad res, quatenus singillatim referuntur ad Aeternitatem Divinam, sub cuius indivisibili *nunc* omnes comprehenduntur et exceduntur, verissima est. Etenim « Aeternitas tota simul existens ambit totum tempus.

---

(1) S. Th. 1. p. q. 10. a. 2.

« Unde omnia, quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia, « non solum ea ratione, qua habet rationes rerum (intellectualiter) « apud se praesentes, ut quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur « ab aeterno supra omnia prout sunt in sua praesentialitate » (1). Et subdit: « Ad tertium dicendum, quod ea quae temporaliter in actum « reducuntur, a nobis successive cognoscuntur in tempore, sed a Deo « in aeternitate, quae est supra tempus. Unde nobis quia cognoscimus « futura contingentia, in quantum talia sunt, certa esse non possunt, « sed soli Deo, cuius intelligere est in aeternitate supra tempus. Sicut « ille qui vadit per viam non videt illos, qui post eum veniunt sed « ille qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, simul videt omnes « transeuntes per viam ».

Neque obiicias. Ea quae simul coexistunt uni eidemque *nunc*, simul coexistunt inter se. Atqui falsum est res praeteritas et futuras simul coexistere inter se. Ergo falsum est eas simul coexistere ipsi *nunc* aeternitatis Divinae.

Respondemus enim, *distinguendo maiorem:* si unum idemque *nunc* cui coexistunt esset eiusdem rationis cum *nunc*, in quo supponuntur coexistere inter se, *Conc.*, si est diversae rationis, *Nego. Conc. min. Nego conseq.* Etenim *nunc aeternitatis,* cui omnes res creatae et creandae coexistere dicuntur, est indivisibile permanens, simpliciter infinitum, estque transcendens mensura omnis durationis. *Nunc temporis* est indivisibile fluens et simpliciter finitum. Ipsum *nunc aevi*, quamvis sit indivisibile permanens, est *simpliciter* finitum, infinitum autem tantum *secundum quid,* et ideo plenius participat, quamvis *deficienter* de perfectione aeterni *nunc* (2).

PROBATUR THESIS.

64. *Quoad 1um*. Omnes reales creaturarum durationes ea duratio comprehendit et excedit, quae in sua immobili actualitate importat permanentiam in esse undequaque infinito. Atqui huiusmodi est *nunc aeternitatis Divinae* relate ad omnes reales durationes creaturarum. Ergo aeternitas Divina *suo indivisibili nunc* omnium creaturarum durationes sive permanentes, sive successivas comprehendit et excedit, *Maior probatur*. Quidquid est in aliquo ordine perfectionis simpliciter finitum, adaequatur et exceditur ab eo, quod est simpliciter infinitum in eodem ordine. Atqui omnes reales durationes creaturarum sunt

(1) S. Th. 1. p. q. 14. a. 13. c.
(2) Cfr. S. Th. I. Sent. Dist. 19. q. 2. a. 2. ad 1.

simpliciter finitae in ordine durationis, idest *permanentiae in proprio esse*, sive haec sit simultanea, sive successiva. Ergo omnes reales durationes rerum creatarum comprehenduntur et exceduntur ab ea duratione, quae in sua immobili actualitate importat permanentiam in esse undequaque infinito.

Quoad 2um. Ad hoc ut plures res tempori subiectae simul existere dicantur, convenire debent in eodem *nunc* temporis. Atqui impossibile est ut res quae in variis temporis differentiis suam existentiam ducunt et absolvunt, conveniant in eodem *nunc* temporis. Ergo impossibile est ut res quae diversis temporibus existunt, simul coexistere dicantur. *Prob. mai.* Coexistentia est relatio fundata in actualitate essendi utriusque termini, qui coexistere dicuntur. Atqui propria et proportionata mensura actualitatis essendi rei temporalis est *nunc* temporis. Ergo eo ipso, quod plures res temporales coexistunt, convenire debent in eodem *nunc* temporis. *Minor* superioris argumenti constat ex eo quod *nunc* temporis est indivisibile fluens, ut demonstravimus suo loco (Cosm. n. 80.).

65. **Obiect. 1ª**. *(Scoti)* Coexistentia multorum alicui permanenti requirit permanentiam ipsorum, sicut puncta circumferentiae simul coexistunt centro permanenti, quia permanent omnia in se. Atqui temporis partes omnes non permanent in se. Ergo nec simul aeternitati coexistunt.

Resp. *Dist. mai.* Coexistentia multorum alicui permanenti requirit permanentiam ipsorum in esse, vel *adaequantem* vel *inadaequantem* permanentiam essendi alterius termini, prouti conveniunt cum eo in eodem modo essendi vel disconveniunt deficiendo ab eius modo essendi, *Conc.*, requirit necessario permanentiam essendi ipsorum *adaequantem* permanentiam essendi alterius termini, *Nego. Conc. min. Dist. conseq.* Si vocabulum *simul* referatur ad partes temporis et ad res successive existentes, *Conc.*, si referatur ad aeternitatem, *Subdist.* Non coexistunt *adaequantes* aeternitatem, quasi haec esset eorum proportionata mensura, *Conc.*, non coexistunt *inadaequantes* aeternitatem, quum haec sit eorum mensura excedens, *Nego.*

Ad exemplum allatum respondeo, id non esse ad rem sub eo respectu sub quo accipitur ab adversariis. Nam accipitur sub respectu, sub quo centrum et puncta circumferentiae *prorsus conveniunt*, nempe quatenus sunt in genere quantitatis continuae *permanentis*, sub qua ratione est prorsus necessaria eorum simultanea et adaequata coexistentia. Sed si exemplum accipiatur sub eo respectu, sub quo centrum *formaliter differt* a punctis circumferentiae, nobis favet et *retorquetur*. Nam quemadmodum unum punctum circumferentiae relate ad aliud punctum eiusdem, nequit habere eamdem rationem situalis praesentiae, sed

unum prae alio rationem habet prioris et posterioris, relate vero ad centrum, quod sub hoc respectu est in ordine eminenti, habent prorsus eandem rationem situalis praesentiae; similiter durationes successivae habent ad invicem rationem prioris et posterioris, non autem relate ad aeternitatem. Et si peripheria circuiret, movendo se circa centrum hoc immobilitate sua aequaliter respiceret omnes partes peripheriae unam post aliam sibi succedentes.

Obiect. 2ª. *(Durandi).* Quae simul sunt alicui, sunt et inter se. Sed tempora sunt simul cum aeternitate tota. Ergo et inter se; quod est falsum, quum unum sit post alterum.

Resp. *Dist. mai.* Si sub eodem respectu sint simul cum altero et inter se, *Conc.,* si sub diverso respectu, *Nego. Contrad. min.* Sunt *simul* cum aeternitate tota, tamquam cum duratione univoca et a temporibus adaequabili, *Nego,* tamquam cum duratione analogica, eminenti, et a temporibus inadaequabili, *Conc. Nego conseq. et concedo* falsum esse tempora successiva esse simul inter se. Conferantur supradicta in Praenot. et Demonstr. Thesis.

QUAESTIO VIII.

DE SCIENTIA DEI.

THESIS XXVI.

In Deo est perfectissima scientia, nempe Deus est ens perfectissime et actualissime cognoscitivum (1).

PROBATUR.

66. I. Deus est subsistens in summo immaterialitatis, quia est actus purissimus. Sed quo magis entia elongantur a materia et a potentialitate, eo sunt perfectius et actualius cognoscitiva. Ergo Deus est perfectissime et actualissime cognoscitivus. *Maior* constat ex QQ. 2. et 3. *Minor* ex Psycol. Th. 48. cum Corollariis.

II. Omne agens habet aliquam intentionem et amorem vel appetitum finis, et, nisi ab alio dirigatur in finem, debet intelligere et velle finem. Sed Deus est supremum agens, quod a nullo dirigi potest in finem, quodque omnia in suos fines dirigit. Ergo Deus est maxime intelligens, et perfectissime cognoscit omnia sive existentia sive possibilia, omnesque possibiles relationes et accidentia eorumdem ad hoc, ut omnia apte in suos fines dirigere valeat. *Maior* constat ex Cosm. Th. 30. *Minor* constat ex Quaest. 2. Th. 7.

III. Entia quo sunt perfectiora eo magis participant de perfectione cognitionis. Ergo ens infinite perfectum est infinite cognoscitivum, seu est ipsa pura scientia subsistens. Atqui Deus est ens infinite perfectum, ut demonstravimus in Thesi 19. agentes de infinitate Dei. Ergo Deus est infinite cognoscitivum.

IV. Perfectissima scientia est ea, quae habetur per perfectissimam causam. Sed Deus omnia cognoscit per causam perfectissimam, idest per Essentiam suam et in Essentia sua, ut inferius demonstrabimus. Ergo in Deo est perfectissima scientia.

---

(1) 1. p. q. 14. a. 1. et in I. Sent. Dist. 35. q. 1. a. 1.

THESIS XXVII.

Deus *a)* intelligit seipsum per seipsum seu per essentiam suam et in ea intelligit tamquam *in medio in quo* caetera, quaecumque habere possunt vel habent rationem entis, *b)* unico actu intellectionis.

PROBATUR PRIMA PARS.

67. I. Ad perfectissimam operationem vitae intellectivae requiritur omnimoda immanentia tum ex parte principii tum ex parte termini; videlicet ut intellectus, species intelligibilis, intentio intellecta, intellectio et terminus primarius intellectionis sint ipsa essentia intelligentis; ita ut haec *per se ipsam* immediate intelligatur; caetera autem omnia non nisi *per eam* et *in ea* tamquam *in medio per se cognito* intelligantur. Atqui haec perfectissima operatio unice et necessario competit intellectui, qui est actus purissimus subsistens, quique proinde identificatur cum Essentia Divina, quae est causa exemplaris, efficiens et finalis omnium, quae quocumque modo participare possunt rationem entis. Ergo Deus intelligit seipsum per seipsum seu per essentiam suam et in ea intelligit tamquam *in medio in quo* caetera quaecumque habere possunt vel habent rationem entis. *Maior* constat ex Psych. nn. 121. et 167. *Minor* constat ex QQ. 2. et 3.

II. Si Intellectus Divinus determinaretur ad aliquid intelligendum ab extrinseco, se haberet ob obiectum determinans ut potentia ad actum. Atqui hoc repugnat. Ergo Essentia Divina sua infinita aequipollentia ita est principium et terminus primarius divinae intellectionis, ut sit simul *medium sub quo et in quo* Deus omnia alia a se tamquam obiectum secundarium intelligit.

III. Omne, quod est in altero, est in eo secundum modum eius in quo est. Sed omnes possibiles effectus Dei, nempe omnia, quae quocumque modo habere possunt vel habent rationem entis, usque ad ultimas determinationes essentiales, accidentales, individuales sunt in Deo tamquam in tali, causa, quae est ipsum intelligere subsistens. Ergo sunt in Deo intelligibiliter modo perfectissimo, nempe ut perfectissime cognita in perfectissimo cognoscente. Sed si cognoscerentur in alio medio cognitionis quam in Divina Essentia, non essent intelligibiliter in Deo modo perfectissimo et consequenter nullo modo. Ergo.

PROBATUR SECUNDA PARS.

Actus inteligendi multiplicatur per hoc, quod nova species intelligibilis producitur. Atqui unica Essentia Divina est species intelligibilis, qua Deus cognoscit seipsum et in seipso omnia alia a se. Ergo Deus unico actu intelligit essentiam suam et omnia alia a se. Haec omnia constant ex supra demonstratis et ex dictis de natura intellectionis in Psych. q. 21. (1).

COROLLARIA.

68. I. **Obiectum formale quo divinae intellectionis est Divina Essentia.** Vocando *obiectum formale quo* intellectionis speciem intelligibilem, patet Essentiam Divinam esse unicum obiectum formale quo divinae intellectionis, quia divinus intellectus non intelligit per speciem intelligibilem diversam a Divina Essentia. Nos id vocamus cum S. Thoma *medium quo.*

II. **Obiectum formale quod et obiectum materiale primarium divinae intellectionis est Divina Essentia.** *Obiectum quod* dividi solet in *obiectum formale quod* et in *obiectum materiale:* primum est ratio illa formalis, *per quam* attingitur a potentia cognoscitiva obiectum materiale; ex. gr. ratio colorati est obiectum formale quod potentiae visivae. *Obiectum materiale* subdividitur in *primarium* et *secundarium:* primum est, quod primario et ratione sui attingitur a potentia cognoscitiva: secundum est, quod secundario et ratione obiecti primarii ab ea attingitur. Ex demonstratione Thesis et ex Quaestione de Possibilibus, quam egimus in Ontologia Q. 18., apparet, Divinam Essentiam simul esse *unicum obiectum formale quod* divinae intellectionis, et ita esse *obiectum materiale primarium* eiusdem, ut sit simul *ratio propter quam* et *medium, in quo* Deus intelligit omnia alia a se, quae idcirco constituunt *obiectum materiale secundarium* Divini Intellectus. Et sane non solum Divinus Intellectus nequit ab alio determinari quocumque modo ad intellectionem, quam ab ipsa Divina Essentia; sed insuper quidquid cognoscibilitatis et possibilitatis habent res diversae a Deo, habent a Divina Essentia et a Divino Intellectu, eo modo et ordine, quos in Ontologia l. c. demonstravimus.

III. **Deus comprehendit seipsum,** quia tanta est virtus eius in cognoscendo, quanta est actualitas eius in existendo (2).

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 14. aa. 7. et 15.; et q. 34. a. 3.; et qq. dd. de Ver. q. 2. a. 3. ad 6.
(2) 1. p. q. 14, art. 3.

IV. **Intelligere Dei est eius substantia;** quia in Deo actu purissimo essentia, esse et operatio prorsus identificantur (cfr. S. Th. l. c. a. 4.).

Quaeres. *Utrum Deus cognoscat res a se diversas* IN SEIPSIS.

Resp. Si sermo sit *de medio subiectivo*, idest de specie intelligibili, Deus cognoscit eas *non in seipsis*, sed in ipsa Divina Essentia, quae est unicum medium subiectivum *quo* vel *in quo* Deus cognoscit omnia. Si sermo sit *de medio obiectivo* idest de obiecto cognito in quo aliquid cognoscitur; neque hoc sensu Deus cognoscit res *in seipsis;* nam Deus cognoscit res in quantum Divina Essentia continet similitudines rerum omnium. Et ideo eas obiective cognoscit in ipsa Divina Essentia tamquam in *obiecto primario* suae cognitionis, in quo cognoscit omnia, quae sua eminentiâ et virtute continet. Si sermo sit *de termino cognitionis*, qui cognoscitur perfecte *sicuti est in se;* hoc sensu Deus dici potest et debet cognoscere res a se diversas *in seipsis*, quia perfectissime cognoscit eas *sicuti sunt in seipsis.* Id ulterius patebit ex dicendis in Thesi sequenti.

S. Thomas (1) haec habet: « Dupliciter aliquid cognoscitur; uno « modo *in seipso*, alio modo *in altero. In seipso* quidem cognoscitur « aliquid, quando cognoscitur *per speciem propriam adaequatam ipsi « cognoscibili* (idest quae limitatur ad illud unice obiectum); sicut « cum oculus videt hominem per speciem hominis. *In alio* autem vi- « detur id, quod videtur *per speciem continentis;* sicut cum pars vi- « detur in toto per speciem totius, vel cum homo videtur in speculo « per speciem speculi, vel quocumque alio modo contingat aliquid in « alio videri. Sic igitur dicendum est, quod Deus seipsum videt in « seipso, quia seipsum videt per essentiam suam. Alia autem a se videt « *non in seipsis*, sed *in seipso*, in quantum essentia sua continet si- « militudinem aliorum ab ipso » (2).

---

(1) 1. p. q. 14. a. 5.
(2) Cfr. cl. *P. De Maria* Phil. Perip. Vol. 3. Tract. 1. q. 7. a. 2.

THESIS XXVIII.

Omnia, quae quocumque modo habent vel habere possunt rationem entis; 1° ita intelliguntur a Deo in Divina Essentia, ut cognoscantur propria et perfectissima cognitione quoad omnes suas perfectiones essentiales et accidentales atque notas individuantes, nempe in sua singularitate et quoad omnes suas operationes (1); 2° eodem simplicissimo actu, quo Deus suam essentiam cognoscit (l. c. art. 7.).

PROBATUR.

69. I. Omnia, quae quocumque modo habent vel habere possunt rationem entis, intelliguntur proprie et perfectissime a Deo in Divina Essentia; siquidem Deus essentiam suam perfecte cognoscit. Etenim virtus alicuius rei perfecte cognosci non potest, nisi *cognoscantur ea omnia, ad quae virtus se extendit.* Atqui virtus divina, quae identificatur cum Divina Essentia, se extendit ad ea omnia, quae quocumque modo habere possunt vel habent rationem entis, et in omnes actiones creaturarum influit, ut probavimus in Quaestionibus 2. et 7. et adhuc probabimus in Quarta Parte. Ergo omnia quae quocumque modo habent vel habere possunt rationem entis perfectissime cognoscuntur a Deo.

II. Intellectus, qui comprehendit rem, quae est causa exemplaris et efficiens omnis entitatis, necessario comprehendit omnes modos essendi tum essentiales tum accidentales, secundum quos haec res imitabilis est, et omnem virtutem atque efficientiam eiusdem. Atqui talis res est Divina Essentia. Ergo.

III. Deus operando ad extra est causa suprema et immediata omnium rerum quoad esse et perfectiones earumdem usque ad ultimas determinationes; easque modo ipsis conveniente dirigit in suos fines ita, ut ex causarum secundarum (quarum aliae sunt necessariae, aliae liberae) subordinata activitate resultet perfectus et constans ordo universi. Res autem creatae sunt deficientes participationes Divinae perfectionis. Atqui, hoc posito, necesse est, ut Deus antecedenter et independenter a rebus eas cognoscat: nam finis et forma inducenda in aliquod subiectum, sunt priora in intentione i. e. in intellectu operantis. Ergo Deus debet eas praecognoscere in sua Essentia usque ad ultimas de-

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 14. aa. 5. 6. 9. 10. 13. 14.

terminationes earumdem. Id confirmatur ex eo, quod antecedenter ad existentiam creaturarum assignari nequit aliud obiectum terminans Divinam cognitionem.

70. **Quaeres 1.** *Quomodo unica forma, quae est Divina Essentia, repraesentare valeat distincte omnia, quae quocumque modo participare possunt esse?*

Resp. posse, quia est universalis et immediata causa omnis esse, ut demonstravimus in Quaest. 2ª. Quapropter non intelligit suos effectus in confuso, sed distincte ut competit causae perfectissimae. Id pulcherrime declarat S. Thomas (1. p. q. 14. a. 6.), ubi postquam erroneas quasdam opiniones refutaverit et attulerit quorumdam exempla hanc veritatem explicare volentium; ut puta, si centrum cognosceret omnes lineas a se progredientes, vel lux, si cognosceret seipsam, cognosceret omnes colores; atque horum etiam exemplorum insufficientia detecta, haec habet: « Et sic omnia in Deo praeexistunt non solum « quantum ad id, quod commune est omnibus, sed etiam quantum « ad ea, secundum quae res distinguuntur. Et sic, cum Deus in se « omnes perfectiones contineat, comparatur Dei essentia ad omnes re- « rum essentias, non sicut commune ad propria, ut unitas ad numeros « vel centrum ad lineas ; sed sicut perfectus actus ad imperfectos : « ut si dicerem: homo ad animal, vel senarius, qui est numerus per- « fectus, ad imperfectos sub ipso contentos. Manifestum est autem, « quod per actum perfectum cognosci possunt actus imperfecti, non « solum in communi, sed etiam propria cognitione. Sicuti qui cognoscit « hominem, cognoscit animal propria cognitione; et qui cognoscit se- « narium, cognoscit trinarium propria cognitione. Sic igitur cum es- « sentia Dei habeat in se quidquid perfectionis habet essentia cuius- « cumque rei alterius, et adhuc amplius; Deus in seipso potest omnia « propria cognitione cognoscere. Propria enim natura uniuscuiusque « consistit, secundum quod per aliquem modum divinam perfectionem « participat. Non autem Deus seipsum perfecte cognosceret nisi co- « gnosceret, quomodocumque participabilis est ab aliis sua perfectio. « Nec etiam ipsam naturam essendi perfecte sciret, nisi cognosceret « omnes modos essendi. Unde manifestum est, quod Deus cognoscit « omnes res propria cognitione, secundum quod ab aliis distin- « guuntur ».

Quaeres 2. *Quomodo intellectus Divinus per intentionalem similitudinem rerum nullo modo perficiatur a rebus cognitis?*

Resp. Quia Divinus Intellectus non recipit a rebus vel ab aliquo alio similitudinem intentionalem earum; sed ipsa Divina Essentia, quae

cum Divino Intellectu prorsus identificatur, est causalis similitudo omnium rerum infinite perfectior et plenior quam esset domus aedificanda in mente artificis (1).

ANIMADVERSIONES AD SOLVENDAS DIFFICULTATES.

71. I. *Distingue modum cognoscentis a modo rei cognitae. Primus* non accipit magis et minus in cognitione divina; quia Deus eodem intuitu omnia videt. *Secundus* accipit hoc sensu, quod Deus cognoscit, quaedam esse magis cognoscibilia in seipsis, quaedam minus pro maiori vel minori perfectione earundem (2).

II. *Relatio Dei cognoscentis ad seipsum cognitum* est rationis tantum et ideo non inducit pluralitatem in Deo (l. c. q. 2. a. 2. ad 1.).

III. *Reditio rei ad essentiam suam est subsistentia rei in seipsa.* Unde *formae* non per se subsistentes, cum sint super aliud effusae, hac reditione carent. Formae autem per se subsistentes, quo sunt simpliciores, eo perfectius ad seipsas redeunt; quia ita ad res alias effunduntur, eas perficiendo vel eis influendo, ut in seipsis per se maneant. Quod maxime in Deo locum habet (ib. ad 2.).

IV. *Infinitum intransibile* per partes post partes est *infinitum privative* seu *potentiale* quod totaliter differt ab *infinito negativo* seu *actuali* (ib. ad 5. et ad 7.).

V. *Deus dicitur sibi ipsi finitus,* non quasi limitatus, sed quia infinitate suae cognitionis seipsum comprehendit et adaequat (ib. ad 9.). Unde non cognoscit se finite sed infinite (ad 10.).

VI. **Obiicienti.** Medium per quod res cognoscitur, dicitur esse proportionatum ei, quod per ipsum cognoscitur. Sed Essentia Divina non est proportionata ipsi creaturae, cum in infinitum ipsam excedat; infiniti autem ad finitum nulla est proportio. Ergo Deus cognoscendo Essentiam suam, non potest cognoscere creaturam.

Resp. *Dist. mai.* Medium cognitionis debet esse proportionatum ad cognitum *per modum proportionalitatis, Conc., per modum proportionis* quae importat determinatum excessum unius termini ad alterum eiusdem proportionis, *Nego. Contrad. min.* Essentia Divina non est proportionata ipsi creaturae *per modum proportionis, Conc., per modum proportionalitatis, Nego. Nego conseq.* Nam proportio simplex, quae est unius ad alterum, quaeque resultat ex duobus terminis requirit determinatum excessum terminorum, ex. gr. quatuor ad duo sunt pro-

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Verit. q. 2. a. 3. ad 1. et ad 3.
(2) l. c. 1. ad 5. a. 2. ad 11.

portionata ad invicem ad modum proportionis. *Proportionalitas* autem quae resultat ex quatuor terminis, idest ex similitudine duarum proportionum, non requirit determinatum excessum terminorum; sed salvatur per hoc, quod quemadmodum primus terminus unius proportionis se habet ad secundum terminum eiusdem; similiter primus terminus alterius proportionis se habet ad secundum terminum eiusdem; quamvis termini primae proportionis non conveniant cum terminis secundae in aliqua ratione univoca. Ex. gr. sicut se habet substantia creata ad suum esse, similiter se habet Deus ad suum, nempe subsistunt, quamvis Deus per identitatem cum suo esse, substantia vero creata per receptionem. (Cfr. Ontolog. n. 45. ad Obiect. 2.).

VII. *Distingue determinationem cognitionis ex parte cognoscentis a determinatione cognitionis ex parte rei cognitae.* Intellectus Divinus determinatur ad Divinam Essentiam et ad caetera omnia cognoscenda unice a Divina Essentia, *per quam* et *in qua* omnia Deus videt (1). Ex parte autem rei cognitae Deus cognoscit proprie et distincte usque ad ultimam determinationem omnes et singulas res earumque proprietates et accidentia sive praedicamentalia sive praedicabilia; quamvis non per aliam similitudinem intentionalem, quam per Divinam Essentiam.

VII. Deum cognoscere *distincta indistincte* verum est si τὸ *indistincte* referatur ad actum cognitionis, quatenus est simplicissimus et maxime unus; non autem si referatur ad res cognitas; has enim Deus distinctissime cognoscit (l. c. ad 9.).

THESIS XXIX.

Scientia Dei *a)* ita est causa efficiens rerum, ut *b)* rebus conferat esse mediante divina voluntate (2).

PROBATUR.

72. *Quoad 1um.* Supposito principio alibi ab ipso demonstrato (QQ. dd. de Pot. q. 7. a. 2.), vi cuius quaecumque conveniunt in aliqua forma debent vel omnia ab aliquo tertio eam participare, vel unum inter ea esse caeteris causa talis formae; sic arguit S. Doctor (3): « In « omni scientia est assimilatio scientis ad scitum: unde oportet, quod « vel scientia sit causa sciti, vel scitum sit causa scientiae, vel utrum- « que ab una causa causetur. Non potest autem dici, quod res scitae

(1) Cfr. qq. dd. de Verit. q. 2. a. 3. ad 6. et art. 4. ad 6.
(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 14. a. 8. et de Verit. q. 2. 14.
(3) In QQ. dd. de Verit. q. 2. a. 14.

« a Deo sint causa scientiae in eo; cum res sint temporales, et scientia « Dei sit aeterna; temporale autem non potest esse causa aeterni. Simi- « liter non potest dici quod utrumque ab una causa causetur: quia in « Deo nihil potest esse causatum, cum ipse sit quidquid habet. Unde « relinquitur, quod scientia eius sit causa rerum ».

Confirmatur. Scientia Dei sic se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificiata. Sed scientia artificis est causa artificiatorum eo quod artifex, qua talis, operatur per suum intellectum. Ergo scientia Dei est principium operationis divinae ad extra (1).

Quoad 2um. Scientia in quantum scientia non dicit causam activam. Scientia enim significatur per hoc, quod aliquid est in sciente non ex hoc quod aliquid sit a sciente. Voluntas autem in sui ratione importat influxum quemdam in volita, praesupposita cognitione eorumdem. Atqui in ipso Deo intellectus, scientia, voluntas et reliqua attributa importantia puram perfectionem verificantur secundum sui propriissimam rationem (ut demonstravimus in Quaest. 4.). Ergo etiam in Deo scientia est causa rerum, adiuncta seu mediante voluntate.

Confirmatur. Creaturae per hoc quod in esse actuantur a Deo nihil conferunt Divinae Bonitati. Ergo Deus non necessario sed libere creat eas. Quod autem libere causatur procedit per liberam determinationem voluntatis, praesupposita cognitione rei faciendae. Ergo scientia Dei causat res, adiuncta voluntate.

THESIS XXX.

Deus in signo priori seu antecedente omne decretum actuale suae voluntatis cognoscit in sua essentia omnia possibilia, sive ea quae neque sunt, neque fuerunt neque erunt, sive ea quae aliquando extitura sunt.

DEMONSTRATUR.

73. Quum scientia Dei comparetur scientia artificis libere suum opus exsequentis, ex eo quod Deus quasdam res possibiles nolit actuare, minime sequitur eum non cognoscere eas secundum omnes possibiles earum determinationes, accidentia et relationes: immo ad hoc ut Deus aliquas res libere valeat actuare, alias libere relinquere in statu merae possibilitatis; necesse omnino est ut omnium perfectam et determi-

(1) Cfr. 1. p. q. 14. a. 8.

natam cognitionem praehabeat. Ex varia autem conditione obiectorum divinae scientiae, haec varias denominationes suscipit. Itaque

a) Scientia eorum possibilium, quae licet numquam erunt, tamen cognoscuntur a Deo quatenus producibilia ab ipso, vocatur *scientia virtualiter practica.*

b) Scientia eorum, quae Deus actuare decrevit, vocatur scientia *formaliter practica.* Ad hanc refertur scientia malorum, quae Deus permittit, vel impedit, vel ordinat.

c) Scientia malorum pure possibilium vocatur *scientia pure speculativa.* Sic etiam vocatur scientia rerum possibilium, quas Deus considerat non secundum earum esse actuale vel hypothetico, sed secundum omnes intentiones abstractas (e. g. genericas vel specificas) quas intellectus humanus resolvendo de eis apprehendere potest. Sic Deus cognoscit res a se operabiles, non quatenus operabiles.

THESIS XXXI.

Deus antecedenter ad decretum suae voluntatis cognoscit operationes, quas libere agerent creaturae intellectivae, si in determinatis adiunctis extiturae essent.

DEMONSTRATUR.

74. Quum nulla operatio, etiamsi defectuosa seu mala, sit mera negatio entis (omne enim malum, quum sit privatio, fundari debet in aliquo bono), necesse est ut quaelibet operatio creaturae pro eo quod habet entitatis seu bonitatis, sit unus ex infinitis terminis possibilibus imitabilitatis Divinae Essentiae: et ideo debet cognosci ab intellectu comprehendente Divinam Essentiam; et in eo cognosci quaecumque privatio debiti ordinis in ea fundata. Quod praeclare a S. Thoma (1) sic ostenditur: « Dicendum, quod... quicumque non intelligit aliquod « unum, nihil intelligit. Per hoc autem est aliquid unum, quod est in « se indivisum et ab aliis distinctum; unde quicumque cognoscit ali- « quid, oportet quod sciat distinctionem eius ab aliis. Prima autem « distinctionis ratio est in affirmatione et negatione: et ideo oportet « quod quicumque scit affirmationem, cognoscat negationem; et quia « privatio non est aliud, quam negatio subiectum habens ut dicitur « in IV. Metaph. (com. IV.), et alterum contrarium semper est pri- « vatio, ut in eodem (com. LXIII. et praec.) dicitur, et in 1. Phys. « inde est quod ex hoc ipso, quod cognoscitur aliquid, cognoscitur

(1) QQ. dd. de Verit. q. 2. a. 15.

« eius privatio et eius contrarium. Unde cum Deus habeat propriam « cognitionem de omnibus suis effectibus, unumquodque, sicut est in « sua natura distinctum, cognoscens; *oportet quod omnes negationes « et privationes oppositas cognoscat et omnes contrarietates in eis re- « pertas;* unde, cum malum sit privatio boni, oportet quod ex hoc ipso, « quod scit quodlibet bonum et mensuram cuiuslibet, cognoscat quod- « libet malum ». Obiectiones et solutiones vide l. c.

75. **Harum operationum cognitio non est mere coniecturalis sed est infallibiliter certa,** quia habet pro termino ipsas operationes liberas, quales in seipsis essent; et non mere quatenus adhuc essent inclusae in potentia liberi arbitrii adhuc indeterminati ad unum.

76. **Corollarium.** *Adversarii scientiae mediae, quae habet pro obiecto huiusmodi operationes, quae vocantur futuribiles, falluntur quum aiunt Deum independenter a suo decreto praedeterminante non posse habere nisi coniecturalem notitiam operationum, quae adhuc includuntur in potentia causae secundae liberae seu nondum determinatae ad unum.* Nam praeter hanc cognoscibilitatem, habent etiam *intrinsecam cognoscibilitatem in seipsis,* quatenus complexus accidentalis ipsius egressus operationis a potentia operativa libere se determinante, quo constituitur concrete haec operatio in suo esse possibili, est aliqua entitas possibilis, quae nequit effugere intuitum intellectus comprehendentis Essentiam Divinam, cuius omnis operatio futuribilis, *in quantum habet entitatis vel bonitatis possibilis,* est aliqua imitatio. Ex. gr. hoc determinatum esse accidentale Socratis, quod resultaret per hoc, quod Socrates in quibusdam determinatis adiunctis, se libere determinaret ad unum potius faciendum quam ad aliud; est certissime quoad suam positivam realitatem possibilem unus ex infinitis terminis imitabilitatis Divinae Essentiae. Bene igitur P. Molina (1) triplicem in Deo Scientiam distinguens (de qua mox pauca dicemus) de tertia quae est *futuribilium* ait: « Tertiam denique mediam scientiam, qua ex altissima « et inscrutabili comprehensione cuiusque liberi arbitrii (Deus) *in sua « essentia intuitus est,* quid pro sua innata libertate, si hoc vel illo, « vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum esset, cum « tamen posset, si vellet, facere reipsa oppositum ».

Conferatur omnino S. Thomas (C. G. Lib. 1. Capp. 68. et 69.), qui ibi 1° manifeste asserit Deum cognoscere quidquid quocumque modo habere potest rationem entis; 2° huiusmodi esse ipsos *actus intellectus et voluntatis;* 3° hos Deum cognoscere non solum in suis causis proximis, *sed etiam in seipsis, quatenus hi habere possunt rationem entis.*

---

(1) *P. Molina S. I.* in 1. p. q. 13. a. 13. Disp. 17.

Quoniam autem S. Doctor passim ostendit vel supponit scientiam eorum, quae quocumque modo habere possunt rationem entis et malorum quae ipsis, ut privationes, opponuntur, *praesupponi* determinationi Voluntatis Divinae libere statuentis quibusdam existentiam conferre (1. p. q. 15. a. 3. de Verit. q. 3. art. 3. c. et art. 4. ad obiect. et alibi passim); manifestum est Deum futuribilia cognoscere in seipsis, eo modo, quem nos contra impugnatores scientiae mediae explicamus. Sic 1. p. q. 14. art. 9. S. Thomas praeclare demonstrat et in obiectionum solutionibus tuetur Deum cognoscere omnia quae quocumque modo habere possunt rationem entis, licet nunquam fuerint nec futura sint, non exclusis ipsis operationibus et cogitationibus creaturarum. « Quaecumque igitur « possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, et etiam quae- « cunque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, etiamsi actu non « sint ». Conferatur integer articulus.

THESIS XXXII.

Opportune dividitur divina scientia ratione obiecti secundarii in scientiam visionis, scientiam simplicis intelligentiae, et scientiam mediam.

77. Ea quae constituunt obiectum secundarium Divinae Scientiae, ut ex superioribus Thesibus constat, possunt ad triplicem classem reduci: 1° ad ea, quae actu aliquando existunt extra suas causas, quaeque vocantur *futura*, vel melius vocarentur in suo esse actuali *praesentia* ipsi aeternae visioni, qua Deus omnia, quae in aliqua temporis differentia extitura sunt, in sua indivisibili aeternitate intuetur tamquam praesentia, ut demonstravimus (in Thesi 25.); 2° ad ea quae existerent extra causas secundas liberas libere operantes, si hae in adiunctis determinatis invenirentur: haec vocantur *futuribilia* vel melius *praesentabilia* Divinae Visioni, quia, si aliqua hypothesis verificata fuisset, essent et ipsa secundum esse reale *praesentia* indivisibili visioni aeterni Intellectus Divini; 3° ad ea quae ne quidem considerantur ut hypothetice existentia extra suas causas, et ideo in nulla hypothesi considerantur secundum suum esse reale praesentia Divinae Visioni, unde stricte constituunt classem *mere possibilium*.

Quapropter vocando scientiam visionis cognitionem, quam Deus habet rerum existentium quatenus existentium, metaphorâ ductâ a visione oculi corporei, qui non intuetur nisi res actu existentes, et *vocando scientiam simplicis intelligentiae* cognitionem, quam Deus habet rerum possibilium, seclusa qualibet existentia sive reali sive hypothetica, re-

sultat tamquam *Media Scientia,* ea cognitio quam Deus habet rerum, quae essent extra causas secundas liberas, in hypothesi, qua hae in determinatis adiunctis operarentur.

Vi scientiae visionis potest (si ita loqui fas est) Deus infallibiliter respondere quaestioni *an aliquid erit:* vi scientiae mediae, *an aliquid esset:* vi scientiae simplicis intelligentiae *an aliquid est possibile esse.*

Attamen, ut omnes quaestiones de modo loquendi praecidantur, si quis cum vetustioribus et cum ipso S. Thoma extenderet obiectum scientiae simplicis intelligentiae ad ea omnia quae non sunt in suo esse reali praesentia aeternae visioni Dei, non inveniret is locum pro scientia media. Sed ad rem quod attinet obiectum dari pro tali scientia et eius explicitam distinctionem valde prodesse ad claritatem conceptuum, iam satis apparet, atque in Theologia Dogmatica clarius apparebit.

THESIS XXXIII.

Sententia affirmans Deum futuribilia infallibiliter cognoscere in suis decretis praedeterminantibus, quae appellant subiective absoluta et obiective conditionata *a)* falsa est, et *b)* a Doctrina S. Thomae prorsus aliena.

PROBATUR.

78. *Quoad 1um.* Si Deus ideo novisset infallibiliter, ex. gr. Socratem si extitisset in quibusdam adiunctis operaturum fuisse libere unum potius, quam eius oppositum, quia ipse Deus decrevisset praedeterminare voluntatem eius ad unum prae alio eligendum; voluntas Socratis non potuisset illud non eligere. Atqui contradictorium est, voluntatem libere eligere id, quod non potest non eligere. Ergo sententia, quam impugnamus, est falsa. *Minor* est evidens. *Maior* conceditur ab ipsis adversariis. Et sane, fatentibus ipsis adversariis, voluntas *in sensu composito praedeterminationis* non habet in sua potestate neque exercitium neque specificationem actus. Porro praedeterminatio non est in potestate liberi arbitrii, sed unice pendet a Deo. Quid ergo remanet libero arbitrio ut habeat dominium sui actus? Profecto nihil.

Nec valet effugium adversariorum ad distinctionem sensus compositi et divisi.

Nam voluntas in sensu diviso praedeterminationis, si vera esset sententia adversariorum, nihil posset agere. Quod enim nequit agere nisi praedeterminetur ad unum, si non facit id, ad quod praedeterminatur, nullo modo agere potest. Quod autem nullo modo facere

potest id, ad quod non praedeterminatur, non habet *in sensu diviso praedeterminationis* potentiam ad illud. Ergo distinctio adversariorum materialiter falsa est et destructiva libertatis. Et sane quis serio dicat idem esse *non posse agere et posse non agere, non posse mori et posse non mori?*

Quoad 2um. Sententiam, quam impugnamus, esse prorsus alienam a Doctrina Sancti Thomae manifestum est eis, qui absque praeiudicata opinione eam ab ipso fonte haurire solent. Plura S. Doctoris testimonia afferri possent. Pauca seligimus. In 2. Sent. Dist. 32. q. 1. a. 1. Sanctus Doctor ait: « Ipsa potentia voluntatis quantum in se est, indifferens « est ad plura, sed quod determinate exeat in hunc actum vel illum, « *non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate* ». Et ibid. art. 2.: « Ratio culpae in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo, qui « habet dominium sui actus, hoc autem est in homine secundum illam « potentiam, quae ad plura se habet, *nec ad aliquid eorum determi-* « *natur, nisi e seipsa,* quod *tantum voluntati* competit ». Et QQ. dd. de Pot. q. 3. a. 7. ad 13. « Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non « per exclusionem causae primae, sed quia CAUSA PRIMA NON ITA AGIT « IN VOLUNTATE, UT EAM DE NECESSITATE AD UNUM DETERMINET, sicut « determinat naturam, ET IDEO DETERMINATIO ACTUS RELINQUITUR IN « POTESTATE RATIONIS ET VOLUNTATIS ».

Ex *postremo testimonio obiter nota,* quam longe absint a veritate et a mente S. Thomae adversarii nostri, qui ex necessitate influxus immediati Causae Primae ad omnem operationem creaturarum inferre volunt praedeterminationem voluntatis ad unum, et quanta iniuria abutantur exemplis a S. Thoma aliquando desumptis ex artifice creato applicante instrumentum ad aliquid, puta cultrum ad incisionem. Hae enim similitudines sunt inadaequatae et quum sermo est de voluntate creata afferuntur ad ostendendam necessitatem divini influxus immediati, *non praedeterminationem* vel *praemotionem ad unum.* Audiant adversarii S. Thomam in 1. 2. q. 10. a. 4.: « Respondeo dicendum quod, « sicut Dyonisius dicit (de div. nom. cap. 4. lect. 23.) ad Providentiam « divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde « omnia movet secundum eorum conditionem, ita quod ex causis ne- « cessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate, « ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. Quia « igitur voluntas est activum principium *non determinatum ad unum,* « *sed indifferenter se habens ad multa,* sic Deus ipsam movet, quod *non* « *ex necessitate ad unum determinat*, sed remanet motus *eius contin-* « *gens*, et *non necessarius*, nisi in his ad quae naturaliter movetur ». Quisque videt non potuisse S. Doctorem clarius excludere *determinatio-*

nem ad unum ab actibus voluntatis creatae circa bona contingentia seu particularia, dum exponit discrimen modi, quo Deus movet ipsam voluntatem ad bonum universale et ad bona particularia. Nam ad bonum universale appetendum voluntas determinatur a Deo, quia ad illud naturaliter movetur, non autem ad bona particularia, eo quod ad haec naturaliter non movetur. Conferantur ea quae in Psycologia agentes de Voluntate demonstravimus in Thesi 67.

SCHOLION I.

Quid importet divinum intuitum per scientiam visionis ferri in res existentes.

79. Divinum intuitum per scientiam visionis ferri in res, quae in suo esse actuali sunt praesentia ipsi *nunc* aeternitatis Divinae, non importat Deum cognoscere eas in medio diverso a Divina Essentia, sed adiungit scientiae *simplicis intelligentiae* et *mediae* liberum Divinae Voluntatis actum seu decretum, vi cuius Deus sua omnipotentia creat, conservat et gubernat creaturas modo earum naturae conveniente.

« Etenim (ut ait cl. P. Kleutgen) (1) Deus videns se, videt et com-
« prehendit operationem suam. Non vero comprehenderet, nisi videret
« effectus eius. Videt igitur voluntates nostras (et caeteras omnes crea-
« turas aliquando existentes) *in illo suo actu*, quo eas creavit, conservat
« et gubernat, easque totas perpetuo contuens, non potest non cogno-
« scere, quaecumque in iis contingunt. Neque igitur ullus motus in
« voluntate creata existere potest, quem Deus *in se* ut ipsius volun-
« tatis creatae *causa* non conspiciat ».

SCHOLION II.

Scientia Dei est prorsus immutabilis.

80. Nam ipsa scientia visionis, quae respicit creaturas in aliqua differentia temporis existentes, 1° non causatur ab extrinseco, quum repugnet creaturas per suum esse actuale determinare Divinum Intellectum ad earum cognitionem, ut superius demonstravimus, qui proinde nihil perfectionis recipit per cognitionem existentiae creaturarum, sive hae in maiori sive in minori numero sint exstiturae; 2° neque supponit in Voluntate Divina successionem actuum: haec enim ita est libera, ut sit immutabilis et aeterna, utpote cum actu purissimo prorsus identificata. Et ideo quidquid actus liber habet perfectionis,

(1) Kleutgen S. I. Inst. Theol. de ipso Deo, P. 1. L. 1. q. 3. c. 2. a. 16.

eminenter invenitur in ea, quidquid autem imperfectionis est in libertate creaturarum, removetur ab ea, nempe deliberatio, haesitatio, successio actuum, consilii mutatio. Quapropter ea, quae ad extra Deus ponit, ita vult, ut potuerit ea nolle, quia libere procedunt ab eo, sed simplicissimo, aeterno et omnis successionis et mutabilitatis experte actu voluntatis.

SCHOLION III.

Ex hucusque dictis apparet, quomodo solvendae sint obiectiones praecipuae, quae contra scientiam, quam Deus habet futurorum contingentium, desumuntur sive ex parte infallibilitatis Divinae Scientiae sive ex eius immutabilitate.

81. Nam 1° quaecumque fuerunt, sunt et erunt sunt praesentia ipsi *nunc* aeternitatis Divinae (Thes. 25.). Et ideo S. Thomas (1), postquam similes obiectiones enodaverit, haec addit: « Si unumquodque a Deo « cognoscitur sicut praesentialiter visum, sic necessarium erit esse « (id), quod Deus cognoscit, sicut necessarium est Socratem sedere, ex « hoc quod sedere videtur. Hoc autem non necessarium est absolute, « vel, ut a quibusdam dicitur, *necessitate consequentis,* sed sub condi- « tione, vel *necessitate consequentiae.* Haec enim conditionalis est ne- « cessaria, *si videtur sedere, sedet.* Unde etsi conditionalis in categori- « cam transferatur, ut dicatur: *Quod videtur sedere, necesse est sedere,* « patet eam *de dicto* intellectam et compositam esse veram, *de re* vero « intellectam et divisam, esse falsam. Et sic his in omnibus similibus, « quae Dei scientiam circa contingentia oppugnantes argumentantur, « secundum compositionem et divisionem falluntur ».

2° Quoniam Voluntas Divina non solum libere vult res extra Deum, sed etiam vult ut eae, quibus secundum modum suae naturae competit, ut sint contingentes, operentur contingenter; evidens est immutabilitatem scientiae visionis nullo modo obstare contingentiae effectuum, qui proxime procedunt a causis secundis. Conferatur S. Thomas (1. p. q. 19. a. 8. et C. G. L. 1. c. 85.), qui ibi clarissime demonstrat Divinam Voluntatem non auferre contingentiam a rebus. Ex quibus apparet libertatem arbitrii creaturae intellectivae nullum pati detrimentum sive ex parte Divinae Scientiae, sive ex parte Divinae Voluntatis. Obiectiones propositas et solutas invenies locis citatis et parallelis. Paucas inde seligimus.

3° Ad rectam intelligentiam doctrinae S. Thomae de scientia, quam Deus habet futurorum contingentium, distinguendum sedulo est

---

(1) C. G. L. 1. c. 67.

« dicimus, Deus scivit. Unde habitudo temporis praeteriti vel praesentis « ad futurum, aeternitati attribuitur, quod omnino ei non competit. « Et ex hoc accidit *secundum accidens falli* ». Conferantur quae diximus de Aeternitate n. 63.

Obiect. 4ª. Res scitae a Deo in tantum sunt in quantum Deus voluit eas esse. Sed Voluntas Dei immutabiliter vult quidquid vult. Ergo res scitae a Deo non habent intrinsecam contingentiam.

Resp. *Dist. mai.* Eo modo quo Deus vult eas esse, idest modo conformi exigentiae naturae earum, *Conc.*, modo difformi, *Nego. Dist. min.* Si τὸ *immutabiliter* referatur ad rem volitam, *Nego*, si referatur ad Divinam Voluntatem, *Subd.* Ad excludendam successionem volitionum, *Conc.*, ad excludendam libertatem volitionis, *Nego* (1).

83. **Quaeres.** *Quomodo Deus cognoscat infinita secundum multitudinem?*

Resp. Deus cognoscit infinita secundum multitudinem non per viam infiniti, idest quasi apprehendat partes post partes, sed *per modum unitatis,* idest per unicam speciem intelligibilem, quae se extendit ad infinita, etiam secundum quod sunt ab invicem distincta. Quae species est ipsa Divina Essentia, quae quum sit *simpliciter infinita*, continet eminenter et in infinitum excedit omnes et singulas series sive possibilium sive futurorum, quae sunt tantum infinitae *secundum quid* (1. p. q. 14. art. 12. et de Verit. q. 2. a. 9.).

---

(1) Cfr. S. Th. C. G. L. 1. cc. 81. 82. 83.

QUAESTIO IX.

DE VOLUNTATE DEI

84. Hanc quaestionem haud difficile intelliget qui prae oculis habeat ea quae sive in Philosophia Naturali Quaestionib. XXV. et XXVI. de Potentiis Appetitivis demonstravimus, sive in Theologia Naturali Quaest. VI. De Bonitate Dei. Quapropter nobis erit satis ea breviter proponere, quae S. Thomas praeclare evolvit tum in Summae I. p. q. XIX., tum Cont. Gent. Lib. I. a Capite 72. ad 88., tum. in qq. dd. de Veritate Quaest. XXIII. et alibi, eundem ordinem cum S. Doctore sequentes ita, ut prius de ipsa Divina Voluntate, tum de eius obiecto, ac tandem de eius libertate, independentia et efficacitate agamus.

THESIS XXXIV.

a) Deus est volens, seu in Deo est voluntas.
Haec *b)* est infinite perfecta.

PROBATUR.

85. *Quoad 1um.* Unumquodque ens appetit bonum sibi conveniens et in eo hac ratione quiescit, ut, si sit expers cognitionis, id praestet *appetitu non elicito*, sed *mere naturali;* si vero sit cognoscitivum, tendat vel quiescat *appetitu elicito*, qui consequitur formam cognitione apprehensam, quique vocatur *voluntas,* quum talis cognitio est intellectiva. Voluntas enim definitur: *facultas tendendi et quiescendi in bonum intellectu apprehensum tanquam conveniens* (cfr. Psychol. n. 197.). Iam vero Deus, quum sit perfectissime intelligens, immo sit ipsum intelligere subsistens, cognoscit tamquam bonum sibi adaequate conveniens suum Divinum Esse, in eoque delectatur atque plenissime quiescit, quia eius *esse* identificatum cum sua *essentia* est summum atque infinitum bonum adaequate possessum a Deo, utpote cum ipso prorsus identificatum. Ergo Deus est volens seu in Deo formaliter est voluntas (1).

(1) Cfr. S. Th. C. G. c. 72.

Quoad 2um. a) Voluntas in sua formali ratione importat puram perfectionem amandi bonum eoque fruendi. Iamvero quidquid importat puram perfectionem necesse et ut formaliter inveniatur in tota sua plenitudine in eo ente, quod est ipsum esse subsistens. Ergo in Deo, qui est ipsum esse subsistens invenitur formaliter eminenter voluntas, seu voluntas divina est infinite perfecta. *b)* In Deo operatio, potentia operativa, essentia et esse prorsus identificantur et ideo quemadmodum Deus est suum esse et suum intelligere, ita est suum velle. Sed esse divinum est infinite perfectum. Ergo etiam Voluntas et velle Divinum sunt infinite perfecta. *c)* Voluntas, quae amat bonitatem infinitam quantum amabilis est, est infinite perfecta. Atqui voluntas Divina, utpote perfecte adaequata Divinae Bonitati, hanc amat quantum amabilis est, videlicet amore simpliciter infinito. Ergo Divina Voluntas est infinite perfecta.

OBIECTIONES.

86. **Obiect. 1a.** Voluntas est appetitus quidam. Sed omnis appetitus est imperfecti. Ergo, cum in Deo nulla sit imperfectio, videtur quod nec voluntas (1).

Resp. *Dist. mai.* Voluntas est appetitus late dictus, *Conc.*, est appetitus stricte dictus, qui videlicet tendit in rem non habitam, *Subdist.* Voluntas perfectissima, *Nego*, voluntas imperfecta, quae nondum suum obiectum possidet, *Conc. Contrad. min.* Omnis appetitus stricte dictus, *Conc.*, late dictus, *Nego* et *nego conseq.* « Ad primum dicendum, quod « quamvis in Deo dicatur esse voluntas, non tamen conceditur ibi esse « appetitus, quia secundum Augustinum in (Psal. 118. conc. 8.) *appe-« titus proprie est rei non habitae.* Deus autem totum suum bonum « in se habet. Unde nec etiam in nobis proprie voluntas appetitus est, « quando volito coniuncta est. Sed amor est rei iam habitae secundum « Augustinum (ibid.) ». (S. Th. l. c. ad 1.).

Obiect. 2a. Actus voluntatis est tendere in finem, qui est eius obiectum. Sed ei quod est finis ultimus non competit tendere in finem. Ergo cum Deus sit finis omnium, videtur quod sibi voluntas non competat.

Resp. *Dist. mai.* Tendere in finem est actus voluntatis qua talis, *Nego*, est actus illius voluntatis, quae distat a fine, *Conc. Conc. min. Nego conseq.* Recole dicta sub n. 53. et Psych. n. 211.

---

(1) Cfr. S. Th. I. Sent. Dist. 45. q. 1. a. 1.

Obiect. 3ª. Voluntas est movens motum, quia movetur a volito. Sed Deus est primus motor immobilis. Ergo in Deo non est voluntas.

Resp. *Dist. mai.* Voluntas qua talis est movens motum *motu latissime dicto,* qui importat *immanentem operationem, Conc.*, est movens motum *motu minus late dicto,* qui importat *transitum de potentia in actum, Subdist.* Voluntas creata, *Conc.* voluntas increata, *Nego. Contrad. min.* Deus est motor immobilis *immobilitate excludente transitum* de potentia in actum, *Conc., immobilitate excludente perfectionem* operationis immanentis, *Nego* et *nego cons.* (cfr. Phil. Nat. nn. 70. 106.).

Obiect. 4ª. Voluntas est in ratione. Sed ratio nominat obumbratam cognitionem, quia oritur in umbra intelligentiae. Ergo in Deo, qui est perfectissime intelligens, non est voluntas.

Resp. *Dist. mai.* Voluntas humana, *Conc.*, voluntas angelica et divina, *Subdist.* In ratione *stricte* dicta, *Nego,* in ratione *late* dicta, nempe in intellectu, *Conc. Contrad. min. Ratio stricte dicta* nominat obumbratam cognitionem, *Conc., ratio late dicta, Nego* et *nego cons.*

THESIS XXXV.

a) Obiectum primarium Divinae voluntatis est Divina Bonitas, *b)* obiectum autem secundarium est bonitas creaturarum, ita tamen ut Divina Voluntas *c)* unico simplicissimo actu velit seu amet Divinam Bonitatem ratione sui et necessario, *d)* bonitatem vero creaturarum in ordine ad Divinam Bonitatem et liberrime.

PRAENOTIONES.

87. *Obiectum primarium* alicuius potentiae operativae est illud quod primo et ratione sui attingitur ab ea. *Obiectum secundarium* est quod secundario et ratione obiecti primarii attingitur. Porro, quum finis attingatur a voluntate primo et ratione sui, ea vero quae sunt ad finem attingantur ab eadem secundario et ratione finis; eo quod non sunt per se amabilia, sed tantum ratione finis; patet finem esse obiectum primarium voluntatis, ea vero quae ordinem dicunt ad finem esse eius obiecta secundaria. Recolantur quae diximus in Quaest. De Divina Bonitate.

PROBATUR THESIS.

88. *Quoad 1um.* *Obiectum primarium* Divinae Voluntatis est illud, in quo Dei beatitudo consistit, quum beatitudo sit finis ultimus omnis appetitus intellectivi. Atqui beatitudo Divinae Voluntatis consistit in

fruitione Divinae Bonitatis. Ergo obiectum primarium Divinae Voluntatis est Divina Bonitas (1). *Minor* constat ex Quaest. VI. De Bonitate Dei.

Quoad 2um. Obiectum secundarium voluntatis constituitur ex his, quae volumus in ordine ad finem, quia non habent in se amabilitatem seu appetibilitatem, sed unice ratione finis, ita ut in tantum ea aliquis velit in quantum in eis vult et amat finem, quum vel ducant ad finem vel participent de bonitate finis, qui non solum in seipso, sed etiam in aliqua sui similitudine potest esse volitus et amatus. Iamvero creaturae in quantum esse a Deo recipiunt sunt volitae et amatae a Divina voluntate tamquam similitudines plus minusve deficientes Divini Esse et Divinae Bonitatis, ob cuius amorem Deus eis esse conferre decrevit. Ergo bonitas creaturarum, quae in earum *esse* consistit, est obiectum secundarium Divinae Voluntatis.

Quoad. 3um. In ea voluntate nequit esse multiplicitas actuum volitionis, cuius velle est actus purissimus subsistens, videlicet simpliciter infinitus in perfectione, quique proinde realiter identificatur cum voluntate, essentia, et esse volentis. Iamvero huiusmodi est Voluntas Divina, ut ex toto decursu huius tractationis manifestum est. Ergo Voluntas Divina unico simplicissimo actu vult omnia quaecumque vult.

Quoad 4um. Creaturae per hoc quod in esse actuantur et conservantur a Deo et moventur ad ulteriores perfectiones sibi proportionatas, nihil conferunt Divinae Perfectioni, quum Deus sit in seipso infinite perfectus et prorsus immutabilis, utpote actus purissimus seu ipsum esse subsistens. Atqui voluntas non vult necessario ea, sine quibus est perfecte beata, quum nihil conferant perfectionis seu bonitatis volenti. Ergo Voluntas Divina ratione suae omnimodae independentiae ab omni re extrinseca est liberrima ad bona creata volenda vel secus.

Potest tamen Deus ea velle. Etenim bonum est diffusivum sui, non hoc sensu ut debeat, sed ut *possit diffundi* seu possit communicare suo modo aliis perfectionem suam. Iamvero id maxime et eminenter competit Essentiae Divinae, quae est bonum prorsus independens et infinitum, quum sit ipsa Bonitas per se subsistens principium et causa omnis esse et omnis perfectionis. Potest igitur Deus *secundum beneplacitum suae voluntatis* communicare participationem (licet analogicam et deficientem) suae Bonitatis, creando et perficiendo quascumque creaturas voluerit secundum varios gradus imitabilitatis Divinae Essentiae.

(1) Cfr. S. Th. C. G. L. 1. cc. 74. 75.

Id autem non solum posse Deum facere, sed revera fecisse erga creaturas, quae hunc universum constituunt, manifestum est (1).

89. **Quaeres.** *Cur Deus, qui cognoscendo suam Essentiam, eo ipso cognoscit omnia quaecumque habere possunt rationem entis; non velit eo ipso quod amat Essentiam suam, omnia quaecumque habere possunt rationem entis, sed ea tantum velit, quae creare decernit?*

Resp. id pendere ex diversitate rationis secundum quam intellectus et voluntas attingunt suum obiectum. Etenim *intellectus* attingit ens *secundum esse intentionale*, quod habet in intelligente, *voluntas* autem fertur in ens *secundum esse reale,* quod habet in se a parte rei. Et ideo ea tantum entia Divina Voluntas vult, quibus esse et per esse bonitatem conferre decernit.

ANIMADVERSIONES

Ad obiectiones dissolvendas et ad conciliandam immutabilitatem cum libertate divina.

90. I. **Distingue mutationem volitionis a volitione mutationum.** Deus unice et simplicissimo actu suae Voluntatis quo vult et amat suam Essentiam, vult mutationem rerum quas creare decrevit, videlicet vult omnes vicissitudines et mutationes, quae locum habebunt in omnibus rebus mundanis secundum modum proprium naturae earumdem et secundum dispositionem suae divinae providentiae. S. Thomas in 1. p. q. 19. a. 7. loquitur de hac distinctione et simul rationem assignat, cur Divina Voluntas eum ordinem rerum, quem libere decrevit, immutabiliter velit: quia videlicet neque ulla indigentia Divinae Substantiae neque nova cognitio Divino Intellectui supervenire potest ad mutandam electionem Divinae Voluntatis.

II. **Distingue necessitatem absolutam a necessitate ex suppositione seu hypothetica.** Non primo sed secundo modo necessarium est Deum velle quidquid libere decrevit esse. Rem ita declarat S. Thomas (2): « Respondeo dicendum quod necessarium dicitur ali-
« quid dupliciter, scilicet *absolute et ex suppositione.* Necessarium ab-
« solute iudicatur aliquid ex habitudine terminorum, utpote quia prae-
« dicatum est in definitione subiecti, sicut necessarium est hominem
« esse animal, vel quia subiectum est de ratione praedicati, sicut est
« necessarium numerum esse parem vel imparem. Sic autem non est
« necessarium Socratem sedere, unde non est necessarium absolute,

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Verit. q. 23. a. 4.
(2) 1. p. q. 19. a. 3.

« sed potest dici necessarium ex suppositione, supposito enim quod « sedeat, necesse est eum sedere, dum sedet ». Conferatur integer articulus.

III. **Distingue actum Divinae Volitionis entitative et terminative spectatum.** Actus liber Divinae Voluntatis circa volibilia extra se, si *entitative* consideratur, est omnino idem actus, quo Deus vult necessario suam bonitatem, sed distinguitur *ratione ratiocinata* a seipso, quatenus libere *terminatur* ad quaedam volenda extra se. Ex qua distinctione sequitur actum, quo Deus vult libere alia a se esse *entitative absolute necessarium, terminative* autem esse *necessarium hypothetice* seu *ex suppositione;* semper autem esse *immutabilem.*

IV. **Distingue indifferentiam potentiae ad actum ab indifferentia actus perfectissimi ad terminos oppositos** Non prima sed secunda competit libertati Divinae Voluntatis. Prima repugnat immutabilitati volentis, non autem secunda. Rem perspicue declarat Aquinas (Lib. 1. Cont. Gent. cap. 82.).

V. **Distingue requisita ad libertatem qua talem, seu quatenus puram perfectionem importat a conditionibus imperfectae libertatis, cuiusmodi est nostra libertas.**

Quum liberum sit id quod est causa seu ratio suae determinationis; quod perfectissime liberum est, debet esse plenissime causa seu ratio suae determinationis, seu omnimode independens ab extrinseco. Id unice competere Divinae Voluntati superius demonstravimus. Quoniam autem omnis suspensio vel haesitatio electioni praevia, quaelibet mutatio unius determinationis in aliam (quae *volubilitas* voluntatis appellari solet), omnisque successio volitionum arguant imperfectionem in volente, nempe ignorantiam, processum de potentia in actum in cognoscendo, atque multiplicem ab extrinseco dependentiam, necesse est ut haec omnia a liberrimo Divinae Voluntatis actu prorsus removeantur.

Quapropter non solum non repugnat sed prorsus exigitur a perfectione divinae libertatis, ut nullum adsignari possit instans, in quo Divina Voluntas fuerit suspensa et quasi haesitans circa electionem eorum extra se, quae libere producere elegit; sed omnino asserendum est Divinam Voluntatem, aeternaliter immutabiliter atque liberrime unico simplicissimo actu, quo diligit bonitatem suam, elegisse hunc rerum creatarum et creandarum ordinem prae infinitis aliis, quos aeque eligere potuisset; atque ita elegisse, ut potuisset nullius rei extra se existentiam eligere.

OBIECTIONES.

Contra secundam partem Thesis.

91. **Obiect. 1ª.** Velle divinum est eius esse. Sed Deus non est aliud a se. Ergo non vult alia a se.

Resp. *Dist. mai.* Velle divinum est idem *re* cum esse divino, *Conc.*, est idem ratione ratiocinata, *Nego. Conc. min.* et *nego cons.*

Obiect. 2ª. Volitum movet volentem, sicut appetibile appetitum. Atqui Voluntas Divina nequit moveri ab aliquo alio extra Deum. Ergo Deus nequit velle aliquid aliud a se.

Resp. *Dist. mai.* Volitum primarium seu finis, *Conc.*, volitum secundarium quod amatur in ordine ad finem, *Subd.* Ratione sui, *Nego*, ratione finis, *Conc. Conc. min. Nego conseq.* (1).

Obiect. 3ª. Cuicumque volenti sufficit aliquid volitum, nihil quaerit extra illud. Sed Deo sufficit sua bonitas, et Voluntas eius ex ea satiatur. Ergo Deus non vult aliquid aliud extra se.

Resp. *Dist. mai.* Ita ut extra volitum ipsi adaequatum non quaerat aliud necessario, *Conc.*, non quaerat aliud *libere* et *ex amore* voliti adaequati seu finis, *Nego. Conc. min. Dist. conseq.* Deus non vult *necessario* aliquid extra se. *Conc.*, Deus non vult *libere* et ex amore *suae bonitatis* aliquid extra se, *Nego.*

Obiect. 4ª. Actus voluntatis multiplicatur secundum volita. Sed actus divinae voluntatis, quum sit purissimus, nequit multiplicari. Ergo Deus nequit velle alia extra se.

Resp. *Dist. mai.* Si plura volita *formaliter* multiplicentur, *Conc.*, si multiplicentur tantum *materialiter*, *Nego. Contrad. min.* Nequit multiplicari *entitative*, *Conc.*, nequit multiplicari *terminative Subdist.* Quatenus nequeat habere alium finem quam suam bonitatem, *Conc.*, quatenus nequeat *terminari* ad alia volita propter amorem suae bonitatis, *Nego. Nego conseq.* (2).

Obiect. 5ª. Ea quae sunt ad finem non quaeruntur nisi propter finem. Ergo, habito fine, non est ulterius voluntas eorum quae sunt ad finem. Sed omnium creaturarum finis est Divina Bonitas, quae in ipso Deo ab aeterno est. Ergo videtur quod ad ea, quae sunt extra ipsum Voluntas Dei non se extendat.

Resp. *Dist. mai.* Quaeruntur propter finem vel adsequendum vel communicandum aliis atque eis manifestandum, *Conc.*, quaeruntur sem-

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 19. a. 2. ad 2. et I. Sent. Dist. 45. q. 1. a. 2. ad 2.
(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 19. a. 2. ad 4.

per propter finem adsequendum, *Nego. Dist. 1. conseq.* Habito fine non est ulterius voluntas eorum, quae sunt ad finem, si haec quaerantur ad assequendum finem, *Conc.*, si quaerantur ad propriam bonitatem communicandam vel manifestandam, *Nego. Conc. min.* et *nego conseq.*

Contra tertiam partem Thesis.

Obiect. 1[a]. Omne aeternum est necessarium. Sed quidquid Deus vult, ab aeterno vult, alias voluntas eius esset mutabilis. Ergo quidquid Deus vult, ex necessitate vult.

Resp. *Dist. mai.* Omne aeternum est necessarium vel *absolute* vel *ex suppositione*, *Conc.*, tantum *absolute*, *Nego. Conc. min. Nego. cons.* (1).

Obiect. 2[a]. Deus vult alia a se, inquantum vult bonitatem suam. Sed Deus bonitatem suam ex necessitate vult. Ergo alia a se ex necessitate vult.

Resp. *Dist. mai.* Si τὸ *inquantum* significat *propter* bonitatem suam *Conc.*, si τὸ *inquantum* significat *eodem modo* quo vult bonitatem suam *Nego. Conc. min. Nego. conseq.*

Obiect. 3[a]. Quidquid est Deo naturale, est necessarium. Sed naturale est ei quidquid vult; quia in Deo nihil potest esse praeter naturam. Ergo quidquid Deus vult, ex necessitate vult.

Resp. *Dist. mai.* Si τὸ *naturale* importat quidquid non est contrarium naturae divinae, *Nego,* si τὸ *naturale* importat quidquid est *entitative* in Deo, *Conc. Contrad. min.* Deo est naturale velle quidquid vult, hoc sensu quod hoc est ei voluntarium ac proinde non est ei innaturale, *Conc.*, hoc sensu, quod Entitas Divina sit determinata ad alia a se volenda, *Nego. Conc. rat. addit. Nego conseq.*

Obiect. 4[a]. *Non necesse esse et possibile non esse* aequipollent. Si igitur non necesse est Deum velle aliquid eorum quae vult, possibile est eum non velle illud, et possibile est eum velle illud quod non vult. Ergo Voluntas Divina est contingens ad utrumlibet: et sic imperfecta: quia omne contingens est imperfectum et mutabile.

Resp. *Dist. antec. Non necesse esse* et *possibile non esse* aequipollent, ita tamen ut semper importent potentialitatem ex parte principii, *Nego*, ita ut aliquando importent perfectissimam actualitatem ex parte principii et contingentiam ex parte termini, *Conc. Contrad. sequel. conseq.* Si possibilitas volendi aut nolendi aliquid importaret ex parte Divinae voluntatis potentialitatem et transitum de potentia in

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 19. a. 3. ad 1.

actum, *Conc.,* si importat tantum contingentiam terminorum, quos actus simplicissimus Divinae Voluntatis libere vult, *Nego* et *nego 2. conseq.*

Obiect. 5ª. Quod est ad utrumlibet non sequitur aliqua actio nisi ab aliquo alio inclinetur ad unum. Si ergo Voluntas Dei in aliquibus se habet ad utrumlibet, sequitur quod ab alio determinatur ad effectum, et sic habet aliquam causam priorem.

Resp. *Dist. antec.* Si eius indeterminatio sit *passiva*, *Conc.*, si sit *activa*, *Nego*, quia talis indeterminatio importat perfectionem, nempe virtutem intrinsecam seipsum determinandi ad unum potius quam ad aliud. « Ad quintum dicendum quod causa, quae ex se est contingens « oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed vo- « luntas divina, quae ex se necessitatem habet, determinat seipsam « ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam » (1).

Obiect. 6ª. Quidquid Deus scit, ex necessitate scit. Sed sicut scientia divina est eius essentia, ita Voluntas Divina. Ergo quidquid Deus vult, ex necessitate vult.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Scientia et voluntas divina sunt idem *re* cum Divina Essentia, *Conc.*, sunt idem *re* et *ratione, Nego. Dist. cons.* Quidquid Deus vult, vult *ex necessitate* sive *absoluta* sive *hypothetica*, prouti est *primarium* vel *secundarium* obiectum Divinae Voluntatis, *Conc.,* tantum *necessitate absoluta, Nego.*

92. **Quaeres.** *Utrum Voluntas Divina sit causa rerum?*

Resp. *Affirmative.* Etenim *a)* Deus est causa suprema. Ergo quatenus est *causa* agit propter finem; quatenus est *causa suprema* nequit agere propter finem tantum *executive*, sed *directive*. Porro quod agit propter finem *directive* agit per intellectum et voluntatem; quia intellectu debet cognoscere finem et proportionem mediorum ad finem, et voluntate imperare debet operis exsecutionem. Ergo Voluntas Dei est causa rerum. *b)* Deus libere operatur ad extra, ut superius demonstravimus. Sed agens liberum, agit per voluntatem libere se determinantem od opus. Ergo Deus per suam voluntatem causat res. Caetera conferantur apud S. Thomam 1. p. q. 19. a. 4.

---

(1) 1. p. q. 19. a. 3. ad 5.

THEOLOGIA NATURALIS

PARS QUARTA
DE DIVINIS OPERATIONIBUS AD EXTRA

QUAESTIO X.
DE CREATIONE.

CAPUT I.
DE DIVINA POTENTIA ET OPERATIONE AD EXTRA.

93. **Potentia operandi aliquid extra se est in Deo.** Etenim, quum talis potentia sit pura perfectio et inveniatur aliqualiter etiam in creaturis, necesse est eam inveniri in Deo *secundum verissimam sui rationem* et in tota latitudine suae perfectionis, videlicet seclusis omnibus imperfectionibus seu limitationibus quibus coarctatur in creaturis. Immo, quum demonstratum a nobis fuerit in Quaestione II. Deum esse causam supremam omnium rerum secundum totam entitatem earum, necesse est admittere in eo potentiam activam operandi extra seipsum prorsus independentem et infinitam, qualis requiritur ad producendum ens in quantum ens. Talis enim est proprius effectus illius causae quae est ipsum esse subsistens. S. Thomas (1) praeclare demonstrat Dei potentiam esse infinitam, Deumque esse omnipotentem, quia potest facere quidquid quocumque modo habere potest rationem entis producti, videlicet quidquid non implicat contradictionem in sui conceptu. (Cfr. Ontol. Th. 35.).

94. **Discrimen inter potentiam Divinam et potentiam creatam.** Quum potentia operandi aliquid extra se dicatur analogice de divina et de creata, secernendum est id, quod eius formalis ratio importat, ab imperfectionibus, quae in eius limitata participatione inveniuntur. Itaque ad eius rationem formalem requiritur et sufficit, ut

(1) 1. p. q. 25. aa. 2. et 3.

potentia huiusmodi sit *principium causativum effectus*. Talis enim ratio importat merum actum et nullam imperfectionem potentialitatis.

Quapropter in creaturis, in quibus non solum *potentia operativa* distinguitur realiter ab *essentia*, sed etiam ipsa *actio* distinguitur realiter a *potentia operativa*, haec est *principium causativum tum actionis tum effectus*, estque semper admixta potentialitati, quum supponat transitum de potentia in actum. In Deo autem, in quo *essentia, potentia* et *actio* realiter identificantur, quum Deus sit ipsum esse subsistens, *potentia operativa ad extra* non est principium actionis, *sed est tantum principium effectus*, et idcirco est in Deo secundum totam suam perfectionem (1).

95. **Habitudo potentiae activae divinae ad divinam scientiam et voluntatem**. In creaturarum productione et gubernatione scientia divina est dirigens, voluntas est imperans atque potentia est exsequens. Quum Enim Deus operetur ad extra non ex necessitate naturae sed ex libertate consilii sui, eius potentia infinita non producit omnes effectus, quos producere potest, videlicet infinitos sive specie sive numero; sed, ut competit independenti et liberrimo agenti ad opus intellectu praeconceptum libere se per voluntatem determinanti, producit absque ulla sui immutatione effectus ad extra eo modo et ordine atque in ea temporis differentia, quae aeternum consilium Divinae Voluntatis liberrime determinavit. Et ideo omnes effectus Dei tribuuntur tamquam causae efficienti Divinae Voluntatis imperio, quia divina potentia terminatur ad producendos effectus, quos producit, ex imperio Divinae Voluntatis. Propterea ait Psalmista (Ps. 148.): « Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt » (2).

96. **Discrimen inter actionem transeuntem Dei et actionem transeuntem creaturae. Haec est formaliter transiens; divina autem est formaliter immanens et virtualiter transiens.**

Quemadmodum *potentia activa* dicitur analogice de divina et de creata; sic etiam *ipsa actio effectiva ad extra*, quae vocatur *actio transiens,* dicitur analogice de actione Dei et de actione creaturae, ita ut a divina removeantur omnes imperfectiones et limitationes, quae coarctant actionem creaturae, tum ex parte principii, tum ex parte termini.

Ex parte quidem termini, quia actio creaturae limitatur ad agendum in aliquod subiectum praeexistens, quum creatura non agat nisi per motum, transmutando; actio autem Dei, qui est ipsum esse subsistens, quum extendatur ad ens in quantum ens, non limitatur ad

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 25. a. 1. ad 3.
(2) Cfr. S. Th. II. Sent. Dist. 1. q. 1. a. 5. ad 11.

agendum in aliquod subiectum praeexistens, sed producere valet totam entitatem rei, videlicet potest *creare*, etenim: *creare est producere aliquid ex nihilo sui atque subiecti.*

Ex parte etiam principii actio divina eminenter excedit perfectione sua actionem creaturae. Nam praeter quam quod creatura nequit operari quidquam independenter ab influxu causae primae; eius *actio transiens*, utpote distincta realiter a potentia operativa, est *formaliter transiens*, atque subiectatur in patiente, ita ut idem motus sit *agentis* ut *a quo* et *patientis* ut *in quo*, atque proinde actio creaturae est praedicamentalis (cfr. Cosmol. Th. 26.).

Actio vero Divina quae realiter indentificatur cum divina potentia, divino velle et divino esse, est *formaliter immanens*, ut est immanens divina volitio; est autem tantum *virtualiter transiens*, quia divina volitio, propter infinitam suam efficaciam absque ulla sua immutatione et absque motu causat res, quascumque voluerit, easque conservat. Idcirco actio divina ad extra non est praedicamentalis sed transcendens atque vocatur *virtualiter eminenter transiens*. « Divina actio non potest « esse de genere illarum actionum, *quae non sunt in agente*, cum sua « actio sit sua substantia; oportet igitur, quod sit de genere illarum « actionum, quae sunt in agente et sunt quasi perfectio ipsius ». S. Th. Cont. Gent. Lib. II. c. 23.

Corollarium. *Ex dictis quisque intelliget quo sensu actio praedicamentalis dicatur importare aliquid fluens, seu aliquem effluxum ab agente;* quia nempe importat aliquid medium inter potentiam et suum effectum; videlicet ita procedit tamquam a suo principio ab agente, a cuius potentia realiter distinguitur, ut subiectetur in patiente, ceu motus in mobili et in eo terminetur, educendo de eius potentia formam similem formae secundum quam agens agit. Actio vero divina, quum non importet aliquid medium inter divinam potentiam et suum effectum (identificatur enim cum ipsa Divina Essentia), non importat aliquid fluens ab agente, et ideo dici nequit *formaliter transiens*, sed *virtualiter* tantum (1).

CAPUT II.

NOTIONES DE CREATIONE (2).

97. **Creatio est productio rei ex nihilo sui et subiecti.** Creatio dicitur productio rei ex nihilo sub duplici respectu: 1° quia negat ordinem ad aliquid praesuppositum, ex quo tamquam ex causa mate-

(1) Cfr. S. Th. I. Sent. Dist. 8. q. 4. a. 3. ad 3.
(2) Cfr. S. Th. 1. p. qq. 44. 45.

riali res fiat: et in hoc differt ab alteratione, augmento, generatione, aliisque mutationibus et productionibus, quae praesupponunt causam materialem, nempe subiectum; 2° quia affirmat ordinem ad nihil praeexistens, quasi dicatur non esse rei creatae praecessisse eius esse, non quidem prioritate temporis sed prioritate naturae; ita ut res creata, si sibi relinquatur, consequatur non esse, cum esse non habeat nisi ex influentia causae superioris, seu Dei. Unde *terminus a quo* creationis est *nihil; terminus ad quem* est res subsistens secundum totam suam substantiam (1); adeoque in creatione non habet locum ulla successio vel mutatio, in quibus terminus a quo non esset nihil, sed aliquod subiectum praeexistens, v. gr. cum ferrum fit successive calidum. Itaque sic fusius describi potest creatio: *productio qua res secundum totam suam substantiam fit, nullo praesupposito subiecto, ex quo, tamquam ex causa materiali, efficiatur.*

98. **Creatio dividi potest in activam et passivam.** *Creatio activa* est ipsa actio, qua Deus rem producit ex nihilo. Quae actio dicitur formaliter immanens et virtualiter transiens (cfr. n. 94.).

Creatio passiva accepta nihil aliud est realiter quam *relatio dependentiae* rei secundum suum esse ad Deum tamquam ad causam eius. « Non enim (ait S. Th. C. Gent. L. 2. c. 18.) creatio est mutatio, sed est « ipsa *dependentia esse creati* ad principium, a quo instituitur ». Quum autem mundus conditus fuerit in tempore, additur *cum novitate essendi.* Ideo S. Th. in qq. dd. de potent. q. 3. art. 3. ad 6. ait: « Creatio « importat relationem praedictam cum novitate essendi ».

Relatio haec est realis in creatura, est rationis in Deo. Est *realis* in creatura. Nam nihil deest ex iis quae requiruntur ad relationem realem. Siquidem 1° dantur duo termini reales, Deus et creatura. 2° Hi termini sunt inter se realiter distincti: 3° fundamentum relationis est reale in creatura; est enim *ipsum eius esse* a Creatore acceptum: est *rationis* in Deo, cui ex creatione nihil realitatis seu perfectionis superadditur (cfr. Ontol. n. 124.).

CAPUT III.

Brevis refutatio Pantheistarum, qui negantes mundum esse distinctum a Deo, consequenter negant ipsam creationem.

99. I. Entia, quae habent praedicata essentialia prorsus opposita, sunt omnino ab invicem distincta. Atqui Deus et res mundanae, sive singillatim sive collective sumptae habent praedicata prorsus oppo-

(1) Cfr. 1. p. q. 45. art. 4.

sita. Ergo sunt omnino distincta. *Minor* constat ex praecedentibus Quaestionibus et praesertim ex Quaest. 2. et 3. Et sane, res mundanae, sive singillatim sive collective sumptae, sunt essentialiter mobiles, causatae, contingentes, limitatae in perfectionibus, quas deficienter et divisim participant. Iamvero Deus est primum movens immobile, suprema causa non causata, ens necessarium, plenitudo subsistens omnium perfectionum, supremum intelligens ordinator et effector totius universi, actus purissimus seu ipsum esse subsistens. Ergo Deus et mundus sunt ab invicem omnino distincti. Ergo turpiter falluntur pantheistae, qui Deum ab universo mundo haudquaquam distingui blaterant.

II. Insuper absurda est sententia quae *a)* confundit infinitum ex parte actus cum infinito ex parte potentiae; *b)* confundit notionem substantiae, quae definitur essentia cui competit esse per se, idest non in alio tamquam subiecto, cum notione ipsius entis a se, quod existit ex necessitate suae essentiae, quum sit ipsum esse subsistens; *c)* confundit ens communissimum, quod in sola abstractione mentis in sua analogica communitater intentionaliter existit, cum ente reali undequaque perfecto et actualissimo, videlicet cum ipso esse per se subsistente. Atqui huiusmodi est theoria pantheistica secundum varias suas formas, quae reduci possunt *ad obiectivum pantheismum Spinozae* confundentis notionem substantiae praedicamentalis (quae est ens ab alio per se seu in se subsistens) cum ente increato (quod est ens a se, virtute suae essentiae subsistens), et *ad subiectivum pantheismum Transcendentalium* et *Ontologorum* confundentium conceptus subiecti cogitantis cum obiectiva rerum existentia, atque ens communissimum, quod in sua transcendenti communitate non existit nisi intentionaliter, cum ipso ente supremo in seipso subsistente, quod est actus purissimus seu ipsa plenitudo omnis purae perfectionis subsistens. Cfr. Ontol. n. 19. Coroll. 1. et 2. et n. 26. ad Obiect.

OBIECTIONES PANTHEISTARUM.

100. **Obiect. 1ª.** Ens infinitum carere debet limitibus. Sed quod caret limitibus, nihil admittit extra se. Ergo cum Deus sit infinitus, nihil existere potest extra ipsum.

Resp. *Dist. mai.* Ens infinitum ex parte potentiae, *Nego,* ens infinitum ex parte actus, *Subdist.* Carere debet limitibus in perfectione, *Conc.*, carere debet limitibus quantitativis, *Nego suppositum*, quia tale ens neque esset infinitum in perfectione neque esset possibile (1). *Con-*

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 7. a. 3.

trad. min. Quod caret limitibus in perfectione, *Nego,* quod caret limitibus quantitativis, *Subdist.* Nihil admitteret eiusdem ordinis extra se, in hypothesi caeteroquin absurda, quod dari possit corpus actu infinitum in magnitudine, *Conc.* nihil admitteret diversi ordinis, *Nego.* Substantia enim spiritualis esse potest in eodem loco cum corpore, ut suo loco demonstravimus (cfr. Quaest. VIII. De Ubiquitate Dei). *Nego conseq.*

Difficultas male confundit infinitatem ex parte actus, quae importat actum purissimum subsistentem, cum infinitate ex parte potentiae in genere quantitatis, quae a parte rei dari nequit. nisi corpus extensum existat sub determinatis limitibus quantitativis semper ulterius divisibile in potentia (cfr. Ontol. n. 91. et Cosmol. n. 54.). Insuper haec obiectio pluribus falsis suppositionibus innititur. Supponit enim *a)* non repugnare corpus actu infinitum: supponit *b)* res diversi ordinis non posse simul in eodem loco existere: cuius suppositionis falsitas vel ex eo apparet, quod ipsae formae materiales diversi generis possunt esse simul; sic in eadem parte corporis praeter formam substantialem adsunt plures formae accidentales diversorum generum, puta quantitas, calor, color, sapor étc.

Si tamen aliquis negaret existere posse quidquam extra Deum hoc sensu, quod Deus, quin veniat in compositionem cum suis effectibus, est ubique praesens ratione immediatae suae operationis, quae identificatur cum sua simplicissima essentia; recte loqueretur, et longe abesset ab errore pantheistarum. Hanc enim veritatem, quam nos demonstravimus in quaest. VIII. agentes *de ubiquitate Dei,* ipsa Sacra Scriptura saepe docet. Sic Deus ipse per Ieremiam ita loquitur: (Ierem. XXIII. 24.): « Numquid non coelum et terram ego impleo? dicit Dominus ». Et S. Paulus loquens de Deo (Act. XVII. 28.) ait: « In ipso vivimus et movemur et sumus ».

Obiect. 2ª. Si Deus differret a mundo, differret ab eo per aliquam differentiam. Atqui quae differentiis differunt, sunt limitata ad aliquam speciem. Ergo Deus, cuius essentia non est limitata ad ullam speciem, non differt a mundo.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Deus differret a mundo per aliquam differentiam proprie dictam, *Nego,* per differentiam improprie dictam, idest per puritatem sui esse, vi cuius est totaliter a mundo distinctus, *Conc. Contrad. min.* Quae differunt ab invicem per differentias proprie dictas, sunt limitata ad aliquam speciem et sunt sub eodem genere praedicamentali, *Conc.*, quae sunt totaliter diversa, *Nego.* Haec enim conveniunt tantum in analogica ratione entis.

Obiect. 3ª. Si Deus distingueretur a mundo, plus esset perfectionis

in Deo et in mundo simul sumptis, quam in solo Deo. Atqui Deus debet habere omnem perfectionem. Ergo Deus non distinguitur a mundo.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Esset plus perfectionis *intensive*, *Nego*, esset plus perfectionis *extensive Subdist.* Si nomen *perfectio* sumatur analogice secundum proportionalitatem, idest *in sensu formali communi*, *Conc.*, si nomen *perfectio* sumatur analogice secundum attributionem, *idest in sensu formali eminenti*, *Nego;* quia sic accepta dicitur intrinsece solum de Deo, utpote principe analogato, de aliis autem analogatis dicitur tantum per extrinsecam denominationem; (confer Logic. n. 34. et Ontol. n. 48.). *Contrad. min.* Deus debet habere omnem puram perfectionem in tota latitudine, idest *eminenter* et *infinite, Conc.*, debet habere etiam deficientes participationes perfectionum ab ipso causatas in creaturis, *Nego. Nego conseq.* Solutio patet ex saepe dictis tum in Philosophia Prima, ubi egimus de analogia entis, praesertim in Thesi 10. tum in praesenti tractatu praesertim sub nn. 40. 43. Itaque valde longe abest, ut perfectiones creaturarum addi possint perfectionibus divinis ad faciendum plus perfectionis. Etenim cum ea nequidem connumerari possunt. Quapropter si scientia discipuli addita scientiae magistri humani non dat intensive plus perfectionis scientificae, quamvis *univoce* conveniant; infinite minus perfectio creaturarum, quae se habet ad perfectionem divinam ut inferius analogatum ad princeps analogatum, huic addi potest ita ut ex earum coniunctione resultet plus perfectionis.

Obiect. 4ª. In tantum dicitur mundus realiter distingui a Deo, in quantum habent characteres oppositos. Atqui characteres oppositi non repugnant eidem subiecto sub diversis respectibus, sicut cum idem homo est pelle niger et albus dentibus. Ergo ex argumento adversariorum non refutatur pantheismus.

Resp. *Dist. mai.* Quia characteres stricte dictos habent oppositos, *Conc.*, quia habent tantum oppositos quosdam characteres late dictos, *Nego. Contrad. min. Characteres late dicti*, seu quaedam accidentia compossibilia cum essentia subiecti, huic non repugnant sub diversis respectibus, *Conc.*, *characteres stricte dicti*, quorum oppositi repugnant ipsi essentiae subiecti, *Nego. Nego conseq.*

Characteres stricte dicti sunt constitutivi ipsius essentiae subiecti et ideo eorum oppositi destruunt ipsam essentiam rei. Unde impossibile est ut eidem subiecto quocumque modo convenire possint. Tales sunt ex. gr. essentia corporea et essentia incorporea, contingens et necessarium, ens a se et ens ab alio, actus purissimus et ens compositum. Et ideo quum haec sit oppositio quae viget inter characteres

proprios Dei et characteres proprios mundi, impossibile est ut eidem subiecto secundum diversos respectus conveniant.

Obiect. 5ª. Non repugnat ut aliquid sit simul ens a se et ab alio. Etenim omnia entia finita constant ex aliquo *esse* et *non esse*. Sed entia finita reducuntur ad ens infinitum. Ergo in hoc poterit multo magis verificari simul esse et non esse et ideo quod sit simul ens a se et ab alio.

Resp. *Nego assert.* Ad probat. *Dist. mai.* Omnia entia finita constant ex actu et potentia subiectiva, *Conc.*, constant ex aliquo esse et ex eiusdem negatione, *Nego. Dist. min.* Reducuntur ad ens infinitum tamquam in causam efficientem supremam omnis perfectionis, quam hoc ens eminenter possidet, *Conc.*, tamquam in causam materialem vel formalem aut univoce efficientem, *Nego. Nego conseq.*

Obiectio perperam confundit negationem entis cum parte potentiali seu cum potentia subiectiva entis compositi. Ens finitum non limitatur per nihilum, sed ratione suae compositionis, ad quam consequitur negatio ulterioris perfectionis. Quum enim ens compositum resultare debeat ex potentia subiectiva et actus, actus autem limitetur per potentiam realem in qua recipitur (ut demonstravimus in Ontol. n. 82.), necesse est ens compositum esse limitatum. Id autem quam longe absit ab assertione adversariorum, qui dicunt entia finita constare ex esse et non esse quisque videt.

Obiect. 6ª. *Esse* abstractissime inspectum est maxime indeterminatum. Sed *non esse* est maxime indeterminatum. Ergo esse confunditur cum non esse.

Resp. 1° Hanc obiectionem peccare contra 4. et 5. legem Syllogismi. Contra 4. quia medius terminus sumitur bis particulariter, contra 5. quia ambae praemissae sunt aequivalenter negantes. Porro: aut semel aut iterum medius generaliter esto (reg. 4.). Utraque si praemissa neget nil inde sequetur (reg. 5.). Cfr. Logic. n. 127.

Resp. 2° *Dist. mai. Esse* abstractissime acceptum est maxime indeterminatum in ordine positivo seu affirmationis, *Conc.*, in ordine negativo, seu negationis, *Nego. Dist. min. Non esse* est maxime indeterminatum in ordine negationis, *Conc.*, in ordine affirmationis, *Nego. Nego conseq.* Hae indeterminationes sunt ordinis omnino diversi: una in sua confusa ratione importat positivam realitatem, alia negat omnem realitatem. Unde nequaquam convenire possunt in eodem subiecto.

Obiect. 7ª. Quidquid est praeter ens, est nihil. Sed ens et unum convertuntur. Ergo quidquid est praeter unum, est nihil, et ideo non datur nisi unum ens *(sophisma Parmenidis)*.

Resp. *Dist. mai.* Quidquid est praeter omne ens est nihil, *Conc.*,

quidquid est praeter singulare aliquod ens est nihil, *Subdist.* Est nihil illius determinati entis, videlicet non est illud ens, *Conc.*, est purum nihilum, *Nego. Conc. min. Dist. conseq.* Quidquid est praeter unum est nihil illius unius, videlicet non est illud unum determinatum, *Conc.*, non est aliquod aliud unum, *Nego.*

THESIS XXXVI.

a) Mundus a Deo conditus est per creationem, idest ex nihilo sui et subiecti; *b)* qui modus effectionis non solum non repugnat, sed est maxime et exclusive proprius Causae Supremae omnis entis.

PROBATUR PRIMA PARS.

101. Haec pars iam demonstrata est a nobis in Quaestione 2. Etenim mundum fuisse conditum a Deo per creationem, idest ex nihilo sui et subiecti, importat *omnia entia mundana eorumque intrinseca constitutiva* utpote *mobilia, contingentia*, et *finita* in suis perfectionibus fuisse producta secundum totam suam entitatem a *Causa subsistente suprema, immobili, necessaria, infinite perfecta, intelligente, adaequate a suis effectibus distincta*, quam vocamus *Deum.* Atqui in quaestione II. demonstravimus omnia entia mundana eorumque intrinseca constitutiva utpote mobilia, contingentia et in suis perfectionibus finita, fuisse producta secundum totam suam entitatem a Causa subsistente suprema, immobili, necessaria, infinite perfecta, intelligente, adaequate a mundo distincta. Ergo mundus a Deo conditus est ex nihilo sui et subiecti idest per creationem (1).

PROBATUR SECUNDA PARS.

102. Aliquis modus effectionis tunc repugnat, cum per eum non adsignatur effectui proportionata causa. Atqui huic effectioni, quae dicitur creatio seu productio rei ex nihilo sui et subiecti, adsignatur proportionata causa, quum ei adsignetur causa universalis omnis entis contingentis in quantum huiusmodi. Ergo creatio non repugnat. Quin imo non solum non repugnat, sed hic modus effectionis est maxime et exclusive proprius Causae Supremae omnis entis contingentis, ut patebit ex sequentibus argumentis.

I. Creatio est productio entis in quantum ens, idest secundum omnia intrinseca constitutiva entis. Atqui hic est effectus maxime proprius

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 44. aa. 1. et 2. et Cont. Gent. lib. 2. capp. 16. et 21.

et proportionatus causae universalis et supremae, cuius efficientia, si limitaretur ad aliquam partem entis, esset simul universalis et suprema et non esset, quum daretur aliquod existens extra ipsam quod non fuisset productum ab ea. Id autem in Quaestione II. demonstravimus esse falsum. Ergo creatio est effectio maxime propria causae universalis.

II. Insuper unumquodque agit secundum quod est actu per propriam formam. Atqui causa universalis est ipsum esse subsistens, ut demonstravimus in Quaestionib. II. et III. Ergo eius effectus proprius est ipsum esse omnium rerum, videlicet est id per quod unumquodque est ens in quantum ens. Id autem non verificaretur si eius propria effectio praesupponeret subiectum praeexistens. Ergo.

III. Si Causa Suprema in sua effectione requireret subiectum praeexistens, ut ipsum sua actione effectrice tantum immutaret seu ulterius perficeret sive perfectione substantiali sive perfectione accidentali; huiusmodi subiectum deberet esse ens necessarium et independens in essendo, utpote existens vi suae essentiae, et simul esse ens mutabile et maxime passivum, utpote subiectum omnium mutationum, quas in eo Causa Suprema produceret. Atqui haec duo e diametro opponuntur. Nam ens necessarium et independens in essendo est omnino immutabile et simplex in sua subsistentia, videlicet est actus purissimus subsistens, sicut demonstravimus in Quaestionib. II. et III. Subiectum autem omnium mutationum est maxime potentiale seu passivum et dependens. Ergo omnino repugnat Causam Supremam non producere ipsum primum subiectum omnium mutationum sive substantialium sive accidentalium.

IV. Superius argumentum ita confirmari potest. Si Causa Prima non produceret ens contingens ex nihilo sui et subiecti, videlicet ipsum primum subiectum omnium mutationum, impossibilis esset quaecumque alia effectio, quae praesupponit subiectum praeexistens. Atqui falsum est consequens, quia dantur iuges generationes tum substantiales tum accidentales. Ergo etiam antecedens est falsum. *Probatur sequela maioris.* Omnes effectiones quae praesupponunt subiectum existens reducuntur ad generationes substantiales et accidentales, quarum primae ita immutant subiectum, ut novum actum primum in puram potentiam subiectivam inducant, corrumpendo substantiam praecedentem et novam generando; secundae autem substantiam ita alterant et modificant, ut varias in ea formas accidentales inducant. Atqui si primum subiectum mutationum esset improductum; eo ipso esset necessarium, immutabile, independens in essendo, videlicet esset purus actus subsistens. Ergo si Causa Prima non produceret ipsum primum subiectum

omnium mutationum, esset impossibilis quaecumque effectio inferioris ordinis, quae supponit subiectum aliquod praeexistens.

Hac de causa S. Thomas sapientissime saepe asserit: quemadmodum operatio artis praesupponit operationem naturae, ita operationem naturae praesupponere creationem, nempe effectionem exclusive propriam Causae Primae, quae producit ens ex nihilo sui et subiecti (1).

SCHOLION.

De effato: EX NIHILO NIHIL FIT.

103. Effatum: *ex nihilo nihil fit* aequivocum est et ideo distingui debet:

a) Si sensus sit: *Ex nihilo causae efficientis nihil fit,* verum est. Nam ad aliquid producendum requiritur causa efficiens proportionata.

b) Si sensus sit: *Ex nihilo subiecti praeexistentis nihil fit*, verum est, si agatur *de causa particulari* seu *finita*, quae quum habeat virtutem activam limitatam et participatam, atque agat per motum, non potest producere ens in quantum ens, idest ens secundum omnia eius intrinseca constitutiva; sed tantum per mutationem proprie dictam potest ex potentia passiva subiecti praeexistentis educere aliquam formam sive substantialem sive accidentalem specifice aut saltem generice similem formae secundum quam agit, neque id potest independenter a supremo et universali agente, nempe Deo. Falsum autem est effatum hoc sensu acceptum, si agatur *de causa universali et infinite perfecta*. Haec enim quum habeat virtutem activam illimitatam, independentem et realiter identificatam cum actu purissimo seu ipso esse per se subsistente, est *causa entis in quantum entis* et ideo eius effectus maxime proprius est producere ens secundum omnia eius intrinseca constitutiva, videlicet *producere aliquid ex nihilo sui et subiecti*, quod est *creare* (2).

c) Tandem si sensus sit: *non solum ex nihilo subiecti sed etiam ex nihilo sui nihil fit*, effatum est falsum non solum de causa efficiente universali, sed etiam de causis efficientibus particularibus. Etenim etiam hae sub influxu Causae Primae aliquid realiter producunt, quod non erat. Realiter enim producunt in subiecto novam formam sive substantialem sive accidentalem, quae in eo non praeexistebat, et ita producunt nova composita, sive substantialia, puta plantas vel animalia, sive accidentalia puta statuam vel domum. Revocentur in mentem ea quae diximus de eductione formarum de potentia materiae (Cosmol. Th. 16.).

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Pot. q. 3. a. 1.
(2) Cfr. S. Th. C. G. L. 2. c. 21.

OBIECTIONES.

104. **Obiect. 1ª**. Ex nihilo nihil fit. Ergo impossibilis est creatio, quae definitur productio rei ex nihilo.

Resp. *Dist. antec. Ex nihilo* causae efficientis, *Conc.* Nam nisi praeexistat causa efficiens non poterit produci effectus. *Ex nihilo subiecti praeexistentis*, *Subdist.* A causa particulari seu finita, *Conc.*, a causa universali et infinita, *Nego. Nego conseq.*

Obiect. 2ª. Causa universalis creando producere deberet ens in quantum ens. Atqui ens in quantum ens, quum sit notio quaedam transcendens non potest existere a parte rei. Ergo nequit admitti creatio.

Resp. *Dist. mai.* Causa universalis creando deberet producere ens in quantum ens hoc sensu, quod deberet producere ens secundum omnia intrinseca constitutiva entis, nempe materiam et formam, *Conc.*, hoc sensu quod deberet producere rationem abstractam entis communissimi et analogici, *Nego. Contrad. min.* et *Nego conseq.*

Obiect. 3ª. Infinitam distantiam non contingit pertransire. Sed non entis simpliciter ad ens est infinita distantia, quia quanto potentia est minus ad actum disposita, tanto magis ab actu distat, unde si omnino potentia subtrahatur, erit infinita distantia. Ergo impossibile est, ut aliquid transeat simpliciter de non ente ad ens.

Resp. *Dist. mai.* Per transitum *proprie dictum*, qui contingit in motibus continuis, per quos transit pars post partem, *Conc.*, per transitum *improprie* dictum, idest per effectionem instantaneam agentis simpliciter infiniti, *Subdist.* Si distantia esset infinita ex utraque parte, idest ex non esse ad esse simpliciter infinitum, *Conc.*, si distantia est finita ex una parte, sicut contingit ex non esse ad ens finitum, *Nego. Contrad. min.* et *Nego conseq.* (1).

Obiect. 4ª. Omnifariam dissimile non agit in omnifariam dissimile. Sed non ens simpliciter et Deus, quum in nullo conveniant, sunt omnifariam dissimilia. Ergo Deus non potest agere in non ens simpliciter, et ita non potest facere aliquid de nihilo.

Resp. *Dist. mai.* Hoc sensu, quod omnifariam dissimile non potest esse *terminus ad quem* vel *subiectum* actionis agentis omnifariam dissimilis, *Conc.*, hoc sensu quod non potest esse *terminus a quo* actionis agentis omnifariam dissimilis, *Nego. Conc. min. Dist. conseq. Non ens simpliciter* non potest esse *subiectum*, neque *terminus ad quem* actionis

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Pot. q. 3. a. 1. ad 3.

creatricis divinae, *Conc.*, non potest esse *terminus a quo* actionis creatricis, quatenus videlicet *non esse* rei creatae praecedere debeat saltem naturâ esse eiusdem rei, tamquam terminus huic directe oppositus, *Nego.* « Ad quartum dicendum, quod cum fit aliquid ex nihilo, *non* « *esse*, sive *nihil*, non se habet ad modum patientis nisi per accidens, « sed magis per modum oppositi ad id quod fit per actionem. Nec « etiam in naturalibus oppositum se habet per modum patientis nisi « per accidens, sed magis subiectum ». S. Thomas l. c.

Obiect. 5ª. Potentia activa est principium transmutationis in aliud secundum quod est aliud. Atqui potentia Dei est potentia activa. Ergo requirit aliquod subiectum transmutationis, et sic non potest ex nihilo aliquid facere.

Resp. *Dist. mai.* Potentia activa absolute sumpta, *Nego*, quia haec est principium *causativum effectus.* Potentia activa naturalis, quae quum non sit purus actus, producit effectum, actione media, per motum, *Conc. Contrad. min.* Potentia Dei est potentia activa univoce dicta cum poteutia activa naturali, *Nego*, analogice dicta, ut princeps analogatum, absque ulla imperfectione potentiae naturalis, *Conc. Nego conseq.* In Deo potentia activa identificatur cum essentia et operatione divina, quae omnia realiter sunt actus purissimus subsistens. Unde neque agit actione media, neque indiget subiecto praeexistente, ut supra declaravimus, sub n. 93.

Obiect. 6ª. Causa diversitatis rerum non potest esse ex parte Dei, qui est unus et simplex. Ergo oportet huius diversitatis causam adsignare ex parte materiae. Ergo oportet ponere res factas esse ex materia et non ex nihilo.

Resp. *Dist. mai.* Si Deus ita esset unus et simplex, ut eius essentia non cognosceretur a divino intellectu ut diversimode imitabilis ad extra, *Conc.*, si Deus ita est unus et perfectissime subsistens in sua simplicitate actus purissimi, ut eius essentia propter plenitudinem suae perfectionis cognoscatur a divino intellectu ut diversimode imitabilis ad extra, *Nego. Nego utrumque consequens et consequentiam.*

Obiect. 7ª. Inter causam et effectum debet intercedere aliqua similitudo. Sed inter Deum, qui est actus purissimus, et materiam primam, quae est pura potentia subiectiva, nulla intercedit similitudo. Ergo materia prima non est producta a Deo.

Resp. *Dist. mai.* Similitudo vel univoca vel analogica, *Conc.*, semper univoca, *Nego. Contrad. min.* Inter Deum et materiam primam, nulla intercedit similitudo univoca, *Conc.*, analogica, *Nego;* quia materia prima est *ens ut quo* potentiale, et ideo tali modo produci potest, quo habere potest esse, nempe in composito per formam.

Instabis. Materiae primae non est idea in Deo. Sed cuiuscumque effectus divini debet esse idea in divino intellectu. Ergo materia prima nequit produci a Deo.

Resp. *Dist. mai.* Materiae primae nullo modo est idea in Deo, *Nego*, eo modo est idea, quo modo est ens, nempe in ordine ad formam per ideam compositi, *Conc. Contrad. min.* Cuiuscumque effectus divini debet esse idea in Deo eo modo quo aliquid est effectus, nempe vel ut eius cui competit esse ut quod, vel ut eius cui competit *esse ut quo* sive formale, sive potentiale, *Conc.*, tantum ut eius, cui competit esse *ut quod*, *Nego. Nego conseq.*

Obiect. 8[a]. Quando Deus creat, aut dat esse nihilo aut dat esse alicui subiecto. Atqui nequit dici dare esse nihilo, quia tunc nihil existeret. Ergo dat esse alicui subiecto. Ergo creatio est effectio quae supponit subiectum praeexistens.

Resp. *Dist. secundum membrum disiunctionis.* Deus dat esse alicui subiecto praeexistenti, *Nego*, producit ipsum compositum ex essentia et existentia, *Conc. Conc. min. Contrad. primum conseq.* Dat esse alicui subiecto, producendo ipsum compositum ex essentia et esse, *Conc.*, dando formam aliquam subiecto praeexistenti, *Nego. Nego secundum conseq.* Sicuti in Philosophia Prima (Thes. 25.) demonstravimus, creatura seu ens contingens, quum non sit ipsum esse subsistens, quod existit vi suae essentiae, est necessario composita ex potentia subiectiva et actu in ipso ordine existentiae, videlicet ex essentia et existentia. Essentia autem et existentia creaturae ita se habent ad invicem, ut una non possit esse sine alia. Esse enim existentiae creaturarum, quum non sit esse subsistens, est actus non purus, qui proinde recipi debet in potentia sibi respondente ut sit in composito et ratione compositi. Qui haec non discernunt, nequeunt distinguere ens necessarium ab ente contingente, Creatorem a creatura, atque licet verbis existiment se demonstrare et tueri creationem et distinctionem creaturarum a Deo, revera non demonstrant. (Recole Ontol. QQ. 8. et 9.).

Obiect. 9[a]. Actio transiens praesupponit subiectum existens. Atqui actio creativa est transiens. Ergo praesupponit subiectum praeexistens.

Resp. *Dist. mai.* Actio *formaliter* transiens, *Conc.*, actio *virtualiter eminenter* transiens, *Nego. Contrad. min.* Actio creativa est *formaliter* immanens et *virtualiter eminenter* transiens, *Conc.*, est *formaliter* transiens. *Nego*, *Nego conseq.* Solutio patet ex superius declaratis sub n. 95.

Obiect. 10[a]. Mutatio praesupponit subiectum existens. Atqui creatio est quaedam mutatio non entis in ens. Ergo creatio non est ex nihilo subiecti.

Resp. *Dist. mai.* Mutatio proprie dicta, *Conc.*, improprie dicta, *Nego.*

Contrad. min. Creatio est mutatio improprie dicta, *Conc.*, proprie dicta, *Nego. Nego cons.* Mutatio proprie dicta intercedit inter duos terminos actu existentes, et locum habet in omnibus generationibus et corruptionibus. Porro in creatione non habentur duo termini actu existentes. Quum enim per ipsam producatur ens in quantum ens, *terminus a quo* est negatio totius entitatis quae producitur secundum omnia intrinseca constitutiva entis producti, videlicet est omnino nihil. Dicitur autem *improprie mutatio*, quia a nobis concipitur ut transitus ex uno statu in alium, idest a non esse ad esse.

Obiect. 11ª. In ea effectione habetur mutatio proprie dicta, per quam res transit de potentia in actum. Atqui in creatione res transeunt de potentia in actum. Ergo in creatione habetur proprie dicta mutatio.

Resp. *Dist. mai.* Si res transeat *de potentia subiectiva* in actum, *Conc.*, si transeat *de potentia obiectiva*, et educatur tantum de potentia causae efficientis, *Nego. Contrad. min.* In creatione res transeunt *de potentia obiectiva* in actum et educuntur de potentia Causae Universalis, *Conc.*, educuntur *de potentia subiectiva*, *Nego. Nego cons.* In creatione non habetur proprie transitus de potentia in actum, sed valde improprie, quatenus nempe res quae erat *obiective* possibilis, atque continebatur in Deo, tamquam effectus in causa exemplari, efficiente et finali, incipit existere in seipsa ex imperio Divinae Voluntatis per virtutem Divinae Potentiae. Conferantur ea, quae in Philosophia, Naturali diximus de variis modis quibus aliqua res dicitur educi de potentia suae causae (Cosm. n. 43.).

Obiect. 12ª. Maior distantia intercedit inter ens et non ens, quam inter formas diversi generis, puta inter figuram et colorem. Sed ex figura non potest esse transitus ad colorem. Ergo multo minus dari potest transitus ex non ente ad ens.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Propter defectum oppositionis inter has formas, *Conc.*, propter distantiam earumdem, *Nego. Nego conseq.* Inter non ens et ens datur vera oppositio; et ideo transitus, licet improprie dictus, locum habere potest, quamvis magis distent ab invicem quam res diversi generis. Hae enim sunt simul compossibiles in eodem subiecto, sic eadem pars corporis est simul figurata et colorata.

COROLLARIA.

105. I. **Virtus creandi nequit communicari ulli creaturae.** Etenim *a)* quum creatio activa requirat virtutem simpliciter infinitam, nempe talem virtutem, quae sit sua actio et suum esse; ad hoc ut haec virtus communicaretur creaturae, haec deberet habere actionem

identificatam cum potentia activa et hanc identificatam cum purissimo actu subsistente. Atqui haec contradictoria sunt, nam creatura esset simul creatura et non esset, quum deberet esse ipsum esse subsistens. Ergo repugnat ut virtus creandi communicetur creaturae (1). *b)* Quum creatura participet esse determinatum in aliqua specie, non potest producere ipsam suam speciem, secus esset causa sui ipsius, sed tantum potest, si eius essentia specifica sit composita ex materia et forma, per actionem generativam efficere, ut sua natura specifica incipiat esse in novo individuo generato. Atqui si creatura aliquid produceret ex nihilo sui et subiecti non solum esset causa suae speciei, sed esset causa entis in quantum entis. Ergo impossibile est ut creatura participet virtutem creandi (cfr. S. Th. 1. p. l. c. ad 1.)

II. **Neque instrumentaliter potest creatura adhiberi a Deo ad creandum.** Etenim *a)* instrumentum adhibetur ut disponat subiectum ad recipiendam virtutem principalis agentis. Atqui creatio nullum praesupponit subiectum. Ergo impossibile est ut creatura adhibeatur instrumentaliter a Deo ad creandum. *b)* Si creatura adhiberetur ut instrumentum ad creationem alterius; in huiusmodi productione, vel aliquid extra se faceret, vel nihil. Sed creatura non potest quidquam facere extra se, nisi actione media inter potentiam activam et effectum, quae actio praerequirit subiectum : quia *actio*, quae est media inter potentiam activam et effectum, est agentis ut *a quo* et patientis ut *in quo* subiectatur: unde nisi praeexistat subiectum non potest esse (2). Ergo creatura in creatione esset instrumentum quod nihil faceret, ac proinde frustra adhiberetur.

106. **Quaeres 1°.** *Utrum necessario mundus creatus fuerit ab aeterno.*

Resp. *negative.* Quae responsio non solum demonstratur ratione, sed etiam Fide tenenda est, quae nos docet mundum fuisse conditum *in tempore*, vel melius *cum tempore.* En brevis demonstratio nostrae responsionis desumpta ex S. Thoma 1. p. q. 46. a. 1., Cont. Gent. Lib. 2. cap. 81. et loc. parall.

Si universitas creaturarum vel aliqua saltem creatura necessario semper fuisset, licet cum dependentia in suo esse a Deo Creatore; haec necessitas vel ipsi competeret ex se vel ex aliqua causa extrinseca. Atqui non ei competeret ex se, quia mundus est ens contingens; neque ex aliqua causa extrinseca, quia haec vel est causa efficiens, vel finalis. Atqui causa efficiens mundi nempe Deus est liberrimus

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 45. art. 5., C. G. L. 2. c. 21. qq. dd. de Pot. q. 3. a. 4.
(2) Cfr. S. Th. C. G. L. 2. c. 16. arg. 6. « Materia comparatur ad agens etc. »

quoad suos effectus, sicut demonstravimus in Quaest. VI. praesertim sub n. 53. VI. Causa etiam finalis quum sit Divina Bonitas amata in aliqua sua similitudine participata, nullo modo necessario movet Deum ad existentiam semper creaturae tribuendam, nam finis adaequatus Divinae Voluntatis est ipsa Divina Bonitas in seipsa, quae identificatur cum Divina Essentia. Ergo omnino falsum est mundum necessario semper fuisse. S. Thomas (1) rem ita confirmat: « Ostensum « est supra (c. 23.), quod Deus non agit aliqua actione, quae sit extra « ipsum quasi ab ipso exiens et in creaturam terminata, sicut cale- « factio exit ab igne et terminatur in ligna, sed eius velle est eius « agere, et hoc modo sunt res secundum quod Deus vult eas esse. Sed « necessarium non est quod Deus velit creaturam semper fuisse, *quum « etiam non sit necessarium Deum velle quod creatura sit omnino*, « ut ostensum est (lib. 1. c. 81.). Non igitur est necessarium quod « creatura semper fuerit ».

Nota. *De sensu, quo dicitur Deus fecisse mundum in tempore.* Quum dicimus secundum fidem catholicam Deum creavisse mundum in tempore, non intelligimus tempus praeextitisse mundo, vel tempus esse mensuram omnis durationis etiam divinae, id enim falsum esset, ut constat ex his quae diximus de Aeternitate, Aevo, et Tempore (Cosm. n. 77. et Theol. nat. n. 63.). Sed sensus est: Deum immobiliter manendo in suo *nunc aeternitatis*, quod comprehendit et excedit omnem durationem temporalem, fecisse mundum cum tempore, praefigendo determinatam aliquam mensuram tempori. Duratio enim temporalis ex se indifferens est, ut sit longior vel brevior, sed concomitatur motum, cuius est mensura secundum prius et posterius, ita ut si motus incoepisset antequam coeperit, etiam tempus fuisset prius quam fuerit. Quum igitur Deus sit causa ipsius temporis libere potuit praefigere eos limites tempori, quos voluerit. Tempus autem, quod cogitamus anterius, non est tempus reale, sed imaginarium (2).

107. **Quaeres 2°.** *Utrum repugnet mundum, licet creatum, semper tamen fuisse* (3).

Resp. Quamvis multae rationes afferantur a pluribus magni nominis Doctoribus ad ostendendam hanc repugnantiam, tamen eae non visae fuerunt convincentes S. Thomae aliisque magni nominis Doctoribus, praesertim quia potiores, etsi valere possint de aliqua determinata

---

(1) C. G. L. 2. c. 31.
(2) Cfr. S. Th. qq. dd. de Pot. q. 3. a. 17.
(3) Argumenta, quibus conantur adversarii demonstrare mundum semper fuisse, S. Thomas proponit et dissolvit tum in locis mox citatis, tum in L. 2. C. G. cc. 32. 38. 34. 35. 36. 37.

conditione et classe creaturarum, non tamen concludunt absolute de omni prorsus creatura (1). Summa argumentorum quibus S. Thomas tum in suo Opusc. 27. De Aeternitate Mundi, tum alibi ac praesertim 1. p. q. 46. a. 2., Cont. Gent. Lib. 2. Cap. 38., ostendit non posse evidenter demonstrari repugnantiam mundi aeterni, non quidem aeternitate, quae est tota simul, sed aeternitate participata et successiva; huc redit:

Si mundum semper fuisse implicaret contradictionem, haec proveniret vel ex parte Causae Supremae, vel ex parte modi productionis creaturarum, vel ex parte ipsius effectus nempe creaturae. Atqui ex nullo capite contradictio evidens apparet.

1° *Non quidem ex parte Causae Supremae*, nempe Dei, quia hic aeternaliter habet virtutem completam producendi suos effectus, eiusque voluntas liberrima imperare potuit productionem creaturarum modo non repugnante divinae omnipotentiae divinaeque sapientiae.

2° *Neque apparet evidens contradictio ex parte modi productionis creaturarum.* Creatio enim, quum non sit proprie dicta mutatio, non fit successive, sed immediate seu in instanti. Unde non necesse est causam praecedere effectum duratione, sed natura tantum. Id autem sufficit ut creatura dicatur facta ex nihilo, quia videlicet non habet esse ex virtute suae essentiae, et si sibi relinquatur, verteretur in nihilum.

3° *Tandem ex parte ipsius effectus seu creaturae apparet non evidens contradictio.* Quia haec nequit demonstrari neque *a priori,* neque *evidenter a posteriori.*

a) Non a priori, quia medium demonstrationis *a priori* est quidditas rei creatae. « Unumquodque autem secundum rationem suae spe-« ciei abstrahit ab *hic et nunc,* propter quod dicitur quod universalia « sunt ubique et semper. Unde demonstrari non potest (a priori) quod « homo aut caelum, aut lapis non semper fuerit (2).

b) Neque *evidenter a posteriori.* Quia haec repugnantia procederet vel *ex parte motus*, vel *ex parte generationum.* Atqui ex neutro capite evidens contradictio colligitur ad ostendendam repugnantiam alicuius creaturae aeternae, aeternitate participata et semper in infinitum deficiente a divina aeternitatis perfectione, quae est *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.*

Et quidem ex parte motus. α) Nequit evidenter demonstrari repugnantia motus carentis initio et fine. Immo philosophi ponentes mundum semper fuisse arguunt etiam ex eo quod motus universi corporei carere debeat initio et fine. Quae argumenta, quamvis solvantur tam-

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 46. art. 2. ad 8.
(2) 1. p. q. 46. a. 2.

quam non necessario concludentia, tamen satis indicant non esse evidentem repugnantiam motus absque initio, idque etiam apparet ex modo, quo S. Thomas talia argumenta dissolvit in 1. p. q. 46. a. 1. ad 5. in qq. dd. de Pot. q. 3. art. 17. ad. 16. 17. 18. et in Lib. 2. Cont. Gent. Cap. 36. Quin immo ex S. Doctoris verbis apparet eum admittere non repugnantiam alicuius motus sempiterni.

β) Etiamsi admitteretur repugnantia motus carentis initio, tamen haec neque afficeret creaturam spiritualem, quae non movetur motu proprie dicto, neque necessario afficeret ipsam creaturam corpoream, quum non repugnet corpus existens absque motu sive locali, sive augmenti, sive alterationis. Nullus enim ex hisce motibus est accidens proprium substantiae corporeae.

Ex parte generationum nequit demonstrari repugnantia creaturae aeternae. Nam α) creaturae spirituales completae in linea essentiae nullo modo subduntur generationibus; β) creatura corporea etiamsi semper fuisset, non necessario semper supponi debuisset obnoxia generationibus; γ) etiamsi poneretur creatura corporea semper obnoxia successivis generationibus, harum series non esset actu infinita sed successive; neque esset infinita per se, sed per accidens, videlicet non daretur effectus absque causa sufficiente, quia semper admitti deberet extra totam seriem causa suprema, nempe Deus (cfr. n. 17.). Speciali autem difficultati pro infinitate anteriori generationum humanarum desumptae ex eo quod haberetur actu multitudo infinita animarum separatarum, ita respondet S. Th. (1. p. q. 46. a. 2. ad 8.): « Considerandum quod haec ratio particularis est. Unde posset dicere aliquis « quod mundus fuit aeternus, vel saltem aliqua creatura, ut angelus, « non autem homo. *Nos autem intendimus universaliter, an aliqua « creatura fuerit ab aeterno* ».

Nota. Ratio, quae prae caeteris efficacior visa est S. Thomae ad demonstrandum nullam creaturam semper fuisse, est ea quae deducitur *ex fine divinae voluntatis.* En eius verba (1): « Potest autem « efficacius procedi ad hoc ostendendum ex fine *divinae voluntatis,* ut « supra (c. 35.) tactum est. Finis enim divinae voluntatis in rerum « productione est eius bonitas, in quantum per causata manifestatur: « potissime autem manifestatur divina virtus et bonitas per hoc quod « res aliae praeter ipsum (Deum) ab ipso esse habent, quia non semper « fuerunt. Ostenditur etiam quod non agit per necessitatem naturae, « et quod virtus sua est infinita in agendo. Hoc enim convenientissimum fuit divinae bonitati, ut rebus creatis principium durationis « daret ».

(1) C. G. L. 2. c. 38.

QUAESTIO XI.

DE PROVIDENTIA DEI.

PRAENOTIONES.

108. I. **Providentia - Gubernatio.** *Providentia divina est ratio ordinis rerum in finem in mente divina existens. Huius autem ordinis executio vocatur gubernatio.* Ad aliqualem divinae providentiae intelligentiam consideremus providentiam humanam. Haec importat respectum quemdam alicuius distantis, ad quod ea, quae in praesenti occurrunt, ordinanda sunt (2. 2. q. 49. a. 6.). Est praecipua pars prudentiae, quae quatenus est virtus moralis, definitur recta ratio agibilium, nempe humanorum actuum, qui bonitatem accipiunt ex recta ordinatione in suos fines (1. 2. q. 57. a. 4.). Partes autem secundariae prudentiae, quae ad providentiam ordinantur tamquam ad partem principaliorem, sunt memoria praeteritorum et intelligentia praesentium, prout ex his coniectamus de futuris providendis.

II. **Providentia actus** *est recte praecipere, scilicet applicare consiliata et iudicata ad operationem.* Et ideo supponit alios actus recte peractos, nempe consiliari de mediis inveniendis, et recte iudicare de inventis. Ex his enim sequitur ut recte praecipiat, quod est applicare consiliata et iudicata ad operationem. Et sane, praecipere est actus rationis practicae. Atqui prudentia est recta ratio practica, cum sit recta ratio agibilium. Ergo recte praecipere est actus proprius prudentiae. *Prob. mai.* Ille est principalis actus rationis practicae, qui est propinquior fini eius. Sed praecipere est actus propinquior fini rationis practicae: nam immediate coniungitur cum operatione. Ergo (2. 2. q. 47. a. 8.).

III. **Providentia sicut et prudentia est formaliter actus intellectus, supponens actum voluntatis,** *nempe intentionem finis et electionem mediorum.* Rationis enim est consiliari, iudicare et praecipere per modum denuntiantis, quid sit eligendum ad finem assequendum: voluntatis autem ex intentione finis est movere rationem ad supradictos actus et electionem perficere acceptando praeceptum

denuntiativum rationis (1. 2. q. 17. a. 1.). Tandem exsecutio operis perficitur a potentiis operativis ad extra et imperatur a voluntate.

IV. **Simplicissimus Divinae Providentiae actus est virtualiter multiplex.** Quemadmodum ad providentiam humanam requiruntur plures actus realiter distincti, scilicet intentio finis, rectum consilium, iudicium, praeceptum rationis, et electio, similiter per quandam analogiam requiruntur ad divinam providentiam plures actus virtualiter distincti secundum nostrum concipiendi modum. Nam Voluntas Divina intendit finem, nempe manifestationem extrinsecam divinae gloriae. Divinus Intellectus proponit Divinae Voluntati sua infinita certissima cognitione hunc finem obtineri per debitum ordinem rerum ad suos fines et ad invicem atque omnium ad finem et ordinem universi. Tandem Divina Voluntas eligit liberrime aliquem ordinem et decernit, ut exsecutioni mandetur.

V. **Declaratur pro nostro modulo processus Divinae Providentiae.** Quum extrinseca manifestatio divinae gloriae per liberam communicationem Divinae Bonitatis creaturis factam obtineri possit infinitis modis; Intellectus Divinus proponit Divinae Voluntati infinitos ordines universi, per quos haberi potest huiusmodi manifestatio. Ex diversis enim individuis diversarum specierum apte inter se ordinatis secundum varia adiuncta resultare potest diversis et infinitis modis ordo universi, qui est extrinseca manifestatio divinae gloriae per communicationem Divinae Bonitatis. Porro Deus, *independenter a scentia visionis et antecedenter ad eam, cognoscit suâ scientiâ sive simplicis intelligentiae* sive *mediâ* non solum naturas et individua omnia possibilia, sed etiam omnes possibiles actiones sive necessarias, sive contingentes aut liberas, quas in variis adiunctis haec individua ponerent. Supposita igitur hac propositione ab Intellectu facta, Voluntas Divina libere eligit unum potius quam alium ordinem, et ita praecipit, ut ordo electus exsecutioni mandetur. In qua electione seu praecepto aut decreto perficitur formalis ratio Divinae Providentiae. Debet enim esse analogice loquendo actus rationis practicae, quae ex intentione voluntatis praecipit seu applicat media consiliata et iudicata ad finem.

109. **Corollarium.** *Divina Voluntas libertate infinite perfecta se habet ad praeceptum quod est formalis pars Divinae Providentiae;* ita ut revera dicere debeamus *liberam Dei Voluntatem esse ultimam et formalem rationem Divinae Providentiae.* Nam *a)* manifestatio extrinseca divinae gloriae per communicationem Bonitatis Divinae factam creaturis, cum nullo modo sit necessaria divinae perfectioni,

prorsus libere est volita a Deo: *b)* etiam supposita huius manifestationis intentione, proponuntur ab Intellectu Divino infiniti modi eam obtinendi per infinitos ordines possibiles universi; quare etiam quoad electionem unius ordinis prae alio Voluntas Divina est liberrima. Quapropter ultima ratio, non solum cur Deus intenderit manifestare suam gloriam communicando suam Bonitatem creaturis, sed etiam cur elegerit hunc potius rerum ordinem quam alium, *est libera electio Divinae Voluntatis.* Id Scriptura exhibet hisce verbis: « *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in caelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* ». (Psalm. CXXXIV. v. 6.).

THESIS XXXVII.

In Deo est providentia.

PROBATUR.

110. Providentia est ratio ordinis rerum in finem. Atqui in Deo est perfectissime haec ratio. Ergo est in Deo providentia, et quidem perfectissima. *Maior* constat ex definitione. *Minor prabatur.* In eo est perfectissima ratio ordinis in finem, in quo est tum perfectissima cognitio mediorum ad finem, tum perfectissima voluntas finis. Atqui in Deo invenitur utrumque: nam Divinus Intellectus perfectissime cognoscit in Divina Essentia omnia quae quocumque modo habere possunt rationem entis; Divina vero Voluntas amat perfectissime Divinam Bonitatem, et, quidquid vult, in ordine ad eam vult. Ergo in Deo est perfectissima haec ratio ordinis, seu providentia.

Corollarium. Ad providentiae curam duo pertinent: scilicet ratio ordinis quae dicitur *providentia;* et exsecutio ordinis, quae dicitur *gubernatio.* Quorum primum est *aeternum*, secundum *temporale.*

THESIS XXXVIII.

Omnia subduntur Divinae Providentiae.

PROBATUR.

111. Tantum se extendit providentia alicuius, quantum se extendit eius libera causalitas. Atqui libera causalitas Dei se extendit ad omnia entia creata vel creanda, eorumque actiones omnes. Ergo omnia subduntur divinae providentiae. *Maior* patet ex eo, quod providentia est actus rationis, supposito actu voluntatis intendentis finem et recte

eligentis media. Porro electio est actus liberae voluntatis. *Maior* constat ex dictis de scientia et voluntate Dei. Ergo stat consequentia (1).

Nec tamen sequitur, Divinam Providentiam omnibus provisis necessitatem imponere, quia ipsi convenit naturas rerum servare et ideo efficere ut quaedam necessario, quaedam vero contingenter aut libere operentur. Cfr. Psych. n. 220. et verba S. Thomae ibi allata.

THESIS XXXIX.

Non omnia eodem modo Divinae Providentiae subiacent, sed *a)* pro diverso gradu suae naturae unaquaeque res diversimode cadit sub dispositione Divinae Providentiae: nempe *b)* quaedam, scilicet incorruptibilia, providentur propter se; ex his autem *c)* perfectius providentur creaturae intellectivae (2).

PROBATUR.

112. *Quoad 1um*. Divinae Providentiae est ordinare res ad invicem in suos fines, et his mediantibus ad finem universi. Atqui hic ordo obtinetur per hoc, quod res disponantur a Divina Providentia secundum diversarum naturarum gradum, ratione cuius diversimode natae sunt consequi finem. Ergo pro diverso gradu suae naturae unaquaeque res diversimode cadit sub dispositione Providentiae. *Maior* constat ex supradictis. *Minor* vero ex eo, quod Divinae Providentiae est naturas rerum non destruere sed servare.

Quoad 2um. Ea in quibus essentialiter consistit perfectio universi, quaeque magis accedunt primo principio, subduntur Divinae Providentiae propter se: caetera autem propter alia. Atqui perfectio universi consistit in eis, quae perpetuitatem habent, et glorificatio Dei formalis, quae fit laudando Deum in operibus suis, habetur per entia intellectiva, quae magis accedunt ad primum principium. Ergo haec providentur propter se. *Maior prob.* Finis operis est id, quod per se intenditur ab operante, et ad quod subordinat cetera. Atqui ea in quibus essentialiter consistit perfectio universi tum quoad materialem, tum quoad formalem manifestationem gloriae Dei sunt finis operis Dei ad extra. Ergo (3).

Minor prob. Perfectio universi consistit in stabilitate sui ordinis et in huius cognitione per creaturam intellectivam, quae formaliter Deum

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 22. aa. 2. et 4.
(2) Cfr. S. Th. I. Sent. Dist. 39. q. 2. a. 2.
(3) Cfr. S. Th. QQ. dd. de Verit. q. 5. aa. 3. 5.

glorificare potest. Atqui utrumque habetur per ea, quae perpetuitatem habent, nempe per caelum et terram, quae sunt perpetua; et per angelos et animas humanas, queis competit incurruptibilitas et intellectus. Ergo.

Quoad 3um. Quanto aliquid est propinquius primo principio, tanto nobilius sub ordine providentiae collocatur, a qua huiusmodi entia consequuntur, ut non solum sint provisa, sed quod etiam aliis provideant. Atqui huiusmodi sunt creaturae intellectivae, quae propter intellectum et voluntatem sunt propinquiores Deo, et propter liberum arbitrium providere possunt etiam aliis. Insuper, ut superius diximus, per has creaturas Deus obtinet glorificationem extrinsecam formalem. Ergo creaturae intellectivae perfectius et nobilius propter se providentur.

THESIS XL.

Bonum est universo, ut permittantur mala.

PROBATUR.

113. *Malum*, sive *physicum*, quod resultat ex deficientia inhaerente corruptibili naturae, sive *morale*, quod resultat ex deficientia inhaerente libero arbitrio naturae intellectivae, ideo permittitur a Divina Providentia, quia bonum est tum ipsis, tum perfectioni universi tales naturas creari, quae sive *phisice* sive *moraliter* deficere possunt. Etenim huiusmodi defectuum promissio a Divina Providentia ordinatur ad bonum vel eiusdem rei, in qua contingunt, vel alterius rei: atque ita semper cedunt ad perfectionem universi et ad gloriam Dei (1). Fac autem Divinam Voluntatem non permittere huiusmodi defectus: eo ipso privaretur mundus perfectione entium generabilium et corruptibilium atque creaturae rationalis, quae libero arbitrio mereatur vel demereatur sui ultimi finis assecutionem.

Corollarium 1. *Defectus nunquam est ex parte primi providentis, nempe Dei*, sed vel ex parte provisorum, quae ob corruptibilem naturam deficere possunt, vel ex parte secundorum providentium nempe creaturarum spiritualium, quae ob liberum arbitrium aliquando culpabiliter non inhaerent regulae primi providentis, quae est aeterna. Quapropter horum defectus culpabiles sunt.

Corollarium 2. *Declaratur quomodo Divina Providentia ordinet in bonum defectus morales creaturae intellectivae.* Quum creatura intellectiva provideatur propter seipsam a Deo, ordinantur eius defectus

(1) Cfr. S. Th. I. Sent. l. c. et qq. dd. Ver. l. c. a. 5.

morales a Divina Providentia vel in bonum eius, ut cum homo post peccatum resurgens humilior redditur; vel saltem in bonum quod in ipso fit per divinam iustitiam, dum pro peccato punitur.

Qua in re notandum est *homines reprobos*, qui providendo vel sibi vel aliis ordinem non servant, qui congruit naturae rationali, efficere ut Providentia Divina ordinet de eis secundum ordinem, qui brutis competit, ut scilicet ea quae in eis vel bona vel mala sunt, non ordinentur in eorum bonum proprium, sed in bonum aliorum. Contrarium accidit *iustis electis,* quibus non solum propria bona et mala, sed etiam bona et mala perversorum cooperantur in bonum, iuxta illud Apostoli ad Rom. VIII. 28. « *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti* ».

Difficultates contra Divinam Providentiam facile solvuntur ex hucusque dictis in praesenti quaestione et ex dictis in Cosmologia de Finalitate Naturae (nn. 94-96.). Plures autem obiectiones et solutiones unusquisque inveniet apud S. Thomam 1. p. q. 103.

QUAESTIO XII.

DE RERUM CREATARUM CONSERVATIONE

THESIS XLI.

Creaturae indigent conservari in esse a Deo.

PRAENOTIONES.

114. I. **Duplex conservatio, directa et indirecta.** Aliquid conservatur ab altero dupliciter. Uno modo *indirecte* et *per accidens*, sicut ille dicitur rem conservare, qui removet corrumpens, puta si aliquis puerum custodiat, ne cadat in ignem, aut si sal ponatur in carnibus ad impediendam earum putrefactionem. Alio modo *directe* et *per se*, quando scilicet aliquid pendet a conservante, eo quod sine eo esse non possit. Sic esse domus pendet a soliditate lapidum, et illuminatio aeris a praesentia solis.

II. **In Thesi demonstrabimus Deum conservare directe et per se omnes creaturas sive corruptibiles sive incorruptibiles,** eo quod earum esse dependet a Deo, ita ut nec ad momentum subsistere possent, sed in nihilum redigerentur, nisi operatione divinae virtutis conservarentur in esse.

III. **Res corruptibiles Deus non solum directe sed etiam indirecte conservat** removendo ab eis quaedam corrumpentia, et dando virtutes quibusdam creaturis conservandi alias directe, semper tamen sub influxu divino. Causalitas enim Dei, etiam quando operatur mediantibus causis secundis est semper *immediata* (1).

IV. **Generans est per se causa tantum fiendi formae.** In generationibus *generans* non est *per se* causa formae in quantum huiusmodi, sed solum *per accidens* in quantum videlicet agendo ut instrumentum Causae Supremae, transmutat materiam per motum et efficit ut ex materia disposita educatur forma et constituatur compositum specifice simile sibi. Quapropter non est *per se* causa τοῦ *esse* talis formae vel melius compositi per talem formam, sed est causa ut *inchoetur esse* talis formae in materia disposita, seu ut inchoetur *esse*

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 104. a. 2. ad 1.

compositi generati. Hinc recte dicitur esse causa talis formae in composito, *non secundum esse*, sed *secundum fieri* eius.

Et sane, quod non possit esse *per se* causa formae in quantum huiusmodi, idest ipsius speciei seu naturae eius, patet ex eo quod id, quod est *per se* causa alicuius formae in quantum huiusmodi, est causa ipsius speciei seu naturae eius. Iamvero nullum individuum subsistens in aliqua specie seu natura, potest esse causa speciei seu naturae in quantum huiusmodi, secus esset causa sui ipsius, quod repugnat. Ergo nullum generans creatum potest esse causa *per se* formae in quantum huiusmodi (1).

Haec est doctrina S. Thomae, qui (2) ait: « Sed considerandum « est quod aliquod agens est causa sui effectus *secundum fieri* tantum, « et *non directe* secundum *esse* eius, quod quidem convenit et in « artificialibus, et in rebus naturalibus. Aedificator enim est causa « domus quantum ad eius fieri, non autem directe quantum ad esse « eius. Manifestum est enim quod esse domus consequitur formam « eius; forma autem domus est compositio et ordo, quae quidem « forma consequitur naturalem virtutem quarumdam rerum. Sicut « enim coquus coquit cibum adhibendo aliquam virtutem naturalem « activam, scilicet (virtutem) ignis; ita aedificator facit domum adhi- « bendo caementum, lapides et ligna, quae sunt susceptiva talis con- « positionis et ordinis. Unde *esse domus* dependet ex naturis harum « rerum, sicut *fieri domus* dependet ex actione aedificatoris.

« Et simili ratione est considerandum in rebus naturalibus, quia « si aliquod agens non est causa formae in quantum huiusmodi, *non « erit per se causa esse* quod consequitur ad talem formam, sed erit « causa effectus *secundum fieri tantum*. Manifestum est autem quod « si aliqua duo sunt eiusdem speciei, unum non potest esse per se causa « formae alterius in quantum est talis forma, quia sic esset causa « formae propriae, cum sit eadem ratio utriusque, sed potest esse « causa huiusmodi formae secundum quod est in materia, idest quod « haec materia acquirat hanc formam, et hoc est esse causam secun- « dum fieri, sicut cum homo generat hominem, et ignis ignem. Et « ideo quandocumque naturalis effectus est natus impressionem agentis « recipere secundum eandem rationem secundum quam est in agente, « tunc *fieri* effectus dependet ab agente, non autem *esse* ipsius ».

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 45. a. 5. ad 1.
(2) 1. p. q. 104. art. 1.

PROBATUR THESIS.

115. I. Eo modo *esse* effectus dependet a causa, quo haec est eius causa, videlicet vel *secundum esse* vel *secundum fieri.* Unde quemadmodum, cessante influxu τοῦ *fieri* alicuius rei cessat ipsum *fieri* rei ex. gr. cessante actione sculptoris cessat *ipsum fieri* statuae: similiter remota causa τοῦ *esse* alicuius rei, cessat *esse* rei, sic remotis lapidibus cessat *esse* domus, et remoto sole cessat *illuminatio* aeris. Et sane si aliquod ens non vi essentiae aut virtutis suae *est* vel *fit*, oportet ut *sit* vel *fiat* virtute alterius. In qua hypothesi oportet, ut ipsum eius *esse* vel *fieri* afficiantur intrinsece virtute causae efficientis, secus carerent ratione sufficiente; nam quum ex se nihil essent non possent sustentari in suo *esse* virtute sibi intrinseca, neque sustentari possent virtute subiecti, quod mere passive se habet ad ipsa. Iamvero Deus est causa τοῦ *esse* omnium rerum, ut in Quaest. 2. demonstravimus. Ergo cessante influxu virtutis divinae conservantis *esse* creaturarum, hae statim in nihilum redigerentur, sicut, cessante influxu solis, cessat illuminatio aeris (1).

II. Quando agens ita producit aliquam formam in subiecto, ut non perducat subiectum ad perfectam similitudinem cum ipso in eadem forma, eo quod non possit perducere illud ad naturam omnino similem suae naturae; cessante eius influxu, forma inducta in subiectum vel statim cessat, vel paullatim, prouti vel *nullam* vel *parvam aptitudinem* invenerit in subiecto ad eam participandam: sic corpus opacum statim obscuratur cessante actione illuminante corporis luminosi; sic aqua calefacta ab igne usque ad gradum centesimum caloris, paulatim frigescit, cessante actione ignis. Atqui *nulla creatura* participans *esse*, potest hoc sive *parum* sive *multum convertere in propriam essentiam;* ita ut *esse existentiae* evadat ei *essentiale* et sic perveniat ad perfectam similitudinem cum Causa Suprema, quae est ipsum esse subsistens. Ergo cessante operatione Causae Supremae conservantis *esse* creaturarum, hae statim deficerent ab essendo (2).

OBIECTIONES.

116. **Obiect. 1ª.** Quod non habet potentiam ad non esse, non indiget conservatione, ut perseveret esse. Atqui creaturae spirituales, quum sint formae incorruptibiles, non habent potentiam ad non esse. Ergo non indigent conservatione divina, ut perseverent esse.

Resp. *Dist. mai.* Quod neque *intrinsecam,* neque *extrinsecam po-*

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 104. a. 1.
(2) Cfr. S. Th. C. G. L. 3. c. 65. arg. 6.

tentiam habet ad non esse, non indiget conservatione, *Conc.*, quod tantum *intrinsecam potentiam* ad non esse habet, non indiget conservatione, *Nego. Contrad. min.* Creaturae spirituales non habent potentiam intrinsecam ad non esse, *Conc.*, non habent potentiam extrinsecam ad non esse, *Nego. Nego conseq.* Quamvis huiusmodi creaturae non habeant intrinsecum principium corruptionis, quod est materia contrarietati subiecta; tamen, quum non sint suum esse, nequeunt existentiam virtute propria retinere, sed, quemadmodum indiguerunt eam recipere a principio extrinseco, nempe a Deo; ita iugiter indigent divino influxu ad illud retinendum, ut ex Thesis demonstratione patet (cfr. Psych. n. 175).

Obiect. 2ª. Deus est potentior quolibet creato agente. Sed aliquod agens creatum communicare potest effectui, ut conservetur in esse absque suo iugi influxu. Ergo multo magis id potest Deus.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* et hoc ideo, quia non est *per se causa τοῦ esse* sui effectus, *Conc.*, si esset *per se causa τοῦ esse* sui effectus *Nego. Nego conseq.* Deus non potest facere ea quae contradictionem involvunt. Iamvero si creatura posset conservari in esse absque iugi influxu Creatoris, existeret virtute suae essentiae; nempe esset simul creatura et non esset quod repugnat. Solutio patet ex dictis in Thesi. « *Ad secundum* dicendum, quod Deus non potest communicare alicui « creaturae ut conservetur in esse, sua actione cessante, sicut non « potest ei communicare quod non sit causa illius (idest quod non « pendeat a Deo tamquam a sua causa). Intantum enim indiget crea- « tura conservari a Deo, inquantum esse effectus dependet a causa « essendi. Unde non est simile de agente quod non est causa essendi, « sed fiendi tantum » (1).

Obiect. 3ª. Si generans esset causa fiendi et non essendi formae in composito, non causaret formam. Atqui in hac hypothesi formae materiales in generationibus non producerentur a generante, sed crearentur immediate a Deo; quod falsum est. Ergo generans est causa essendi formae in composito, ac proinde non valet solutio data praecedenti Obiectioni.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Si generans per hoc quod est *causa fiendi*, non educeret formam de potentia materiae, *Conc.*, si generans per hoc quod est *causa fiendi*, transmutando educit formam de potentia materiae, et ita est formae principium essendi quantum ad inchoationem ad *esse*, idest *per accidens*, *Nego. Contrad. min. Dist. 1ᵘᵐ conseq.* Generans est *per se* causa *τοῦ esse* formae in composito, *Nego*, est *per*

(1) 1. p. q. 104. a. 1.

accidens causa τοῦ *esse* formae in composito, quatenus transmutando subiectum, educit formam de potentia materiae et ita est formae principium essendi quantum ad eius inchoationem ad esse, *Conc. Nego 2um conseq.* cfr. Praenot. IV (1).

Obiect. 4a. Unumquodque non est perfectum, nisi perficiat hoc ad quod est. Sed principia ad hoc sunt, ut rem in esse conservent. Si ergo principia creata rerum non possunt rem in esse tenere, sequitur ea esse imperfecta, et ita non esse Dei opera; quod est absurdum.

Resp. *Dist. mai.* Debet perficere suum effectum eo modo quo est eius causa nempe vel independenter vel dependenter ab alio, prouti est vel non est suum *esse*, *Conc.*, semper independenter ab alio, *Nego. Contrad. min.* Principia intrinseca rerum ad hoc sunt ut rem in esse conservent dependenter a supremo principio extrinseco, nempe a Deo *Conc.*, independenter ab eo, *Nego. Nego conseq.* « *Ad tertium* dicen- « dum, quod quamdiu Principia essentialia rerum sunt, tamdiu res « conservantur in esse; sed et ipsa rerum principia esse desinerent, « divina actione cessante » (2).

Obiect. 5a. Appetitus naturalis non potest esse frustra. Sed quaelibet res naturaliter conservationem sui appetit. Potest ergo res per seipsam conservari in esse; alias appetitus naturalis esset vanus.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Naturaliter appetit conservari a sua causa, *Conc.*, a seipsa, *Nego. Nego cons.*

Obiect. 6a Si Deus conservaret res in esse, id faceret per novam actionem. Atqui nova actio producit novum effectum, qui tamen locum non habet in permanentia creaturae in suo esse. Ergo Deus non conservat res in esse, sed hae conservantur a seipsis.

Resp. *Nego sequel. maioris.* Nam actio conservans est ipsa continuatio actionis, qua Deus dat esse creaturis, licet ex parte termini non sit cum novitate essendi. « *Ad quartum* dicendum, quod conservatio « rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per conti- « nuationem actionis, qua dat esse; quae quidem actio est sine motu « et tempore; sicut etiam conservatio luminis in aëre est per conti- « nuatum influxum a sole » (3).

---

(1) Cfr. S. Th. QQ. dd. de Pot. q. 5. a. 1. ad 5.
(2) QQ. dd. de Pot. q. 5. a. 1.
(3) Cfr. S. Th. 1. p. q. 103. a. 1.

QUAESTIO XIII.

DE DIVINA OPERATIONE IN OMNI OPERANTE.

THESIS XLII.

Nulla causa creata agere potest sine immediato Dei influxu (1).

PRAENOTIONES.

117. I. **Duo errores extreme oppositi vitandi:** *unus* est eorum qui auferunt necessitatem divini influxus in actiones creaturarum, *alter* eorum qui auferunt quamcumque activitatem causis creatis.

II. **S. Thomas media via incedit,** et statuit Deum conferre creaturis perfectionem operandi eo modo, quo creatura potest esse capax huius perfectionis, nempe sub immediato et actuali influxu Causae Primae, ita ut virtus operativa creaturae applicata ad agendum a Deo et elevata sub divino influxu ad attingendum ipsum effectum, qui est exclusive proprius Dei, nempe *esse;* fiat actualiter operans modo suae naturae consentaneo. Ita fit ut effectus ab ea procedens, *totus* pendeat *quoad suam specificationem* a creatura operante in linea causae secundae, *quoad esse* vero i. e. *quatenus est ens,* pendeat *totus* a Deo operante in linea Causae Primae.

III. **Quatuor respectus, secundum quos aliqua res dici potest causa actionis alterius rei, a S. Thoma propositi.**

1us. *quatenus tribuit rei virtutem seu formam stabilem* secundum quam res fit apta ad operandum, quamvis nondum operetur: ut generans generato tribuit naturam cum suis virtutibus operativis.

2us. *quatenus tantum conservat ei virtutem,* e. g. impediendo corruptionem: sic medicina conservando visum dici potest causa visionis.

3us. *quatenus movet rem ad agendum,* idest *applicat virtutem ad actionem, transferendo eam de potentia in actum.* Qui modus plane distinguitur a primo, secundum quem confertur rei virtus operativa, quia, ut ait s. Doctor, nulla res quantumvis habeat virtutes operativas

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 105. a. 5.; qq. dd. de Pot. q. 3. a. 7.; C. G. l. 3. cc. 66. 67. 70.

completas, agere potest per seipsam, nisi sit movens non motum, cuiusmodi est tantum actus purissimus nempe Deus. Sic homo est causa incisionis cultri eo ipso quod applicat acumen cultri movendo ipsum.

4us. *quatenus agens principale causat in agente secundario aliquid de virtute sua, quasi transeunter elevando ipsum ad effectum quem virtute sibi stabiliter inhaerente attingere nequit.* Sic scalpellum non est causa rei artificiatae qua talis, ex. gr. statuae Moysis, per formam vel virtutem propriam, sed per virtutem artificis a quo movetur et quam aliquo modo participat: quare nequit per formam stabilem, seu cessante actuali influxu artificis, attingere virtutem ad talem effectum. « Instrumentum enim (ait S. Thomas qq. dd. de Pot. l. c.) est causa « quodammodo effectus principalis causae, non per formam vel virtu« tem propriam, sed in quantum participat aliquid de virtute principalis « causae per motum eius: sicut dolabra non est causa rei artificiatae « per formam vel virtutem propriam, sed per virtutem artificis a quo « movetur, et eam quoquomodo participat ».

PROBATUR THESIS.

118. **Demonstramus cum S. Thoma** (l. c.) **quatuor supradictis modis Deum in ordine Supremae Causae movere omnem causam creatam ad actionem.** Nam:

1° *Deus dedit rebus virtutes stabiles quibus agere possint*, quum sit Causa Suprema omnis esse et omnis perfectionis.

2° *Conservat res in esse*, ut demonstravimus cum S. Thoma in Thesi 41.

3° *Applicat easdem actioni, reducendo de potentia in actum.* Nam causa creata, etiam ultimo completa ad eliciendam operationem, se habet ad actuale exercitium operationis ut potentia ad actum: et ideo dum est actu eliciens operationem, se habet ad seipsam, antequam operaretur, ut perfectum ad imperfectum: operatio enim est accidens reale superveniens potentiae, et ideo nova perfectio potentiae: haec autem quatenus est actu eliciens suam operationem, se habet ad operationem ut principium ad suum principiatum, et ideo etiam sub hac ratione, dum operatur, perficitur.

Quibus positis sic arguimus. Id, quod ad hoc ut sit actu eliciens operationem, indiget intrinsece perfici seu immutari realiter, non potest esse sibi causa huius mutationis, sed *ultimatim* ab extrinseco eam recipere debet a tali movente, quod non sit mobile. Nam vel secundum unam sui partem movetur et secundum aliam movet, vel nullo modo movet se ipsum. Si nullo modo moveat se ipsum, necesse est

ut ab extrinseco moveatur, ut sagitta a sagittante. Si autem secundum unam sui partem movetur et secundum aliam movet; haec pars motrix vel est movens mobile vel immobile. Atqui nequit esse movens immobile, quia tunc semper actu esset in motu et semper actu moveret aliam partem, quod est contra hypothesim et contra factum. Ergo est movens mobile. Quapropter ne procedamus in infinitum, devenire debemus ad supremum movens immobile, quod est actus purissimus, nempe Deus. Recole dicta in Thesi 4.

4° *Tandem Deus debet ita immediate influere in actionem causae creatae, ut haec actu elevetur ab eo ad attingendum ipsum esse effectus participando ad modum intentionis, seu cuiusdam vis transeuntis ipsam virtutem ad esse. Qui influxus transeunter causatus a Deo in causa creata, terminative sumptus est id quo haec est actualiter agens*, seu est id quo causa creata est principium actu eliciens suam operationem et, hac mediante, est producens effectum. Haec doctrina, quam in sequenti argumento directe demonstramus, est S. Thomae, qui (in qq. dd. de Pot. q. 3. a. 7. ad 7.) ait: « *Ad septimum* dicendum, quod virtus « naturalis, quae est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest « eis ut quaedam forma habens esse ratum et firmum in natura. Sed « id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut *intentio* « *sola*, habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores « sunt in aere, et virtus artis in instrumento artificis. Sicut ergo securi « per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ea permanens, non « autem dari ei potuit quod vis artis esset in ea quasi quaedam forma « permanens, nisi haberet intellectum; ita rei naturali potuit conferri « virtus propria, ut forma in ipsa permanens, *non autem vis qua agit* « *ad esse, ut instrumentum primae causae;* nisi daretur ei quod esset « universale essendi principium: nec iterum virtuti naturali conferri « potuit ut moveret seipsam, nec ut conservaret se in esse: unde sicut « patet quod instrumento artificis conferri non oportuit quod opera- « retur absque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit quod « operaretur absque operatione divina ».

S. Thomae argumentatio (l. c. in corp. art.) **sic paucis proponi potest.**

Causa creata nequit operari, nisi elevetur ad attingendum ipsum *esse* sui effectus. Etenim ad hoc ut operetur, producere debet actualem realitatem suae operationis suique effectus. Realitas autem quaelibet est actualis per suum *esse*, per quod habet ut sit actu ens. Atqui causa creata nequit elevari ad hoc praestandum, nisi sub actuali influxu Dei participet instrumentaliter ad modum cuiusdam intentionis seu motus idest transeunter, virtutem ad attingendum ipsum *esse* effectus, quae

virtus quum sit exclusive propria ipsius esse per se subsistentis, nequit stabiliter conferri ulli rei, quin haec eo ipso evadat ipsum esse subsistens, quod creaturae repugnat (cfr. n. 114. II.); simili quodam modo quo scalpellum in manu artificis elevatur transeunter ad attingendum ipsum effectum proprium artis, quin unquam possit stabiliter hanc virtutem habere. Ita fiet ut quemadmodum instrumentum, dum elevatur ad effectum proprium artis, hunc sibi assimilat quoad id quod est proprium sui, puta quoad colorem, vel figuram, vel aliquid aliud; similiter creatura operans, dum elevatur a Deo ad attingendum in re producenda effectum proprium Dei nempe *esse*, hanc sibi assimilet quoad id quod est proprium sui, puta quod sit homo, vel aquila, vel planta. Hoc autem nil aliud est quam effectum procedentem a creatura sub influxu divini concursus ita *totum* pendere *quoad suam specificationem* ab ea operante in linea causae secundae; ut simul *totus* pendeat *quoad esse,* nempe *quatenus est ens*, a Deo operante in linea Causae Primae.

Quare concludit s. Doctor (l. c.).: « Sic ergo Deus est causa actionis « cuiuslibet, inquantum dat virtutem agendi, et inquantum conservat « eam, et inquantum applicat actioni, et inquantum eius virtute omnis « alia virtus agit. Et cum coniunxerimus his, quod Deus sit sua virtus « et quod sit intra rem quamlibet non sicut pars essentiae, sed sicut « tenens rem in esse; sequetur quod ipse in quolibet operante imme- « diate operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturae » (1).

COROLLARIA.

119. I. Idem effectus est a Deo et a creatura, non tamen ita, ut sit partim a Deo, partim a creatura, sed *totus est ab utroque*, secundum alium modum; sicut idem effectus totus tribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus. (Cfr. S. Th. C. G. l. 3. c. 70. in fine).

II. Si res naturalis producat proprium effectum, non est superfluum quod Deus illum producat (cfr. S. Th. C. G. l. c.).

III. Motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum (cfr. S. Th. qq. dd. De malo q. 3. a. 2).

IV. Cum influxus divinus *terminative* sumptus sit id, quo virtus creata est principium actu eliciens suam operationem; necesse est ut sit simul cum operatione: relativa enim qua talia sunt simul.

(1) Cfr. *Alamannum S. I.* Summ. Phil. 1. 2. q. 11. a. 4.

V. Cum divinus influxus requiratur ad hoc, ut virtus creata elevetur ad attingendum effectum proprium Dei, qui est *esse;* necesse est, ut quamvis aliqua virtus creata ex. gr. intellectus angelicus poneretur ab ipso initio suae creationis eliciens suam operationem, semper tamen recipiat influxum divinum ad operandum.

VI. *Per huiusmodi influxum terminative sumptum virtus creata fit revera causa suae operationis, et, hac mediante, fit causa sui effectus.* Et sane, si poneremus Deum virtuti creatae influere ipsum operari, non influendo id quo ipsa operatur; Deus faceret quidem actionem in causa, sed non faceret ipsam causam agere. Causa autem creata se haberet passive, non active, nam reciperet solummodo actionem causatam a Deo. In sententia vero S. Thomae virtus creata elevata sub Dei influxu ad attingendum *esse* secundum modum suae naturae, est verum principium suae operationis, et hac mediante sui effectus. Et consequenter actio causae creatae ita tribuitur Deo in ordine causae primae, ut tota etiam tribui debeat causae creatae tamquam proprio principio in suo ordine. *Per hoc enim ita Deus facit id quod causa creata facit, ut faciat simul ipsam causam facere.*

VII. *Necessitas Divini influxus non aufert voluntati creatae libertatem seipsam determinandi ad unum* vel *ad aliud bonum particulare eligendum.* Etenim effectus *quoad suam specificationem* totus pendet a creatura, ac proinde procedit ab ea vel necessario vel libere, prouti eius natura exigit. Veritas haec semper propugnata fuit a S. Thoma. Vide inferius solutiones obiectionum, et recole eā quae diximus in Psychologia sub nn. 205. 219. 220.

OBIECTIONES.

120. **Obiect 1ª.** Natura neque deficit in necessariis, neque abundat in superfluis. Sed ad actionem naturalem sufficit virtus activa ex parte agentis, et passiva ex parte patientis. Ergo non requiritur virtus divina in rebus operans.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Sufficiunt virtutes praedictae in ordine causae secundae, *Conc.,* absolute, *Nego. Nego conseq.* Solutio patet ex dictis in Thesi.

Obiect. 2ª. Operationes diversae nequeunt ad eumdem effectum terminari. Atqui operatio divina et operatio creaturae sunt diversae. Ergo impossibile est ut idem effectus procedat a Deo et a creatura.

Resp. *Dist. mai.* Si una non sit alteri subordinata, *Conc.*, secus, *Nego. Contrad. min.* Ita tamen ut operatio creaturae sit divinae operationi subordinata, quum virtus creaturae se habeat ut instrumentum

relate ad virtutem divinam, *Conc.*, ita ut creatura non operetur ut instrumentum sub influxu virtutis divinae, *Nego. Nego conseq.* « *Ad* « *tertium* dicendum, quod in operatione qua Deus operatur movendo « naturam non operatur natura, sed ipsa naturae operatio est etiam « operatio virtutis divinae, sicut operatio instrumenti est per virtutem « agentis principalis. Nec impeditur quin natura et Deus ad idem « operentur, propter ordinem, qui est inter Deum et naturam ». (S. Th. qq. dd. de Pot. q. 3. a. 7.).

Obiect. 3[a]. Deus instituendo aliquam naturam dat ei omnia quae sunt de ratione illius naturae. Atqui de ratione virtutis operativae est, ut sit principium agendi. Ergo Deus eo ipso quod virtutes naturales rebus indidit, dedit eis virtutem operandi.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* De ratione virtutis operativae est ut sit principium agendi vel independenter ab alio, vel dependenter, prouti identificatur vel non identificatur cum ipso esse per se subsistente, *Conc.*, semper independenter ab alio, *Nego. Nego conseq.* De essentia virtutis operativae creatae est ut non possit attingere *ipsum esse* effectus, nisi ut instrumentum. *Esse* enim est proprius effectus *solius divinae virtutis*, quae est ipsum esse subsistens. « *Ad quintum dicen-* « *dum* quod de ratione virtutis inferioris est quod sit aliquo modo « operationis principium in suo ordine, idest ut agat ut instrumentum « superioris virtutis, unde exclusa superiori virtute, inferior virtus « operationem non habet ». (S. Th. l. c.).

Obiect. 4[a]. Non est idem operari ad rem et operari in re. Sed operatio Dei, qua virtutem naturalem vel facit vel in esse conservat, est operatio ad illam virtutem constituendam, vel conservandam. Non ergo propter hoc potest dici quod Deus in virtute naturali operante operetur.

Resp. *Conc. mai. et min. Nego conseq.* Quia praeter hos modos sunt alii secundum quos divina operatio terminari debet ad creaturam, ut ex Praenotionibus et ex Demonstratione Theseos patet. « *Ad sextum* « dicendum, quod Deus non solum est causa operationis naturae ut « conservans virtutem naturalem in esse, sed aliis modis, ut dictum « est ». (S. Th. l. c.).

Obiect. 5[a]. Si Deus in natura operante operatur, oportet ut operando, aliquid rei naturali tribuat. Aut ergo illud sufficit ad hoc, ut natura possit per se operari aut non. Si sufficit, ergo natura potest fieri apta ad operandum per seipsam. Si non sufficit, procedendum erit in infinitum. Ergo dicendum est posse Deum conferre creaturae virtutem operandi omnino per seipsam.

Resp. *Dist. sequel. mai.* Deus tribuit aliquid habens esse *fluens* et

transiens ad modum cuiusdam intentionis seu motus, *Conc.*, habens esse ratum et firmum, *Nego. Nego conseq.* Solutio huius difficultatis quae datur a S. Thoma de Pot. q. 3. a. 7. ad 7. allata est a nobis sub n. 117. ubi ipsa verba S. Doctoris retulimus, atque ex superius dictis satis patet. Et sane, quando agitur de effectu, ad quem virtus alicuius rei ex se pertingere nequit, necesse est ut haec, si adhibeatur a superiori agente, cuius est proprius ille effectus, sit sub immediato influxu eius, ita ut tamdiu remaneat elevata ad illum effectum actu producendum, quamdiu est sub influxu superioris agentis. Sic si penicillus relinquatur a manu artificis, non amplius pingit imaginem. Ad aliqualiter intelligendam hanc elevationem creaturae sub influxu divinae virtutis ad attingendum esse effectus, recolantur quae diximus de elevatione phantasmatis sub influxu intellectus agentis ad causandam speciem intelligibilem in intellectu possibili (Psychol. nn. 189. 191.).

Obiect. 6ª. Agentia naturalia agunt ex necessitate naturae, ita ut, nisi impediantur, producant suos effectus. Atqui hoc non esset, si insuper requireretur positivus Dei influxus. Ergo hic frustra ponitur.

Resp. *Dist. mai.* Ita agunt ex necessitate naturae, ut supponatur influxus primi agentis, *Conc.*, ita, ut hic influxus non supponatur, *Nego. Contrad. min. Nego conseq.* Tota necessitas quae habetur in rerum existentia et operationibus, fundatur in suppositione conservationis et cooperationis Causae Primae et aliarum causarum intermediarum. Idcirco simili obiectioni ita respondet S. Thomas (de Pot. l. c.): « *Ad octavum* dicendum, quod necessitas naturae, per quam « calor agit, constituitur ex ordine omnium causarum praecedentium, « unde non excluditur virtus causae primae ».

Obiect. 7ª. Deus fecit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui (Eccli. XV. 14.). Non autem reliquisset, si semper in voluntate operaretur. Ergo Deus non operatur in voluntate operante.

Resp. *Dist. mai.* Quatenus Deus ita movet voluntatem hominis, ut eam non determinet ad unum, *Conc.*, quatenus nullo modo eam moveat, *Nego. Contrad. min.* Deus non reliquisset hominem in manu consilii sui, si ita operaretur in eius voluntate, ut eam determinaret ad unum, *Conc.*, si ita operatur in voluntate, ut eam non determinet ad unum, *Nego. Nego conseq.*

Haec et difficultates huic affines falso laborant fundamento, nempe supponunt Deum operari in omni operante necessitando omne operans ad determinatos effectus. Id enim valet pro operantibus naturalibus, non pro operantibus liberis quâ talibus. Quum enim *esse* effectus producti, mediante creatura, sit a Deo ut a prima causa, *specificatio* autem

sit a creatura; necesse est ut modus productionis sit proportionatus naturae seu quidditati creaturae operantis, ita ut procedat ab ea vel necessario vel libere, prouti creatura sub divino influxu operatur vel ex necessitate naturae vel ex libertate arbitrii. Quum igitur voluntas creata non necessario appetat media, quae non apprehenduntur necessario connexa cum beatitudine; divinus influxus non aufert ab ea hanc indeterminationem, sed ita eam movet ad bonum, ut sub hac motione voluntas seipsam determinare valeat ad unam vel ad alteram partem contradictoriae. Nec ad id requiritur ulterior influxus, quia, ut suo loco demonstravimus (Psych. n. 213.), idem est motus quo voluntas tendit ad finem et ad media. S. Thomas (de Pot. l. c.) propositae difficultati ita respondet: « *Ad duodecimum* dicendum quod Deus « non dicitur hominem dereliquisse in manu consilii sui, quin in vo- « luntate operetur, *sed quia voluntati hominis dedit dominium sui* « *actus*, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis, quod « quidem dominium naturae non dedit, cum per suam formam sit « determinata ad unum ». Recolantur quae diximus in Psychologia nn. 205. 206. 219. 220.

Obiect. 8ª. Voluntas est domina sui actus. Atqui hoc non esset, si agere non posset nisi Deo in ipsa operante, cum voluntas nostra non sit domina divinae operationis. Ergo Deus non operatur in voluntate nostra operante.

Resp. *Dist. mai.* Voluntas dicitur domina sui actus per exclusionem Causae Primae, *Nego*, dicitur domina sui actus, quia Causa Prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, *Conc. Contrad. min.* Si Deus ita operaretur in voluntate, ut eam determinaret ad unum, *Conc.*, non determinando eam ad unum, *Nego. Nego conseq.* « *Ad decimum tertium* dicendum quod voluntas dicitur « habere dominium sui actus non per exclusionem causae primae, sed « quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate « ad unum determinet, sicut determinat naturam, *et ideo determi-* « *natio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis* » (S. Th. de Pot. l. c.).

Obiect. 9ª. Liberum est quod causa sui est. Atqui quod non potest agere, nisi alia causa in ipso agente, non est liberum in agendo. Ergo si voluntas est libera, non potest ulla alia causa in ipsa operari.

Resp. *Dist. mai.* Liberum est quod est causa suae determinationis, *Conc.*, quod est causa ipsius entitatis suae operationis, *Subdist.* Si sit *ipsa libertas subsistens* nempe Deus, *Conc.*, si est liberum per participationem, *Nego. Dist. min.* Si alia causa in ipso agens sit causa

cogens vel determinans ad unum, *Conc.*, secus, *Nego. Nego conseq.* Solutio patet ex responsionibus ad 7. et 8. obiectionem.

Obiect. 10ª. Causa Prima plus est influens in causatum, quam causa secunda. Sed defectus qui contingunt in effectibus naturalibus tribuuntur imperfectioni causae secundae. Ergo multo magis defectus, qui contingunt in voluntate creata, tribuendi essent Deo, quod est inconveniens.

Resp. *Dist. mai.* Ita tamen ut accommodetur ipsi naturali exigentiae suorum effectuum, *Conc.*, ita ut destruat naturam suorum effectuum, *Nego. Conc. min. Nego conseq.* Ex eo quod Causa prima multo magis influat in sua causata, quam causa secunda, sequitur 1º quidquid perfectionis est in effectibus, esse tribuendum Causae Primae; 2º posse Causam Primam ita efficaciter movere voluntatem creatam, ut haec non deficiat a rectitudine (cfr. S. Th. 1. p. q. 105. a 4.), minime autem sequitur Causam Primam, quae non agit ex necessitate naturae, sed ex liberrimo consilio suae voluntatis, non posse permittere defectus, qui ex imperfectione naturali voluntatis creatae, in volitionibus liberis creaturarum contingunt. Immo, ut in Quaest. XI. de Divina Providentia in Thesi 40. demonstravimus, bonum est ut a Provisore Universali permittantur mala non solum physica sed etiam moralia.

Reliquae obiectiones conferantur apud S. Thomam locis citatis.

QUAESTIO XIV.

DE MIRACULIS.

121. Quum philosophi munus non excedat inquirere, utrum divina operatio ad extra extendi possit ad eos effectus producendos, qui essent praeter ordinem consuetum totius naturae creatae, quique MIRACULA nuncupantur, nos paucis in postrema hac quaestione, postquam miraculi naturam determinaverimus, eius possibilitatem tum intrinsecam tum extrinsecam vindicabimus (1).

CAPUT I.

DE NATURA MIRACULI.

122. I. **Miraculum generatim acceptum** *(a mirando)* est eventus aliquis admirationem excitans, utpote habens causam occultam.

II. **Miraculum stricte dictum** est eventus admirabilis praeter consuetum ordinem totius naturae creatae, procedens a causa simpliciter et omnibus occulta, nempe a Deo. Quare, *miraculum stricte dictum* esse debet *a) eventus aliquis sensibilis et insolitus,* utpote praeter ordinem consuetum naturae, secus non posset admirationem excitare; *b)* debet autem esse talis eventus ut sive *ratione ipsius effectus* qui producitur, sive ratione *subiecti* in quo producitur, sive *ratione modi,* quo producitur, excedat omnis creatae naturae vires. Ex qua definitionis explicatione apparent conditiones miraculi stricte dicti.

III. **Tres conditiones ad miraculum stricte dictum requisitae:** 1° sit eventus sensibilis, ut admirationem nostram excitare possit; 2° sit insolitus, utpote praeter consuetum totius naturae cursum; 3° sit a solo Deo producibilis, *a)* vel ratione ipsius *naturae effectus* qui producitur, *b)* vel ratione *subiecti* in quo producitur, *c)* vel ratione *modi* quo producitur (2).

Propter defectum primae conditionis, iustificatio impii non potest dici stricto sensu miraculum, quum sensibus non sit perceptibilis.

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Pot. q. 6. aa. 1. 2. 3. 4. 5.
(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 110. a. 4.

Propter defectum secundae conditionis, creatio mundi nequit dici miraculum, quia per ipsam non mutatur consuetus naturae cursus, sed inchoatur. Propter defectum tertiae, opera admiranda patrata ab aliqua creatura spirituali, puta a diabolo, nequeunt dici stricto sensu miracula, quum nequeant esse praeter ordinem totius naturae creatae. Multo minus dici posset relate ad rudes miraculosa eclypsis solaris, eo quod hi eius causam ignorent.

IV. **Divisiones miraculi stricte dicti.** Ut ex modo dictis (sub n. II.) apparet, miraculum stricte dictum, quamvis ex parte agentis non patiatur divisionem, eo quod procedere unice possit a Suprema Causa totius naturae creatae, nempe a Deo; tamen *ex parte effectus* trifariam dividi potest, nempe 1⁰ vel ratione ipsius effectus seu realitatis, quae producitur; aliqua enim forma potest esse supra ordinem totius naturae quae creatur: talis est e. gr. forma gloriae quam inducet Deus corporibus beatorum; 2⁰ vel tantum ratione subiecti in quo producitur; talis esset e. gr. resurrectio alicuius mortui. Licet enim unio animae cum materia disposita sit naturalis et per virtutem naturae fiat, tamen materia sub forma cadaverica non est subiectum aptum, ut informetur ab anima, nec ulla virtus naturalis id efficere potest, ut in Philosophia Naturali (n. 69. Schol. 2.) demonstravimus.

V. **Miraculorum divisionem S. Thomas proponit.** Hanc divisionem, quae fere coincidit cum ea quam superius attulimus eamque mirifice illustrat, iisdem S. Doctoris verbis proponimus (1): « Dicendum « quod circa ea quae Deus miraculose facit, talis solet adhiberi di« stinctio, quod quaedam dicantur fieri **supra naturam,** quaedam « **contra naturam,** quaedam **praeter naturam.**

« **Supra naturam** quidem, inquantum in illum effectum quem Deus « facit, natura nullo modo potest: quod quidem contingit dupliciter; « vel quia ipsa forma inducta a Deo, omnino a natura induci non potest, « sicut forma gloriae quam inducit Deus corporibus electorum, et sicut « etiam incarnatio Verbi: vel quia, etsi talem formam possit in aliquam « materiam inducere, non tamen in istam: sicut ad causandam vitam « natura potens est, sed quod in hoc mortuo natura vitam causet, hoc « facere non potest.

« **Contra naturam** esse dicitur quando in natura remanet con« traria dispositio ad effectum quem Deus facit, sicut quando conser« vavit pueros illaesos in camino, remanente virtute comburendi in « igne, et quando aqua Iordanis stetit, remanente gravitate in ea, et « simile est quod Virgo peperit.

---

(1) QQ. dd. de Pot. q. 6. a. 2. ad 3.

« **Praeter naturam** autem dicitur Deus facere, quando producit « effectum quem natura producere potest, illo tamen modo quo natura « producere non potest, vel quia deficiunt instrumenta quibus natura « operatur (sicut cum Christus convertit aquam in vinum, Ioan. II., « quod tamen natura aliquo modo facere potest, dum aqua in nutri- « mentum vitis assumpta suo tempore in succum uvae per digestionem « producitur), vel quia est in divino opere maior multitudo, quam « natura facere consuevit, sicut patet de ranis quae sunt productae in « Aegypto, vel quantum ad tempus, sicut cum statim ad invocationem « alicuius sancti aliquis curatur, quem natura non statim, sed succes- « sive, et in alio tempore, non in isto curare posset: et sic accidit in « miraculo inducto de socru Petri. Unde patet quod omnia huiusmodi, « si accipiatur et modus et factum, facultatem naturae excedunt ».

CAPUT II.

DE POSSIBILITATE MIRACULI.

THESIS XLIII.

Miracula sunt possibilia (1).

PROBATUR.

123. Miracula sunt possibilia si gaudent possibilitate tum intrinseca tum extrinseca (Cfr. Ontol. n. 144.); nempe si in sua ratione non implicant contradictionem, sique adsit eorum causa efficiens proportionata. Atqui miracula gaudent utraque possibilitate. Ergo miracula sunt omnino possibilia.

Prob. min. quoad 1am part. Effectus miraculosus vel est aliquid *supra* naturam, vel *contra* naturam, vel *praeter* naturam.

Si primum, nempe *si sit aliquid supra naturam;* non est repugnans ut aliqua natura creata recipiat talem perfectionem seu formam, ad quam licet non sit naturaliter ordinata, tamen ab huiusmodi forma non destruantur notae essentiales eius, sed propria eius ratione perseverante, ulterius perficiatur et elevetur. Talis esset e. g. forma gloriae corpori humano superinducta, per quam homo non cessaret esse animal rationale, nempe ens corporeum compositum ex corpore organico et ex anima rationali. *Ad huiusmodi formas natura dicitur habere* POTENTIAM OBEDIENTIALEM

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 105. a. 6.

Si secundum, nempe *si sit aliquid contra naturam;* vel ita est contra naturam ut sit destructivum ipsius naturae, vel ita ut non sit eius destructivum sed sit tantum suspensivum alicuius operationis consequentis virtutem aliquam huius naturae, puta si ignis impediatur comburere; vel sit immutativum alicuius qualitatis eiusdem, quae non sit accidens proprium eius. Atqui licet primum repugnet, non repugnat secundum neque tertium; nam operari accidit creaturae contingenter nec praestare id valet absque divino concursu, ut superius demonstravimus (Quaest. 13.); qualitates autem, quae non sint accidentia propria, variare possunt circa rem, salva eius natura, sic natura humana alicuius aethiopis salvaretur etsi eius cutis miraculose fieret alba.

Si tertium, nempe *si sit aliquid praeter naturam;* nullo modo repugnantiam involvit, sed tantum exigit ut per virtutem operantem sine motu fiat in instanti id, quod per naturalia agentia, quae semper operantur cum motu, fieret successive: sic virtute medicinae sanatur successive aliquis aegrotus a febri a qua per virtutem divinam in instanti sanari posset.

Prob. min. quoad 2^{am} part. Virtus proportionata ad supradictos effectus producendos esse debet virtus simpliciter infinita, quae dicitur omnipotens, quia potest facere quidquid quocumque modo habere potest rationem entis, videlicet quidquid contradictionem non implicat. Atqui talis virtus est Virtus Divina, ut superius demonstravimus (QQ. 2. et 3.). Ergo miracula sunt tum intrinsece tum extrinsece possibilia.

124. **Praeoccupantur obiectiones** desumptae praesertim ex praesenti ordine naturae a Deo stabiliter constituto. Etenim ex hoc quidam licet concedant miracula absolute loquendo esse possibilia, tamen relate ad praesentem rerum ordinem ea nequaquam possibilia esse autumant. Et sane, haec relativa impossibilitas sequeretur *a)* vel ex eo quod Deus produceret suos effectus ex necessitate suae naturae, et non ex libero decreto suae voluntatis, *b)* vel ex eo quod licet Deus libere agat ad extra, tamen esset contra ordinem suae sapientiae ut aliquid vellet praeter consuetum ordinem totius naturae, *c)* vel tandem quia leges physicae, quibus res nuturales in praesenti ordine subduntur, absolutam necessitatem haberent. Atqui ex nullo ex his capitibus quidquam inferri potest contra omnimodam possibilitatem miraculorum. Etenim α) Deus liberrimo consilio suae voluntatis *res creavit, conservat, atque ad earum operationes concurrit*, ut suo loco demonstravimus (cfr. nn. 53. II. 108.). β) Neque est contra rationem sapientiae producere aliquem effectum praeter consuetum ordinem rerum creatarum, si hic effectus ordinetur ad supremum finem universi, qui est glori-

ficatio Dei per communicationem creaturis factam divinae bonitatis (cfr. Q. XI.); et ideo licet effectus miraculosus sit contra ordinem aliquem particularem unius naturae creatae ad aliam, non esset contra ordinem universalem naturae creatae ad Creatorem (1). Tandem γ) leges physicae non sunt tales, ut aliae non potuissent a Deo imponi, non enim connectuntur cum ipsis constitutivis essentialibus rerum: sic e. g. non mutatur natura corporum ex maiori vel minori participatione virtutis attractivae, repulsivae, locomotivae et similium. Etiam quoad operationes procedentes ex virtutibus seu accidentibus propriis naturarum potest Deus, negando suum concursum, impedire earum exercitium et ita e. gr. efficere ut ignis appositus stipulae eam non comburat.

Unde **obiicienti:** leges physicae sunt immutabiles, ergo suspendi vel mutari non possunt.

Resp. *Dist. anteced.* Sunt *absolute* immutabiles, *Nego,* sunt *relative* immutabiles, *Subd.* Relate ad causas secundas, *Conc.*, relate ad Causam Primam, *Nego.*

Finem huic quaestioni imponere placet verbis Sancti Thomae (QQ. DD. de Pot. q. 6. a. 1. ad 12.). « Ad duodecimum dicendum quod ars « divina non totam seipsam explicat in creaturarum productione, et « ideo secundum artem suam potest alio modo aliquid operari quam « habeat cursus naturae; unde non sequitur quod, si potest facere contra « cursum naturae, possit facere contra suam artem: nam et homo ar- « tifex potest aliud artificiatum facere per suam artem contrario modo « quam prius fecit ».

---

(1) Cfr. S. Th. qq. dd. de Pot. q. 6. a. 1. ad 7.

Explicit Theologia naturalis.

LAUS DEO.

INDEX RERUM

QUAE IN SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR

PHILOSOPHIA NATURALIS

Tractatus secundus. — **De Proprietatibus communibus corporum**

Tractatus tertius. — **De natura eiusque finalitate et activitate.**

PARS SECUNDA. — **Seu Psychologia.**

Tractatus primus. — **De vita generatim inspecta.**

Tractatus secundus. — **De variis gradibus vitae cognoscitivae.**

THEOLOGIA NATURALIS

PARS PRIMA — **De existentia Dei.**

PARS SECUNDA. — **De divina essentia.**

PARS TERTIA. — **De divinis attributis.**

PARS QUARTA. — **De Divinis Operationibus ad extra.**

FINIS

OPERIS APPROBATIONES

Cum quartam editionem operis, cui titulus : *Institutiones Philosophicae* etc. *duobus voluminibus contentam a P. Pio De Mandato* nostrae Societatis Sacerdote lingua latina conscriptam aliqui eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem damus ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo munitas dedimus.

Romae, die 1ª Augusti 1903.

L. † S.

AUGUSTUS FERRETTI S. I.
Praepositus Provinciae Romanae.

REIMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Mag.

REIMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli Archiep. Myren. Vicesgerens.

IMPRIMATUR

Prati, die 1ª Augusti 1903 Can. Archid. IOACHIM GORI, Vic. Gen.